



Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:


- + *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.
- + *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.
- + *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.
- + *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter <http://books.google.com> durchsuchen.

B

949,094



275

\$42

405

573



SCRIPTOR LATINUS

Commentarii Ad Linguae Latinae Humanitatisque
Studium Colendum Edifi

Annus X: Numerus I

— Procurant negotia —

- In Britannia:** D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C.,
57—59 Long Acre,
- In Italia:** Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via
Tornabuoni,
- In Nederlandia:** N.V. Boekhandel, voorh. Gebr. Belinfante, Den Haag, Kneuterdijk 3
- In Russia:** K. L. Ricker, St. Petersburg, 14 Newsky Prospekt.



Summarium:

- Lommatius, Ad amicum
- " Pocimur, amici!
- Schmidtke, De rheda motoria carmen
- Feuerlein, Schilleri Eques Toggenburgensis latine
- Beudel, De grammatarum scholis
- Quattor eiusdem carminis Goethiani versiones
- Nuntii menstrui — Censura librorum — Varia — Ex epistulario
redactoris — Libri nostra aetate latine prodientes — Libri censura
causa missi — Catalogi antiquarii — Responsorium — Sententiae —
Aenigmata — Praeconia publica

Redactor: Voldemarus Lommatzsch, Bremiportuensis
Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum

Digitized by Google

Scriptor Latinus

Commentarii Ad Linguae Latinae
Humanitatisque Studium Colendum Editi

Ann. X Francofurti a. M., Mense Octobri MCMXIII Num. I

— DECIMUM INGREDIENTES ANNUM —

omnibus commentarii nostri amicis salutem dicimus iique ut fidem nobis servant
petimus atque speramus. Editor et Redactor

AD AMICAM

Sacras ut aedes, pectore quas pie
Intrat verenti quisque colens Deum,
Praetermeans caros penates
Corde tuos veneror fideli.

Sistamne? pergam? Consilium mihi
Quis dat moranti? Namque tacet domus
Mutisque adhortari videtur
Me, modo luminibus fugare.

At vicit omnes nos superans amor
Ac dum fenestras suspicio tuas,
Spectare te dulcem puellam
Me capit impatiens latensque

Dudum cupido. Mira tamen loquor —
Nam nonne vidi vos here vesperi
Blandos ocellos? Quae repulsum
Flamma mihi renovat dolorem?

Quid quaero? Parva nonne latent domo,
Quaecumque vitae virgineae tuae,
Decus puellarum, videntur
Grata mihi recolique digna?

Hic mane solis suave vocat iubar
Te somniantem, noctis et hic nigra
Umbra cadente omnis diei
Cura tibi tegitur sopore.

Atque otianti tecta brevem tibi
Haec dant quietem, muneribus tuis
Defessa quum libros legendo
Mentem animumque soles levare

Seu cogitando, quae teneros tuos
Annos bearint quantaque gaudia,
Non immemor felicioris
Temporis heu! nimium fugacis.

Meique forsán nunc memor assides
Nec suspicaris, quam steterim prope,
Qui, cara, discedens amanti
Pectore te iubeo valere.

Poscitur, Amici!

In menstrua, quae »Folio« inscribitur, ephemeride Dr. A. Hartl, notissimus ille »Perfect« linguae auctor atque propagator, lectores suos revocans ad »Varia« numero IX. Scriptoris Latini publicata, haec dicit de nostra primarum sententiarum esperantisticarum conversione:

»Isto texto latino es bon ex visu de grammatica latina, sed non facili intelligendo et veri difficili construendo ab homine de minor eruditione. Magis simpli pro intellectu et constructione es texto hoc in lingua perfect.«

Ad haec nobis, quid ipsi sentiamus, paucis liceat verbis declarare.

1) Nos eam sequi solemus latinitatis formam, quae in optimas recentioris aetatis grammaticas est recepta. Quas qui scripserunt, haud minus ab eorum alieni sunt sententia, qui vivere linguam in ore hominum nolentes vel minima a grammaticorum normis ac regulis condemnant deverticula, quam ab iis, quibus, cum nullam in loquendo agnoscant legem, omnia, quaecumque in buccam venerint, probantur.

2) De vocabulis, praesertim quibus novae res denotentur, eligendis nobis quoque aliquid subinde necessitati videtur concedendum, velut illud »septuagénnaire« latine reddentes ob id solum ad »septuagenarium« confugimus, ut demonstrarem in nostra lingua multa, si opus esset, aequè breviter posse dici ac francogallice.

3) In sententia altera transferenda ego, ut cuique apparet latine scienti, tam simplici usus sum loquendi genere, ut, quare difficilior illa sit ad intelligendum, non videam. Nam ut ex decem, quas nuper comparavimus, linguis arte factis »Perfect« et »Interlingua« quae dicuntur simillimae sunt latinae, ita Hartliana hic conversio praeter omissum »eandam« vocabulum tota fere latinum imitatur. Cur igitur nostra sententia maiorem construenti, ut aiunt, lectori afferat difficultatem quam commenticia? Et qui sunt homines minus vel mediocriter eruditi? Qui parum periti sunt linguae latinae

an omnino ignari? Qui numquam didicit latine, neutram intelleget sententiam, qui didicit, id est bene didicit, latina quid valeant verba, facile videbit. Construendo demum posse latina percipi puerorum mihi opinio videtur, non virorum. Est omnino non in maiore vel minore linguae facilitate situm, utrum facile ea intellegatur necne, sed in eo, ut plane, perspicue, logice omnia exprimantur. Mihi quidem formae abiectis, quae superfluae novatoribus videntur, terminationibus simplicatae minus clare primo aspectu perspicui videntur, quam integrae. Cf. meo primo anno et: pignus meis annis!

4) Nos utique abhorremus a latina vel alia quavis lingua in simpliciore formam redigenda. Animans nobis sermo humanus est, non res a quolibet ad arbitrium suum tractanda atque mutanda. Et quae olim orbe terrarum potitae sunt linguae? Eae potissimum, quae hodie quoque difficillimae putantur: graeca, latina. Haud aliter res imposterum se habebit. Germanica quidem, cuius quam arduum sit studium, nemo ignorat, de principatu certare coepit cum britannica nec id frustra. Longius enim latiusque in annos procedit. Non facillima, id est simplicissima ceteras superabit lingua, sed quae optime cunctis se potest vitae cultusque nostri rationibus accommodare. Hoc autem praecellentis ingenii signum est. Quemadmodum populi humanitate exculti perfectioribus linguis utuntur quam barbari ac feri, ita et homo liberali doctrina politus uberiore mavult lingua uti quam arida, ieiuna, exili potiusque puerili quam virili ingenio conveniente. Caveant igitur linguarum novarum inventores, ne simplicitatis, qua ipsi tantum gloriantur, taedio affecti eruditi, quibus praeter ceteros opus est ad rem feliciter propagandam, artificiis neglectis ad veras vereque humanas linguas revertantur!

Tum Hartl his pergit verbis:

Porro: Ubi es titulo — francoso »Progrès« Digitized by Google in versione latin?

Lommatzsch omitti il. Qvare? Certi non ex oblivion, sed ex difficultat qve para vocàbulo unico ad inscripzion latin. Forse dicerè un latinista: De humanarum rerum progressu disceptatio. Sed tunc esserè ad illo difficile invenire laude in concurrenzia cum inscripzion perfect: Progress.

Ergo! Si in pauc linea recurri tale et tanto discrimine ad favore de lingua perfect: qve deberà no dicere, si scriptores latinos traducerè completi il qvinqve tractat, de qve ist pauc linea esseba tantummodo proba? Aut dicerà uno de istos, qvòd nil essi tam difficile, ut non, si essi scripti in lingua latina, responde ad indigenzias hodiernas? Dicerà uno de latinistas, non èssere necessario simplificare grammatica et amplificare vocabulario cum copia de frases? Caro scriptores latinos: Exeate ad duello! Un novo tema vo essa propòsito a »Folio«: Versione de sequente texto germanico »Die Konstruktion der Zeppelinischen Luftschiffe«. (E »Linzer Volksblatt« de 10. Junio 1913 occasione de volatu de còmite Zeppelin die 9. de Junio e Baden-Baden trans Linz ad Wien.) Qvi verti hoc texto in lingua latina talmodo ut hòmines non soli de singulare sed et de mediocre cultura, ut ils sole lègere diurnale, post breve instruccione pote èssere content, nome de illo essa landat, òpere de illo vulgat nunc et a posteriores. Si vero ex tentamine resulta impossibilitate de vèrtere tale tractat in lingua latin, ist lingua, utique preziosa pro anteriore tèmpace, es judicata, pro nostro et ulteriore saeculo.*)

Die Konstruktion der Zeppelinischen Luftschiffe

Das Markante an der Konstruktion der Zeppelinischen Luftschiffe, das auch dem System die Bezeichnung das »starre« gegeben hat, bildet das Gerippe des Tragkörpers, das in seinem Innern die Gaszellen birgt. Die-

ses Gerippe zeigt im Querschnitt die Gestalt eines regelmässigen Siebzehneckes, im Längsschnitt zylindrische Form. Es ist aus Trägern und Streben aus profiliertem Aluminiumblech gebildet, die unter sich mit Stahldrähten verspannt sind. In dem Gerippe liegen die Gaszellen, 18 an der Zahl, die mit Wasserstoffgas gefüllt werden. Aussen ist das Gerippe mit imprägniertem Ballonstoff überzogen, an der Unterseite ist es noch durch einen sehr festen, ebenfalls mit Stoff überspannten Kiel von dreieckigem Querschnitt versteift. In starrer Verbindung mit dem Kiel und dem Gerippe hängen die beiden bootsförmigen Maschinengondeln, die ein Niedergehen auch auf Wasserflächen gestatten und zur Milderung des Landungsstosses mit Luftkissen auf der Unterseite versehen sind. Die starre und in ihrer Länge daher unwandelbare Verbindung zwischen Gondel und Tragkörper ermöglicht das Anbringen der Luftschrauben seitlich am Tragkörper.

Das Triebwerk besteht aus zwei je 180 pferdigen, sechszyindrigen Maybach-Benzinmotoren in der hinteren und einer Maschine gleichen Typs in der Vordergondel. Jeder der beiden hintern Motoren setzt eine vierflügelige Schraube, der vordere Motor ein zweiflügeliges Schraubenpaar in Rotation. Diese vier Propeller sind paarweise rechts und links oberhalb der beiden Gondeln in Gerüsten gelagert. Die Kraft wird ihnen durch besonders versteifte und in Kugellagern geführte Stahlwellen mittelst Kegeldrahtübersetzung von der Motorwelle zugeführt. Die Umdrehungszahl der Vorderschrauben beträgt etwa 500, die der hinteren etwas weniger.

Die Steuerung, sowohl die Kurssteuerung als die Höhensteuerung, ist in einem kastenförmigen Gebilde am Heck des Schiffes vereinigt. Seitliche Dämpfungflächen verhindern ein Rollen oder Schlingern des Schiffes. Die Steuerungshandhaben, die Zugvorrichtungen für die Ventile und für die über die Schiffslänge verteilten Wasserballastgefässe sind in der vorderen, der Führergondel, vereinigt.

*) In textu Hartliano u et i litterae, ubi accentu gravi notatae sunt, deficientibus typis recte hic reddi nequeunt. Red.

Dort sind auch sämtliche Instrumente für die Navigation übersichtlich angeordnet. Passagierschiffe sind mit einer geräumigen Kabine etwa in der Mitte des Kieles, der dort entsprechend verbreitert ist, Heeresschiffe mit einer kleinen Kabine dicht hinter der Vorgondel ausgestattet. Sämtliche Schiffe sind zur Aufnahme einer Station für drahtlose Telegraphie eingerichtet.

Ad certamen igitur descendendum est, amici. Prodeat, quicumque ingenio suo fidat, nec quisquam, quae scripserit, nostro eiusque qui provocavit nos, iudicio submittere cunctetur. Si poterimus, omnes commentatiunculae conversiones publicabuntur. Quae si inter se conferentur, multa quisque nostrum discet de recentioribus rebus latine reddendis, de veteribus verbis novo sensu receptis, de aptis verborum iuncturis et quae alia sunt ad transferendi artem pertinentia. Proinde agite, amici, demonstrate nostris illiusque ephemeridis lectoribus inexhaustam adhuc esse latinorum verborum copiam et his etiam diebus aequae facile de variis vitae humanae rebus disseri posse atque prioribus saeculis de literis, artibus, technis scripserunt viri docti!

Restat tamen, ut pauca addam. Quod inscriptum erat commentationi francogallicae, minime errore vel ob-

livione vel, quia difficile erat ad verendum, omissum est, sed propterea, quod titulus ille toti opusculo praeponendus videbatur, non primis duabus sententiis. Optime sane dicitur: »De humanarum rerum progressu«. Sed et aliae exstant nec minus bonae conversiones: »De technicarum artium progressibus«, »De inveniendi arte mirum in modum progrediente«, »De novis recentioris aetatis inventis«, aliae. Nec »Progressus« esset inconvenienter dictum, immo — quod affectat Hartl — brevissime nec non optime. Minime autem assentior illi versionem latinam a se ipso indicatam improbanti, tamquam longior sit nec ullo modo cum »perfecta« quam vocat comparanda. Aliis alia praestat lingua virtutibus nec est linguarum peritus, quin sciat non semper duas linguas simplicem pro una eademque re habere vocem. Num ideo altera alteri erit praefenda? Illud, opinor, maximum est, ut, quaecumque occurrant res, possint quoque latine denotari. Hoc appetentes nos eorum, qui latine nesciunt, nullam putamus habendam esse rationem. Intellegant aut non intellegant — modo latina sunt, quae scribuntur. Nam, ut iterum hoc ditam, eruditi universalis linguae fautores sunt atque propagatores, non isti, ut Hartlii verbis utar, minoris eruditionis vel mediocris culturae homines.

De Rheda Motoria,

vulgo „Automobil“ nominata

Rapitur curriculum
sine equis ravidum,
atque tubae sonitus
vix auditur horridus,
cum iam ambulantes
fugiunt vitantes.

Rotae fervidissimae
summa rotant rabie;
excitantur nubila
pulveris densissima
atque fugientes
contegunt gementes.

Obteruntur omnia
rotis animalia:
Canes, sues vagiunt
anserisque gingriunt;
mox obtriti tacent,
resupini iacent.

Maledicunt rustici
vehementer currui:
Juppiter ad lapides
iaciat vel arbores!
vectis et precantur
capita fragrantur.

**Schilleri Carmen »Ritter Toggenburg«
Eques Toggenburgensis**

(J. Feuerlein. Pars. II. pg. 1.)

„Ut soror fratrem redamat fidelis,
sic, eques, te cor meum amat, require
ne flagrans ignes alios: dolorem
cor capit inde.

Corde pacato mihi dic salutem,
corde pacato valedic recedens;
lumen occultis lacrumis redundans
non movet aequam.“

Haec eques mutus capit aure tristi,
irruit collo rigidae supremum, ab
corde cor vellit lacerum, et fugacem
fert equus ultra.

Alpibus sparsos ubivis ad arma
convocat praeceps socios, piosque
picta crux ornat, tumulumque sacrum
visere tendunt.

Fortium victrix ibi multa patrat
facta praeclare manus ac cohortes
frangit hostiles galeata turma,
fulguris instar.

Impias turbas equitis tremendum
perculit nomen, sed amantis aegrum
pectus occulto cruciatur igni
nec revalescit.

Pertulit vulnus grave iam per annum,
impotens perferre et abhinc dolores
atque desperans animi levamen,
castra relinquit.

Cernit ad Joppen tumidis carinam
carbaxis ardens patriaeque amore
tendit ad tractus, ubi cara dulci
vescitur aura.

Ac fores arcis refugus viator
pulsat, et gratae reserantur aedes;
vae! viro verbum grave luctuosam
attonat aurem:

„Sponsa caelorum est sacra virgo
senior quaeris: sociam Mariae [quam tu
ex die hesterno tenet auspiciatum
Numine vinclum.“

Saucius vir nunc ab avis receptum
usque castellum fugit ac reponit
usque thoracem nec equum fidelem
adspicit unquam.

Arce descendens subito superba
nemini notus, valedicit altae,
quippe circumdat generosa amictus
membra pilosus.

Jam parat gnavus casulam locare,
virginis claustro nitido propinquam,
quod super stirpes tiliæ nigrantes
eminet altum.

Heic sedet solus veniente luce,
heic sedet solus fugiente luce
osque durantis viri alumna vitæ
spes pia placat.

Intuens claustrium, quod ei renidet,
intuens horas terit, usque figit
lumen in carae liquidam fenestram,
dum sonat illa,

Dum licet dulcem cupido videre,
illa dum cordi deamata fido
despiciat vallem facie serena,
sideris instar.

Deinde laetus cubitum recedit,
corque tranquillum requiete gaudet,
crastina iam spe recreat soporum
nox hodierna.

Sic dies multos, ita multum et annum
absque lamento, vacuus dolore
torpet exspectans ibi, dum fenestra
consonat illa,

Dum licet dulcem cupido videre,
illa dum cordi deamata fido
despiciat vallem facie serena,
sideris instar.

Sicque sol surgens aliquando primis
lustrat exstinctum radiis; et ore
pallido torpens rigida in fenestra
lumina figit.

De Grammatistarum Scholis

(P. Beudel, Qua ratione Graeci liberos docuerint, papyris, papyris, ostracis, tabulis in Aegypto inventis illustratur. Diss. Monasterii Guestfalarum MCMXI.)

1. De litteris

Puerorum institutio a litteris cognoscendis et scribendis usque ad hunc diem initium capere solet, cum iis ignotis non sit maioribus artibus locus. Iam Plato illo μήτε νεῖν μήτε γράμματα γινώσκειν ἐπίστασθαι (leg. p. 689 D) hominem plane incultum significat¹⁾. Ratio autem, qua in litteris scribendis praeceptores etiam inferioribus p. Chr. n. saeculis usi sunt, eadem fere est, quam Dionysius Halicarnassensis compluribus locis (de admir. vi dic. in Demosth. c. 52; de comp. verb. c. 25) et Quintilianus in institutione oratoria (I. 1, 24sq.) describit. Sed e papyris intellegi non potest, utrum magistri Aegyptii in singulis rebus Quintilianiani an Dionysii secuti sint praecepta. Nam cum ille parvulos litterarum nomina et contextum non prius quam formas discere velit, hic dicit: τὰ γράμματα ὅταν παιδευόμεθα, πρῶτον μὲν τὰ ὀνόματα αὐτῶν ἐμμανθάνομεν, ἔπειτα τοὺς τύπους καὶ τὰς δυνάμεις· εἶδ' οὕτω τὰς συλλαβὰς καὶ τὰ ἐν ταύταις πάθη· . . . ὅταν δὲ τὴν τούτων ἐπιστήμην λάβωμεν, τότε ἀρχόμεθα γράφειν τε καὶ ἀναγινώσκειν κατὰ συλλαβὴν καὶ βραδέως τὸ πρῶτον. (de comp. verb. c. 25.)

Cum iis temporibus, quibus plurae papyri, quas habemus, sunt conscriptae, et litteris grandibus et cursivis, quae dicuntur, uterentur, utraque litterarum forma iam in ludis erat exercenda²⁾. Sed iam prima artis dicendi aetate Graeci artificii quibusdam, quibus pueros ad litteras discendas incitarent, utebantur. Neque Quintilianus vetat „id, quod est motum irritandae ad discendum infantiae gra-

tia, eburneas etiam litterarum formas in lusum offerre, et si quid aliud, quo magis illa aetas gaudeat, inveniri potest, quod tractare, intueri, nominare iucundum sit“. (inst. I. 1, 26.) Idem mos Hieronymo etiam notus erat: „fiant ei litterae vel buxuae vel eburneae et suis nominibus appositae, ludit in eis.“ (ep. fam. II. 15.) Horatius autem aliud puerorum incitamentum his verbis significat:

ut pueris olim dant crustula blandi doctores, elementa velint ut discere prima (sat. I. 1, 25), quod ipsum Hieronymus Gaudentio, ut filiam incitaret, commendavit: interim modo litterarum elementa cognoscat, iungat syllabas, . . . atque ut voce tinnula ista meditetur, proponantur ei crustula multa praemia et quidquid gustu suo suave est.³⁾ Aegyptios autem pueros ludentes elementa arithmetica a magistris didicisse quod Plato narrat (leg. p. 819 B), in horum verborum interpretatione magna cautione nobis est utendum. Nam Aegyptus in Platonis legibus patria eius institutionis, quam sibi optimam finxerat, quasi Utopia, est.⁴⁾ Nunc autem papyri Graecae Aegyptios inferioribus quidem saeculis incitamenta eiusdem fere generis, atque Quintilianus dicit, habuisse demonstrant. Nam illae parvae et crassae papyri singulis litteris vel figura quadrata conscriptae, quae Berolini in museo Aegypto servantur,⁵⁾ quid aliud sunt nisi pueri cuiusdam lusus et deliciae? Ne quae amitterentur, post pueri delectationem atque usum filo insertae esse videntur, nam mediae papyri perforatae sunt. Sed summa magistris, vel ut verbo certiore utar, grammatistis reliqua erat: quam accuratissime ii formas litterarum prae-

¹⁾ cf. Herond. Διδασκαλ. v. 22
ἐπίσταται δ' οὐδ' ἄλλα συλλαβὴν γινῶναι.
Parmeno ap. Athen. V. p. 221 A
Σκυθιστὶ φωνεῖ οὐδὲ κόπτα γινώσκων.
Anthol. Pal. XI. 132
οὐ δύναιτ' ἄλλα γράφειν.

(Crusius, Untersuch. zu den Mimiamben des Herondas. Leipzig 1902. p. 58/59.)

²⁾ saepius discipuli scripturas grandibus litteris exaratas litteris cursivis imitati sunt. cf. illam fabulam, quam infra (disputans de singulis grammaticorum officiis) attuli.

³⁾ cf. Luc. περί παρασ. 13: καλῶς νῆ Δί' ἔγραψεν ὁ παῖς, . . ., δότε αὐτῷ φαγεῖν. οὐκ ἔγραψεν ὀρθῶς, μὴ δῶτε.

⁴⁾ cf. Freeman, Schools of Hellas. Lond. 1907 (p. 102).

⁵⁾ neque quo tempore conscriptae neque quo loco inventae sint, constat.

scribebant discipulis, qui „deinde imitari iubebantur proposita et ad illa reformare chirographum“. (Sen. ep. 94, 51.) Papyri et ostraca multa hanc docendi rationem illustrant.⁶⁾ Magistri Aegyptii num adiutorio illo usi sint, quod Quintilianus his verbis significat: „cum vero iam ductus sequi coeperit, non inutile erit eas (litteras) tabellae quam optime insculpi, ut per illos velut sulcos ducatur stilus“ (inst. I. 1, 27,) e papyris diiudicari non potest. Sed hoc loco mihi afferenda videtur tegula quaedam, in qua litterarum ordo stilo exaratus est,⁷⁾ quamquam non in Aegypto sed in Colonia Claudia Savaria (Stein am Anger) inventa est; nam ad illa Quintiliani verba illustranda optime est idonea. Quintilianus quidem, qua ex materia tabellam factam esse velit, dicere omittit. Divitum civium liberi fortasse tabellas aeneas habebant, qua etiam Theodericum, Gothorum illum regem, cum esset scribendi imperitus, usum esse traditum est.⁸⁾ Sed in ludis vilibus Romae vel in remota quadam provinciae regione tegulis, in quibus litteras insculperent, discipuli erant contenti.⁹⁾

⁶⁾ cf. Wesseli commentationem, cui tabulae additae sunt.

⁷⁾ C. I. L. III, 962. Joh. Paur, Sitzungsber. der Wiener Akademie XIV. 1854. p. 133.

⁸⁾ L. Grasberger, Erzieh. u. Unterr. im klass. Altert. Würzburg 1875. tom. II, p. 301. adn. 4.

⁹⁾ Dieterich litterarum formas in illa tegula insculptas carmen magicum putavit (Abc-Denkmal. Rh. M. 56. 1901. p. 83), neque mihi persuasit. Etiam si summam Dieterichii commentationis tangere non audeo, tamen me non omnia, quae in singulis rebus interpretandis protulit, probare fateor. Nam difficillimum est certo diiudicare, si, ut persaepe fit, nihil aliud nisi litterarum ordinem habemus, utrum carmen magicum an pueri scriptum habendum sit. Dieterich ut suam de litterarum ordinibus tum notis sententiam firmaret, demonstrare conatur eos plerumque in sepulcro vel prope sepulcra inventos esse. Quod est argumentum incertissimum, cum mos fuisse videatur, ut puerorum scriptiones una cum corporibus sepelirentur. (cf. Fröhneri tabulas infra allatas.) Neque quod in scholis tegulis usi sunt magistri, mirari licet, cum etiam in ruinis Italiae tegula inventa sit, cui prima Aeneidis verba scribentibus exemplar

Cum magistris satis haerere litterae puerorum animis recto illo, quo fere dici solent, ordine videbantur, retro agebant¹⁰⁾ et varia permutatione turbabant, dum litteras alumni specie novissent, non ordine. (cf. Quint. inst. I. 1, 25.) Etiam Hieronymus nos de hac docendi ratione admonet (ad Ierem. XXV. 26): sicut apud nos Graecum alphabetum usque ad novissimam litteram per ordinem legitur, hoc est Alpha, Beta et cetera usque ad Ω: rursumque propter memoriam parvulorum solemus lectionis ordinem vertere et primis extrema miscere, ut dicamus Alpha Ω, Beta Psi: sic et . . . (cf. ep. XVII.) Usque ad hunc fere diem papyri litteras illo ordine dispositas in ludis conscriptas non habebant: exemplum nobis erat repetendum ex illis puerorum Pompeianorum scripturis in parietibus non multum supra pavementum insculptis.¹¹⁾ Nunc autem ostracon quoddam alterius p. Chr. n. saeculi, quo puer, cum pa-

insculpta sunt (C. I. L. II, 4967), et altera tegula simul cum illa in eadem Colonia Claudia reperta hos versus optime ad puerum educandum idoneus habeat:

senem severum semper esse condecet,
bene debet esse povero, qui discet bene.

cf. hanc tegulam litteris alterius vel tertii p. Chr. n. saeculi conscriptam, quam Ziebarth affert (Oesterreich. Jahreshefte 1910 p. 114) Τοῦ Ἑρωκῶ πολέμου καθ' Ὀμηρ[ον μάχιδαν τάζιν].

¹⁰⁾ cf. Wessely, tab. II (I. p. Chr. n. s.).

¹¹⁾ C. I. L. IV. p. 166. Dieterich hos quoque litterarum ordines carmina magica non suo iure putasse mihi quidem videtur. (cf. Zangemeister p. 164: quas a pueris discentibus profectas esse cum per se verisimile sit, tum inde comprobatur, quod maxima ex parte in parietum partibus inferioribus exaratae sunt!) Cum longum sit hoc loco fusius controversiam de litterarum ordinibus ortam exponere, locos, quibus de iis disputatum est, indico: Hülsen, Römische Mitteil. XXVIII. 1903. p. 73 sq. Dieterich, Archiv für Relig. Wissenschaft VII. 1904. p. 524. Deubner, Archiv VIII. 1905. p. 157. Hiller von Gärtringen, Hackl, Usener, ib. p. 317 sq. Wiedemann, ib. p. 552 sq. R. Wünsch, ib. XII. 1909. p. 415 sq. (cf. Dieterich, Eine Mithrasliturgie² p. 221.) Jahrbücher für lothring. Geschichte XIV. 384 sq. Cabrol, Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie. fasc. I. Paris 1903. p. 53-58.

pyro vel tabula indigeret,¹²⁾ usus est, etiam magistros Aegyptios illud artificium non ignorasse demonstrat:

A	Ω
B	Ψ
Γ	X
Δ	Φ
E	Υ
Z	Τ
H	Σ
Θ	P
I	Π
K	O
Λ	Ξ
M	N. ¹³⁾

2. De syllabis

In syllabis nullum compendium erat: omnes erant perdiscendae neque difficillima quaeque earum erat differenda. (cf. Quint. inst. l. 1, 30.) Primum consonantes secundum litterarum ordinem cum septem vocalibus coniunctae esse videntur: βα βε βη βι βο βυ βω γα γε . . . (Wessely, tab. II. cf. Athen. IX. p. 453 d.) Binarum deinceps consonantium cum singulis vocalibus iuncturas antecedunt septem vocales singulae cum consonante quadam coniunctae, velut αν εν ην ιν ον υν ων, tunc βαν βεν βην usque ad βων. (Wessely, tab. V; l. p. Chr. n. s.) In singulis quidem rebus differentiae vel proprietates quaedam cognoscuntur. Nam etiam vocalis cum vocali coniuncta invenitur: οα οε οη οι οο (Grafton Milne p. 130).¹⁴⁾ In binarum consonantium cum singulis vocalibus iuncturis haec proprietas saepe fuisse videtur, ut prima et tertia littera eadem esset, velut βαβ βεβ βηβ βυβ βοβ βυβ βωβ γαγ γεγ. (Wessely, tab. XII. VI. p. Chr. n. s.) Nam in papyro quadam Berolinensi (B. G. U. I. 153), quam Wessely attulit,

¹²⁾ cf. Diog. Laert. VII. 174. Τοῦτόν (Κλεάνδην) φασιν εἰς ὄστρακα καὶ βοῶν ὀμοπλάτας γράφειν, ἄπερ ἤκουε παρὰ τοῦ Ζήνωνος, ἀπορία κερμάτων ὄστε ἀνήσασθαι χαρτία. Quanti papyrus in Aegypto constiterit, e nonnullis exemplis, quae Sonnenburg (p. 200) affert, apparet. Aegyptii iam ex bis millesimo fere a. Chr. n. anno calcis glaebis in scribendo utebantur. De hoc more cf. Wilcken, Griech. Ostraka. Leipzig u. Berlin 1899. I. 7. adn. 3.

¹³⁾ cf. J. Grafton Milne, Journal of Hell. Stud. XXVIII. 1908. p. 121. An etiam illae litterae κιοηδὸν in columna marmorea, quae Spartaee reperta est, insculptae pueri scriptio habendae sunt? cf. Tillyard, Annual of the British School at Athens. XII. p. 476.

signa cameli venalis hoc modo describuntur: ἐπὶ τῶ δεξιῷ μηρῷ θητα ει και νυ ητα και ἐπὶ τῇ δεξιᾷ σεαγόνι κακ λαλ αλφα. In extrema autem papyro ab ea, quae camelum venditat, hoc modo signa describuntur: ἐπὶ το (sic) δεξιῷ μηρῷ δε και νη και ἐπὶ τῇ δεξιᾷ σεαγόνι κλα, ut kappa supra κακ et lambda λαλ dici cognoscatur. Nisi in ludis illam iuncturam semper in usu fuisse cogitantes hanc notationem vix explicare possumus.¹⁵⁾

3. De verbis

„Tunc ipsis syllabis verba completi incipiat.“ (Quint. inst. l. 1, 31.) Neque papyri neque ostraca huius generis desunt, e quibus papyrus

E	I	N	P	Φ
B	Z	K	Ξ	X
Γ	H	Λ	O	T
Δ	Θ	M	Π	Υ
Ω				

cf. Hall, Coptic and Greek texts of the Christian period from ostraca stelae etc. in the British Museum. London 1905. p. 35, 4, qui abecedarium eodem modo dispositum pueri exercitationem nominat. —

Cum litterae paucis exceptis ipsae quoque notae essent numerorum, etiam has in ludo grammatastae pueri discabant. (cf. Wessely, tab. II. IV; l. p. Chr. n. s.) Sed quamquam complures papyros et ostraca ad computandi artem pertinentia habemus, tamen vix ex iis, quo modo praeceptores hanc artem docuerint, cognosci potest, praesertim cum scriptores Graeci de hac institutionis parte verbis valde pepercisse videantur. Itaque interim satis habeo locos, quibus ea, quae habent aliquid ponderis, edita sunt, enumerare:

Journal of Hell. Stud. XXVIII. 1908. p. 131/32.

(l. a. Chr. n. s.)

Papyri in the British Museum. tom. II. p. 265 (l. p. Chr. n. s.)

Mémoires publiés par les membres de la mission archéologique au Caire. tom. IX. fasc. I. Paris 1892. (VII. VIII s.)

Huc accedit tabula quaedam lignea septimi p. Chr. n. saeculi, quae nondum edita in Museo Berolinensi servatur, et ostracon quoddam, quod in eodem Museo est, quod ad figuram emetiendam spectare videtur.

¹⁴⁾ cf. hanc pueri coptici scripturam: αυ, ευ, ηυ, ιυ, ου, υυ, ωυ vel ια, ιε, ιη, ιι, ιο, ιω, ιω. Krall, Mittel. aus der Sammlung der Papyrus Erzherzog Rainer. IV. Wien 1888. p. 129.

¹⁵⁾ Eadem ratione, qua in litteris, in notis docendis magistros usos esse papyris et tabulis demonstratur. cf. Wessely, Ein System altgriechischer Tachygraphie. (Denkschr. der kais. Akademie der Wissensch. tom. 44. Wien 1896.) Etiam papyrus quamdam anno 155 p. Chr. n. conscriptam affero, quae quidem non tam rationem docendi quam quibus conditionibus pueri, ut notas discerent, magi-

Bouriant¹⁶⁾ eminet. Primum discipulus nomina singularum syllabarum exaravit: αἶξ βοῦς γύψ δρυς Εὐς Ζεὺς ἦρ Θραξ ἰς κλώψ λύξ μῦς νοῦς ξαρ οὖς πούς βῶξ σῦς τίς ὕς φῶς χρώς ψάρ ὄς. Crönert in his verbis conscribendis praeceptorem libro grammatico usum esse animadvertit.¹⁷⁾ Illud nomen ξαρ usque ad hunc diem ignotum est. Sed etiam in altero ostraco paulo post alterum p. Chr. n. saeculum conscripto invenitur, quod simile exercitationis genus habet: νοῦς ξαρ οὖς πούς Ῥωμαίους σοφοὺς ταύρους υἱοὺς φίλους χ . . ους ψ ω . . . ς.¹⁸⁾

Deinde ad verba binarum ternarum quaternarum syllabarum procedebant discipuli. Exempli causa affero nomina papyri Bouriant: Ἄμ[μωv] Αἶα[ς] Ἄτλ[ας] Ἄκτ[ωρ] . . . Βία[ς] Βη[.] Βέ[λος] Βῶρος . . . Ἴβις Ἴβις Ἰώ . . . Μάρω[ν] Μέμω[ωv] Μάϊω[ν] Μέντωρ . . . Τυδεὺς Τηρεὺς Τεῦκρος Τῆτρως . . . Χάροφ Χάρης Χρύσης Χαίρων Ψαύμις Ψήφος Ὠτος Ὠρος.

stris tradi solerent, illustrat: Oxyrh. Pap IV. 724. Pactum, ut fere fit, in epistularum formam redactum est: Πανεχώτης ὁ καὶ Πανάρης τῶν κεκοσμητευκότων τῆς Ὁξυρυγχεϊδῶν πόλεως διὰ Γεμέλλου φίλου Ἀπολλωνίῳ σημειογράφῳ χαίρειν. συνέστησά σου Χαϊράμιμωνα δοῦλον πρὸς μάθησιν σημειῶν, ὧν ἐπίσταται ὁ υἱός σου Διονύσιος, ἐπὶ χρόνον ἑτη δύο ἀπὸ τοῦ ἐνεστῶτος μηνὸς Φαμενῶν τοῦ ὀκτωκαιδεκάτου ἔτους Ἀντωνίνου Καίσαρος τοῦ κυρίου μισθοῦ τοῦ συμπεφωνημένου πρὸς ἀλλήλους ἀργυρίου δραχμῶν ἑκατὸν εἰκοσι χωρὶς ἐορτικῶν, ἐξ ὧν ἔσχες τὴν πρώτην δόσιν ἐν δραχμαῖς τεσσαράκοντα, τὴν δὲ δευτέραν λήψῃ τοῦ παιδὸς ἀνευληφότος τὸ κομεντάριον ὅλον ἐν δραχμαῖς τεσσαράκοντα, τὴν δὲ τρίτην λήψῃ ἐπὶ τέλει τοῦ χρόνου τοῦ παιδὸς ἐκ παντὸς λόγου περὶ τῶν γράφοντος καὶ ἀναγεινῶσκοντος ἀμέμπτως τὰς λοιπὰς δραχμὰς τεσσαράκοντα. ἐὰν δὲ ἐντὸς τοῦ χρόνου αὐτὸν ἀπαρτίσῃς, οὐκ ἐνδέξομαι τὴν προκαιμένην προδεσμίαν, οὐκ ἐξόντος μοι ἐντὸς τοῦ χρόνου τὸν παῖδα ἀποσπᾶν, παραμένει δέ σοι μετὰ τὸν χρόνον, ὅσας ἐὰν ἀργύρη ἡμέρας ἦ μίγνας. [Ὡς] αὐτοκράτορος Καίσαρος Τίτου Αἰλίου Ἀδριανοῦ Ἀντωνεῖνου Σεβαστοῦ Εὐσεβοῦς. Φαμενῶνδ ἑ. cf. Wessely, Archiv für Stenographie 56. 1905. p. 36.

¹⁶⁾ Papyrus e Ms. Bouriant, qui eam emit, nomen traxit et edita est in Studien zur Paläographie und Papyruskunde VI. p. 148, Crönerti adnotationibus ornata (p. 185). (Ziebarth, Kleine Texte p. 15.) Papyrus litteris grandibus quarto p. Chr. n. saeculo a puero quodam christiano conscripta esse videtur, nam omnes codicilli paginae signo crucis ornatae sunt.

¹⁷⁾ Crönert p. 185: περὶ μονοσυλλάβων ὀνομάτων. Arkad. p. 124 127 B.

¹⁸⁾ Grafton, Milne p. 124. — An nostro iure putamus illud ξαρ primis litteris trans-

Ἄχλλε[ύς] Αἰακός Ἀθάμα[ς] Ἀντήν[ωρ] . . . Μαρσύας Μένανδρος Μοσχίων Μενεσεύς . . . Χαρίκλῆς Χλέμυλος Χρόμιος Χαίρεφῶν Ψαύμιος Ψηρίας Ὠρίων Ὠλενος.

[Ἄγα]μέμνων [Ἄν]τύλοχος [Ἄγ]απήνωρ [Ἀρί]σταρχος κτε.

Similia sunt haec, quae ostracon quoddam alterius p. Chr. n. saeculi habet: Ἀχιλλεὺς Βίων Γάιος Δίων Ἐρωσ Ζήνων Ἡρων Θέων Ἴων Κλέων Λέων Μάρων Ν . . . Ἐέρξης Ὀρφεὺς Π . . . Ῥούφος Σ . . . Τ . . . Γ . . . Φύων Χ . . . Ψ . . . Ὠ . . .¹⁹⁾

Quae verba omnia secundum litterarum ordinem disposita sunt. Quin etiam singulae sententiae narratiunculae cuiusdam a puero conscriptae, quam hoc loco afferre licet, quamquam de singulis verbis disputo, illum ordinem servaverunt. Nam papyrus quaedam primi p. Chr. n. saeculi²⁰⁾ post scriem nominum artificum (velut ἀρτοκόπος βαφεὺς γναφεὺς δοροξὺς ἐλευργὸς ζωγράφος ἡπητής θωρωκοποιός . . .) hanc narrationem habet:

Ἀπόλλυταί μου [ἱμάτιον] Βίαιος ο . . πλ . . . Γενέως ὦ ἄρας Δέκα στατήρων ἡγόραστε Εἰ γὰρ ἦν τρίβων οὐκ ἂν ἔλοιπήθην Ζητῆ καὶ οὐχ εὐρίσκω ἤρτε ἀλθῶς Θυμοῦ περιπεσῖτε Ἴσα οὕτω ἦρκε Κάλλιστον ἱμάτιον Λέων ὁ ἄρας Μιωρὸς ὁ ἀπολέσας Νυκτὶ ἦρται Ξένος ὁ ἄρας Οὐδὲν τηλικούτω Πινέσω ἐματόν Ῥιγῶ γὰρ Σημένεται μοι Τηρὶ με γάρ. Ἰποκάτω . . . ἠτε Φ . . . βωι Χιμῶν γάρ ἐστι Ψύχος πολὺ Ὡς ἦν ἀτυχῆς τοῦ πάμπλου.

Nostro iure concludemus praeceptorem litterarum ordine servato, ut facilius narrationem discipulus edisceret, egisse.²¹⁾

mutatis corruptum esse ex nomine σκᾶρ, quod de Wilamowitz Kaibelio probante in Epicharmi quodam versu (fr. 54, 3 Kaibel, fr. 24, 3 Ahrens) pro illo σκᾶρ satis vobis restituit? Ne in eo offendas, quod verbum foedissimum in puerorum exercitationibus scriptum exstat; nam ne unum quidem nomen unius syllabae praeter hoc erat, quod ex littera ξ incipiebat.

¹⁹⁾ idem p. 122.

²⁰⁾ Tebtunis Pap. II, 278.

²¹⁾ Admonet narrationis forma de illis carminibus abecedariis, quorum notissimus fere est Augustini ille Psalmus contra partem Donati scriptus. Sed illa carmina certe alio spectant (cf. Dieterich, Rh. M. 56. 1901. p. 94), et vix credibile est Augustinum illum psalmum, quem, ut Donatarum causa ad notitiam indoctorum hominum perveniret, composuit, ea de causa secundum litterarum ordinem disposuisse, ut vulgus eum facilius decantare posset.

Iam in singulis illis verbis scribendis pueri ad imitationem virorum clarorum incitabantur. Itaque nomina virorum, quorum facta Homerus imprimis enarravit, eligebantur, non minus autem eorum, qui in bello contra Persas gesto de patria optime meriti erant.²³⁾ Ita in Herondae mimiambo, cui inscriptum est Διδάσκαλος, senem filio improbo nomen Maronis dictasse mater narrat magistro: v. 24 τριθημέρη Μάρωνα γραμματίζοντος τοῦ πατρὸς αὐτῆς τὸν Μάρωνα ἐποίησεν οὗτος Σίμωνας ὁ χρηστός.

Maron autem pugna apud Thermopylas facta fortissimum se praestiterat (cf. Herod. VII. 227), cum Simonis nomen illis temporibus esset contemptum. (cf. Crusius p. 59/60.) Etiam multo inferioribus saeculis, e quibus puero- rum scriptiones sunt servatae, Maron

²³⁾ cf. F. P. G. II. p. 351 Mullah: ἐν ἀλλοτριῶσι παραδείγμασι παιδεύει ἑαυτὸν καὶ ἀλλότριος τῶν κακῶν ἔσθ. Senec. ep. 6. 5: . . . quia longum iter est per praepcepta, breve et efficax per exempla. 52. 3: quosdam indigere ope aliena, non ituros, si nemo praecesserit, sed bene secuturos (Epicurus dixit). (cf. Graserberger II. p. 86.) — Pueros et adulescentes Graecos maiorum praesertim belli Persarum facinoribus a magistris imbutos esse, etiam eo elucet, quod Choerilli carmen in manibus Lini, Herculis praepceptoris, fuisse narratur. Alexis enim in fragmento quodam, quod apud Athenaeum (IV. p. 164 B - D) exstat, Linum haec dicentem facit:

Ἵρφεὺς ἔνεσπν, Ἵσίδος, τραγῳδίαι,
Χοῖριλος, Ὀμηρος, Ἐπιχάρμος, συγγράμματα
παντοδαπά.

Addo Anthol. Pal. ep. XI 335, quod Crusius (Untersuchungen p. 69) attulit:

Ἀδέσποτον.

ἽΩ τλήμων Κυνέγειρε, καὶ ἐν ζῳίῳι καὶ ἀπελθῶν,
ὡς αἰ κόπτηρ ῥήμασι καὶ κῶσιον.
Πρόσθε μὲν ἐν πολέμοισι τετὴ πέσε μαρναμένη χεῖρ,
ὄν δὲ σ' ὀ γραμματικὸς καὶ ποδὸς ἐστέρισην.

Ad quos versus Deubnerus notavit: „ . . . nam frequens fuit declamationum sophisticarum argumentum Cynaegiri et Callimachi egregia in pugna Marathonica facinora.“ cf. Luc. ῥήτ. διδασκ. 18: ἐπὶ δὲ πᾶσι ὀ Μαραθῶν καὶ ὀ Κυνέγειρος, ὄν οὐκ ἄν τι ἄνευ γένοιτο. cf. Polemonis declamationes εἰς Κυναίγειρον καὶ Καλλιμαχον. Coptes autem in pueris instituendis imprimis nomina virorum libris sacris tradita elegisse, e fragmentis librorum elucet, quae Krall p. 131 edidit. (cf. Hall p. 39.) Iisdem illud Dionysii γράφειν καὶ ἀναγιγνώσκειν κατὰ συλλαβὴν (de comp. verb. c. 25) illustratur:

σαμ : σων σα : σουλ
σαλ : μων σῖ : μων

pueris exemplo fuisse videtur. cf. illa papyri Bouriant et ostraci cuiusdam nomina, quae in pag. 12 attuli.

Restat, ut commemorem praepceptores in illa στοιχειωτικῆ τῶν παιδῶν διδασκαλίᾳ praescriptis usos esse, in quibus syllabae asperrime coibant vel etiam totum alphabetum comprehendebatur. Quintilianus tangit illum morem his verbis (inst. I. 1, 37): „non alienum fuerit exigere ab his aetatibus, quo sit absolutius os et expressior sermo, ut nomina quaedam versusque adfectatae difficultatis ex pluribus et asperrime coeuntibus inter se syllabis catenatos et veluti fragosos quam citatissime volvant: χαλινοί Graece vocantur.“ Neque Clemens Alexandrinus illum morem ignorabat, qui ipse tria illius generis praescripta tradidit (στρωμ. p. 674/76. Pott 359/60 Stählin): βέδου ζάψ χδῶμ πληκτρον σφίγγε. κναξζβίχ θύπτης φλεγμῶ δρώψ. μάρπτε σφίγγε κλώψ ζβυχθηδῶν.

Eadem praescripta nunc in papyro quadam scholastica primi p. Chr. n. saeculi inventa sunt, quibus optime Clementis verba probantur:²⁴⁾

κναξζβιχθυπηφλεγμοδρωψ
βέδουζαψχθωνπληκτρονσφίγγε.²⁴⁾

²³⁾ cf. Wessely tab. II.

²⁴⁾ Nonnulla verba antiquissima esse ex illo στρωματέων loco elucet. confer haec: ἔμπαιιν δὲ ὀ κωμικὸς Φιλίλλιος (qui erat Suida teste veteris comediae poeta), βέδου τὸν ἀέρα βιόδωρον ὅπα διὰ τούτων γινώσκει:

ἔλκειν τὸ βέδου σωτήριον προσεῦχομαι,
ὅπερ μέγιστόν ἐστιν ὑγιείας μέρος,
τὸ τὸν ἀέρα ἔλκειν καθάρων, οὐ θεολώμενον.

(C. A. F. I. p. 787 Kock; Clem. 673/74 P.; 357 St.) συνομόλογος τῆς τοιαύτης δόξης καὶ ὀ Κυζικηνὸς Νεάνθης γράφων τούς Μακεδόνων ἱερεῖς ἐν ταῖς κατευχαῖς βέδου κατακαλεῖν ἵλεω αὐτοῖς τε καὶ τοῖς τέκνοις, ὅπερ ἐρμηνεύουσιν ἀέρα. (F. H. G. III. p. 9.) . . . Διόνυσος ὀ Ἴαμβος (praepceptor Aristophanis Byzantii, cf. P. - W V. 915. 36) ὁμοίως: πόντου μανομένοιο περιστῆνείε ἀλυκῆ ζάψ. ὁμοίως δὲ Κρατῖνος ὀ νεώτερος κωμικὸς: καρτίδας ἦ ζάψ ἐνφέρει κ' ἰχθυῖδια. (C. A. F. II. p. 293 Kock.)

Sed horumne auctororum temporibus iam seriem verborum notam fuisse nostro iure putamus? Illud Thespidis quin ab impostoribus fictum sit, Nauck quidem non dubitat:

ἴδε σοι σπένδω κναξζβι τὸ λευκὸν
ἀπὸ θηλαμόνων θλίψας κνακῶν,
ἴδε σοι μέλιτι γθύπητην τυρὸν
μίξας ἐρυθρῆ κατὰ τῶν σῶν, Πᾶν
δίκερος, τίθειμαι βωμῶν ἄγιαν
ἴδε σοι βρομίου [αἰδοπα] φλεγμὸν λείβω.

Nuntii Menstrui Mensis Augustus

1. Bucaresto nuntiatur balcanicarum ibi civitatum legatos de pace agere coepisse.

Barcinone cessantes operarii cum custodibus publicis congregiuntur Septendecim milia militum parata habentur ad tumultus supprimendos.

Afferuntur nuntii Bulgaro s non longius contendere de Adrianopoli et Cavalla urbibus sibi tradendis.

2. Neo-Eboraco affertur eodem loco, quo „Titanica“ interierit, proram navis in scopulis submarinis conspici.

4. Indutiae balcanicae triduo prorogatae sunt.

6. Senatus Francogallorum articulum 18 legis de annis stipendii augendis, quo, ut tres imposterum annos milites mereant. sancitur, accipit.

7. Americae septemtrionalis praeses Lindium, Minnesotae provinciae ante procuratorem, ad Mexicanos misit, ut Americanorum ibi commoda tueretur.

Serbis conditiones pacis utique probantur. Multis locis, Singiduni imprimis, homines laetitia exsultantes belli finem festis et commissationibus celebrant.

8. Panslavistae qui vocantur russici iracunde ferunt pacem de rebus balcanicis factam: Bulgaros dicunt Russorum gratiam non omisisse solum, sed sua ipsorum culpa corripisse.

10. Bucaresto: Hodie mane hora nona et media foedus pacis inter civitates balcanicas faciendum legatorum subscriptione firmatum est.

12. Rex Bulgarorum gratias agens regi Rumaniae, quod intercessione sua bello finem imposuisset, scripsit se vehementer sperare arctiore mox amicitia utrosque populos fore coniunctos.

13 Augustus Bebel, socialisticae factionis germanicae auctor atque dux praestantissimus, Turici moritur tertium agens et septuagesimum annum.

Magnis civitatibus de occupata Adrianopoli respondentes Turcae dicunt se tuendorum finium causa urbem capere coactos fuisse. Cui si illae accedant consilio, pace eas usuras esse sempiterna.

Dextrud Groenlandensis septemtrionem petere statuit folle aereo a Spitzberga profecturus.

Declarant Russi se sine certis Europaeorum civitatum mandatis nihil facturos esse, ut Turcae Adrianopoli discedant.

18. Dicunt Turcae in animo habere copias suas a dextra Marizae fluminis ripa reducere.

19. Budapestini Tisca certamen inicit cum Pallavicini comite, in quo uterque eorum leviter laesus est.

Imperium germanicum certius fecit gubernium americanum se ab universali artium quaestuumque, qui Sancti Francisci in urbe institueretur, ostentu publice adiuvando abstinere.

21. Curribus viae ferratae Romam inter Neapolimque orbita excussis tres homines necati sunt, alii decem vehementer laesi.

Turcae declaraverunt copias suas Marizam flumen non esse transituras.

22. Foederatarum Americae civitatum cum Mexicanis rationes in meliorem mutari statum incipiunt.

24. Londini decem milia dealbatorum ab opere discedunt. Timor est ne fabri quoque se adiungant cessantibus omnisque in urbe aedificatio iacere incipiat.

25. In monte Sti. Michaelis prope Kelheim sito coram Imperatore regni Bavarici procuratore multisque aliis principibus memoria Germaniae ante hos centum annos servitute liberatae sollemniter celebratur.

26. Nankinienses sese copiis urbem oppugnantibus dederunt.

28. Wilson, Americanorum praeses, populares suos Mexicanam terram colentes admonet, ut alio transferant domicilia sua.

Catalogi antiquarii

J. Gamber, Paris — Cat. 83: L'homme préhistorique, pgg. 79 (Archéologie grecque, romaine et orientale 23—44).

Schubert & Seidel, Königsberg — Cat. 4 (1913): Verschied. Wissenschaft., 1—1492 (Sprach-, Literatur- u. Altertumswiss. 876—1090).

Responsorium

M. T.: Erras. Ipse Papa eadem in omnibus orbis terrarum ecclesiis uti pronuntiatione latina iussit, qua nunc Itali utuntur. Quo praecepto apud Francogallos mirum clericales inter et saeculares scholas factum est discidium. Illae enim cum secutae sint sacerdotum exemplum, saecularibus qui praesunt scholis quaerendum esse a summa institutionis publicae praefecto putaverunt, admitterentne novam an repudiarent docendi rationem. Is rem eorum, qui de ipsa scholarum disciplina consultant, arbitrio permisit multamque post deliberationem visum est nihil de pristina consuetudine mutare. Licet tamen rectoribus scholarum, si velint et possint, discipulos suos de tota pronuntiationis latinae quaestione edocere.

Sententiae

Marcet sine adversario virtus.

Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil umquam evenit adversi. Seneca

O quam res est contempta homo, nisi supra humana surrexerit! Demetrius

Licet, quod cuique libet, loquatur, credere non est necesse. Seneca

Omnia transibunt, nos ibimus, ibitis, ibunt, Cari et non cari, conditione pari. Cicero

Sententiae latine reddendae:

Die Einwirkung der Anwälte auf die Bildung des Rechts kann in einem internationalen Zusammenschluss der Anwaltschaft dazu führen, dass die Anwälte an jenen hohen Aufgaben mitarbeiten, die bisher mit gutem, wenngleich langsamem Erfolge von den wissenschaftlich tätigen Juristen ausgeführt wurden, die sich zu dem Institut du droit International Civil vereinigt haben, und deren wertvollste Ergebnisse die internationalen Verträge über einzelne Gebiete der Zivilprozessordnung und des internationalen Privatrechts sind. Hier ist unendlich reicher unbearbeiteter Boden für gemeinsame internationale Arbeiten und Beratungen der Anwälte, um zunächst durch eigene Vorarbeit in der Heimat, alsdann in der Beratung der Arbeiten auf internationalen Kongressen Rechtsstoffe, die wegen der Gemeinsamkeit des Bedürfnisses aller Völker und wegen der diesbezüglichen Uebereinstimmung in der rechtlichen und sittlichen Auffassung

gleichmässig geregelt werden können aufzusuchen, die internationale Regelung vorzuarbeiten, und das Ergebnis der Beratungen den Regierungen zu unterbreiten, zum weiteren Ausbau der bestehenden Staatsverträge über die Regelung der internationalen Rechtsbeziehungen der Völker.

Zu solcher segensreichen Arbeit dient die Anknüpfung internationaler Beziehungen unter den Anwaltsvereinigungen, deren Beginn in dem Austausch der Vereinszeitschriften und in der Einberufung internationaler Anwaltskongresse zu finden sein wird. Will die deutsche Anwaltschaft hier die Einführung übernehmen, so wird sie sich ein Ruhmesblatt in der Geschichte der Rechtsentwicklung unseres Vaterlandes und zugleich in der Geschichte der Rechtsentwicklung aller Völker sichern.

Dr. Eduinus Katz, a cons iust., Berolin.
(Jurist. Wochenschr. 1911, 16)

Huic penso qui satisfecerit optime, gratis accipiet librum:

Witting, Die antike Kunstsprache. Technisches lateinisch-deutsches Wörterbuch. Strassburg, Heitz, 1913. 2.50 M.

Censura Librorum

Römische Dichter in deutschem Gewande. Catull, Horaz, Tibull. Von Oberlehrer Dr. Karl Belau. Beilage zum Jahresbericht des Königl. Realgymnasiums in Dirschau Ostern 1912. 64.

Quemadmodum carmina poetarum nostris temporibus florentium in sermonem Latinum translata cognoscere iuvat cum alios tum lectores nostros, sic gratum et acceptum est semperque fuit etiam vatum Romanorum poemata legere nostram in linguam conversa. Qui est qui haud parvam ignoret copiam eorum, qui imprimis Catulli et Horatii opera Germanicis reddere numeris susceperunt? Unus ex recentissimis veterum interpretibus existit Carolus Belau vir doctissimus, qui e Catulli et Horatii nec non Tibulli carminibus pulcherrima sibi visa ac dignissima quae denuo inter nostrates pervulgarentur elegit et Germanice convertit vel effinxit non sine arte et elegancia compluries admiranda. Ex his maxime nobis quidem arrident carmina: Catulli 2 (Liebhens Liebling), 3 (Liebhens Leid), 8 (Entsagung), 22 (Eitelkeit), 51 (Liebeszauber), 76 (Treue); Horatii II, 18 (Zufriedenheit), III, 9 (Versöhnung), III, 15 (Einer Alten ins Stammbuch), IV, 3 (Die Muse). Notandum videtur auctorem in Horatio vertendo interdum supersedisie nomina propria vel rariora vel minus nota conversioni Germanicae inserere, quippe quae ad intellegendum quid poeta vetus nobis quoque dicere voluerit minoris sint momenti.

Quod attinet ad metra adhibita, saepius translator nescio an non omne tulerit punc-

tum. Perpauca sane poemata metris genuinis iisque meris reddita invenimus, velut Catulli 11 et 51; in Horatii c. III, 21 a metro Alcaico, quod secutus est, translator crebrius, praecipue in ultimo cuiusque strophae versu, aberravit. In compluribus carminibus altera pars strophae metrum antiquum, altera arbitratu translatoris usurpatum exhibet, e. g. Hor. I, 22 (Gefeit) et I, 25 (Verlorene Liebe), in quibus metri Sapphici Adonius tantum versus retinetur, II, 3 (Gleichmut), II, 7 (Wiederseh'n), II, 18 (Zufriedenheit), id quod vereor ne lectores quidam lugeant. Nec deerunt — n. q. s. — qui illi conversioni, qua Horatii illud praeclarissimum c. I, 22 „Integer vitae“ (pag. 35) iocose et petulanter tractatur iniectis multis nominibus hodiernis (vide Hottentotten, Apachen, Grunewald, Kongo, Pistolen, al.), mediis in carminibus seriis gravibusve locum non fuisse tribuendum censeant. — In Tibullo effingendo auctor singula disticha reddidit binis versibus, qui prioribus versibus Nibelungensis quae vocatur strophae respondent.

Lhm.

Von Schönheit und Freude. Eine Anthologie. 4.—5. Taus. Leipzig, Fritz Eckardt, 1911. 70. 0,15 M.

Scitum mihi videtur esse, quod ipse editor ex viginti fere poetis, quorum opera quattuor annis edidit, electa quaedam exempla iis, qui cognoscere velint, parvo pretio praebet. Additae sunt vitae poetarum ab his ipsis fere adumbratae et enumerata eorum opera omnia. Quo fit, ut, quem quisque maxime adamaverit poetam, hunc sibi eligere et mandare possit. Cognoscite igitur poetarum amici, haec recentiorum ac recentissimorum, quos honoris causa voco, exemplaria! Poterunt animos vestros

delectare atque erigere; docebunt vos non emortuam esse in Germania gentem poetarum. — Qui multa obtulerit, nonnullis aliquid certe offeret. Lp.

Libri latini nostra aetate prodeuntes

Prudentissimum Lucasculi nostri consilium sequentes hac sub inscriptione omnium deinceps librorum titulos indicabimus latine scriptorum. Quia in enumeratione ut certus, a quo ordiamur, terminus ponatur, retrogradiamur usque ad initium anni: ante hoc tempus editi libri omittentur. Omittentur quoque veterum scriptorum opera, nisi commentario vel praefatione saltem latina sint instructa; novae tamen editiones cuiuslibet libri secundum has conditiones in indicem recipiendi publicabuntur.

Hoc dum promittimus, non sumus nescii rem a nobis susceptam haud parvae esse difficultatis. Speramus autem lectores nostros, qua sunt fueruntque erga nos benevolentia, nos, quam maxime possint, esse adiuturos, idque ut faciant, peregrinos imprimis amicos vehementer rogamus atque oramus. Ed et. Red.

1. Wordsworth, J. C., *Folia Poetica*. 71. Cambridge, Heffer & Sons. 1 sh.

2. Breslauer philologische Abhandlungen. Hrsg. v. Prof. Rich. Förster. Breslau, Marcus. 45. Heft: Raschke, Rob., *De Alberico mythologo*. IV, 164. 6,80 M.

3. — — — 46. Heft: Opitz, Alfons, *Quaestiones Xenophontae: de Hellenicorum atque Agesilai necessitudine*. VII, 88. 3,60 M.

4. *Bibliotheca Scriptorum Graecorum et Romanorum Teubneriana*. Archimedis opera omnia cum commentariis Eutoctii. Iterum ed. Prof. J. L. Heiberg. Vol. II. XVIII, 554, cum fig. 7,40 (8) M.

5. — — — Libanii opera. Rec. Rich. Foerster. Vol. VII: *Declamationes XXXI—LI*. Acced. Gregorii Cyprii adversus Avari declamationem Libanianam antilogia. XV, 739. 15 (15,80) M.

6. — — — Valeri Flacci Setini Balbi, C., *Argonauticon libri octo*. Ed. Otto Kramer. LXXXVI, 218. 3,60 M.

7. — — — Festi, Sexti Pompei, de verborum significatu quae supersunt cum Pauli epitome. Thewrewkianis copiis usus ed. Wallace M. Lindsay. XXVIII, 574. 12 (12,60) M.

8. *Commentationes Philologicae Jenenses*. Ed. seminarii philologo-

rum Jenensis professores. Lipsiae, Teubner. Vol. X, fasc. 1: Barwick, Car., *De Platonis Phaedri temporibus*. IV, 76. 3,20 M.

9. — — — Vol. X, fasc. 2: Rasch, Joan., *Sophocles quid debeat Herodoto in rebus ad fabulas exornandas adhibitis*. VI, 126. 5 M.

10. *Dissertationes Philologicae Halenses*. Halle, M. Niemeyer. Vol. XXI, pars 2: Quandt, Guil., *De Baccho ab Alexandri aetate in Asia minore culto*. V, pag. 107—279.

11. *Commentationes Aenipontanae*, quas edit E. Kalinka. Ad Aeni Pontem (Innsbruck), Wagner. VII: Knuenz, J., *De enuntiativis Graecorum finalibus*. 44. 1 M.

12. — — — VIII: Blum, J., *De compositione numerosa dialogi Ciceronis de amicitia*. 80.

13. *Ephemeris Epigraphica*, corporis inscriptionum latinarum supplementum, edita iussu Instituti Archaeologici Romani (cura Th. Mommseni(†), O. Hirschfeldi, H. Dessau). Vol. IX, fasc. 4. III, pg 509—763. Berolini, Reimer. 16 M.

14. *Ciceronis, M. Tulli, paradoxastocorum, delegibus libri*. Ed. Theodor. Schiche. 90. Vindobonae-Lipsiae, Tempsky. 1 M.

15. *Papyri Jandanae*. Cum discipulis ed. Car. Kalbfleisch. Lipsiae, Teubner. Fasc. 2: *Epistulae privatae graecae*. Ed. Leonh. Eisner. Pgg. 35—73, cum 3 tab. phototyp. 2,40 M.

16. *Scriptores historiae Augustae*. Iter. rec. apparatusque critic. add. Hermann Peter. Vol. I (Anastat. Neudr.) XLII, 299. Lipsiae, Teubner. 3,60 (4) M.

17. Ben Jehuda, E., *Thesaurus totius hebraeitis*. Vol. IV, fasc. 5, 6. Berlin-Schöneberg, Langenscheidt. 3,40 M.

18. Cybulski, Steph., *Tabulae quibus antiquitates graecae et romanae illustrantur*. Lipsiae, Koehler. *Νομίσματα ελληνικά — Nummi graeci*. Ed. II. 4 M.

19. *Commenti Donatiani ad Terenti fabulas scholia genuina et spuria probabiliter separare conatus est H. T. Karsten*. Vol. II: *Accedunt indices*. V, XIX, 349. Lugduni Bat., Sijthoff. 5 M.

20. Forcellini, Aeg., *Lexicon totius latinitatis a F. lucubratum, dein a los. Furlanetto emendat. et auct., nunc demum Fr. Corradini et Jos. Perin curantibus emendatius et auctius melioremque in formam redact. adjecta altera quasi parte onomastico totius latinitatis opera et stud. Jos. Perin. Tom. V. Etiam sub tit.: *Onomasticon totius latinitatis opera et stud. Dr. Jos. Perin lucubratum*. Tom. I, fasc. 1. VII, pgg. 1—80. Patavii (Leipzig, Brockhaus & Pehrsson). 3 M.*

21. *Codices graeci et latini photographice depicti* duce Biblioth. Dir. Scatone de Vries. Tom. XVIII: Lucretius. Codex Vossianus quadratus phototypice edit. Praef. est Aemil. Chatelain. V, XII, 138. Lugduni Bat., Sijthoff. 130 *M.*

22. *Religionsgeschichtliche Versuche und Vorarbeiten*. Hrsg. v. Rich. Wunsch u. Ludw. Deubner. Gießen, Töpelmann. XIII, 3: Latte, Kurt, *De saltationibus Graecorum capita quinque*. II, 112. 4 *M.*

23. — — — XIV, 1: Linck, Kurt, *De antiquissimis veterum quae ad Jesum Nazarenum spectant testimoniiis*. 115. 4 *M.*

24. *Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum*. Edit. consilio et impensis Academiae Litterarum Caesariae Vindobonensis. Wien, Tempsky. Vol. LXII. S. Ambrosii Opera. Pars V. *Expositio Psalmi CXVIII*. Rec. M. Petschenig. XII, 538. 16 *M.*

25. Ritter, H., et Preller, L., *Historia philosophiae graecae*. Testimonia auctorum conlegerunt notisque instruxerunt R. et P. Ed. IX quam curavit Eduard. Wellmann. Gotha, F. A. Perthes. 12 (13) *M.*

26. *Acta Pontificii Instituti Biblici*. Nuntia de rebus Instituti Romae, Bretschneider. Vol. I, 9. Pgg. 103 — 130. 0,40 *M.*

27. *Studia Leopolitanea*. Ed. Stanislaus Witkowski. Leopoli, Gubrynowicz & Sohn. I: Handel, Jac., *De lingua communi in titulos Jonicos irrepente*. 71. 2,60 *M.*

28. *Martyrologium Romanum*. Gregorii XIII jussu ed., Urbani VIII et Clementis X auctoritate recognitum ac deinde anno MDCCXLIX Benedicti XIV opera ac studio emendatum et auctum. Ed. typica vaticana auspice S. S. D. N. Pio papa X confecta, in qua sanctorum et beatorum extant elogia. CXLIX, 673, c. imag. Ratisbonae, Pustet. 3,60 *M.*

29. *Inscriptiones Graecae*. Consilio et auctoritate Academiae Litterarum Regiae Borussicae editae. Berolini, Reimer. Vol. V, fasc. I: *Inscriptiones Laconiae, Messeniae, Arcadiae*. Fasc. I: *Inscriptiones Laconiae et Messeniae*. Ed. Gualtherus Kolbe. Additae sunt tabulae 7. XXVIII, 377, c. imag. 71,50 *M.*

30. Griesbacher, Pat., *Psalterium vespertinum*. Tonus octo cum peregrino et solemnibus complectens, ver-

sibus singulariter melodiis vaticanis suppositis additis antiphonis marianis et tonis „Deo gratias”. Op. 169. XV, 200. Ratisbonae, Pawelek. 5 (6) *M.*

31. *Patres Apostolici*. Text. rec. adnotat. criticis, exeget., histor. illustr., version. latinam, prolegomena, indices addid. Franc. Xaver Funk. Vol. II. Editionem III in valde auctam et emendatam paravit Franciscus Diekamp. E. s. t.: *Patres apostolici*. Editionem Funkianam novis curis in lucem emisit Franciscus Diekamp. Vol. II: *Clementis Romani epistulae de virginitate eiusdemque martyrium; epistolae Pseudignatii; Ignatii martyria; fragmenta Polycarpiana; Polycarpi vita*. VIII, XC, 490. Tubingae, Laupp. 8 (10) *M.*

32. *Florilegium patristicum*. Digess., vert., adnot. Prof. D. Dr. Gerardus Rauschen. Fasc. VIII. *M. Minucii Felicis Octavius*. XIV, 64. Bonnae, Hanstein. 1,40 (1,60) *M.*

33. *Spicilegium Palimpsestorum per Sancti Benedicti monachos archiabbatiae Beuronensis arte photographica paratum*. I. *Codex Sangallensis*. Lipsiae, O. Harrassowitz. 80 *M.*

34. *Euleri, Leonh., Opera Omnia*. Sub ausp. Societ. Scientiarum Naturalium Helveticae edenda cur. F. Rudio, A. Krazer, P. Stäckel. Series I. *Opera mathematica*. Vol. X: *Institutiones calculi differentialis*. Ed. Gerh. Kowalewski. 676. Lipsiae, Teubner. 32 *M.*

35. *Scripta Pontificii Instituti Biblici*. Smit, Joh., *De daemoniacis in historia evangelica*. Dissert. exegetico-apologetica. XXIII, 590. Romae, M. Bretschneider. 5,60 *M.*

36. Wagner, Jos., *De nuntiis comicis*. Diss. Vratisl. 86.

37. Streich, Frid., *De exemplis atque comparationibus, quae exstant apud Senecam Lucanum Valerium Flaccum Statium Silium Italicum*. Diss. Vratisl. 115.

38. Jäkel, Berth., *De optativi apud Dionem Chrysostomum et Philostratos usu*. Diss. Trebniciae (Vratisl.). 99.

39. Tschuschke, Alex., *De πρὶν particulae apud scriptores aetatis Augustae prosaicos usu*. Diss. Trebniciae (Vratisl.). 36.

Ex Epistulario Redactoris

Vagantem rure me latinitatis
Loquela praepotens aggreditur;
Trementer verba vertere conatis
= er opem, r usa levis! Poscimur!

C...

Quid nobis lex grammatica doctorum
Quid classicae dictionis regula? —
Vagans et ipse — quin Scholasticorum
Juxta Maronis ponam carmina?

**Quattuor Eiusdem Carminis Goethiani Versiones:
„Wanderers Nachtlied“**

Quae delapsa caelitus
Luctus sedas ac dolores,
Te implorat languidus,
Dulces ut effundas rores:
Ecce iactant agitato
Maeror me et vana spes:
Me afflatu
Alma mulce requies!

(E. F. Haupt, Carmina X Goethii,
Lipsiae 1841)

Tu de caelo genita,
Saevum lenis quae dolorem,
Fracto sorte misera
Reddis duplicem vigorem —
Vita dolet mi vexata!
Luctum quo, quo gaudium?
Pax beata,
Venias in animum!

H. van Wessem

O quae nata caelitus,
Curae victrix et doloris,
Quo quis valet secius,
Eo donas plus vigoris —
Me fatigant nox et dies;
Quid vult dolor, gaudium? —
Alma quies,
Reple meum animum.

J. Draheim Berl. Philol.
Wochenschr. 1910 10)

Donum tu Olympium,
Tu dolorum liberatrix,
Tu amica tristium,
Miserorum recreatrix:
Heu satiatum me in dies!
Quorsum maesta, hilara?
Dulcis quies,
Scrupulis me libera!

P. Fraude

Varia

**De sermone iurisconsultorum nostrae
aetatis**

Mommsenius in magna pandectarum editione anno 1870 comparata sic est lamentatus: „Latine scientes ius non curant, iuris periti Latine nesciunt.“ Quo auctore index ille supellectilis verborum in pandectis adhibitorum compositus est, qui nunc Berolini in bibliotheca regia manuscriptus asservatur; quo usi philologi quidam professoris Kuebleri Berolinensis auspiciis operam navant conficiendo vocabulario monumentali linguae forensis. W. Kalb Norimbergensis vir doctissimus nuper „grammaticam specialem Latinitatis forensis“ foras dedit, quod opus Girardus iurisprudentiae professor Parisiensis in commentariis „Göttinger Gelehrte Anzeigen“ inscriptis (anno 1910) poposcerat. Conferantur etiam Kalbii commentationes: De Latinitate forensi (1888) — Jurisconsulti Romani e lingua sua depicti (1890) — De interpolationum investigatione (1897). Haec scripta omnia subsidiorum ad linguam pertinentium exempla sunt amplissimorum ac via et arte pertractando-

rum. — Quid vero describendo sermone Germanorum iurisconsultorum effectum iri censes? Num tamen famosae nostrae linguae forensis tractatio postponenda videtur iis, quae pro iurisconsultorum Latinitate facta sunt et usque fiunt? Scilicet grammatica speciali linguae Germanicae forensis hoc tempore usitatae nescio an non preferantur in lucem tam multa eaque classica, quanta speciali Latinitatis forensis grammatica demonstravit Kalbius.

Guil. Lhm.

sec. „Zeitschrift des Allgemeinen Deutschen Sprachvereins“, 1910; 10.

„Sub rosa . . .“

Fridericus Guilelmus III. Borussorum rex magno cyprinorum studio tentus fuisse dicitur. Aliquando vesperi cum paucis epulans iterum sibi cyprinum iussit apponi. Minister, qui in culinam properaverat, brevi rediit vacuis manibus renuntians iam nihil cyprinorum superesse. „Quid hoc rei est“ rex increpuit magistrum aulae superiorem „tantulumne cyprinorum curas opsonandum?“ — „Non ita pro-

fecto, augustissime domine““ ille respondit. — „Age fac ut mihi afferatur ratio!“ — Ratione allata rex magna cum admiratione legit illo die 385 libras pondo cyprinorum emptas fuisse in culinarum regiarum sumptum. „Festiva sane haec est copia“, inquit rex; „sed si imposterum pisces emi iubebis, selibram insuper meum in usum comparandam cures velim, ne cubitum eam esuriens!“ Guil. Lhm.

Libri libellique censurae causa missi:

E. Bloch, *Musterbeispiele samt Ausarbeitung für die studierende Jugend. Latein für die III. Klasse.* Wien. M. Perles, 1913. 90 1.20 K.

T. M. Lewicki, *Poczatki Języka Lacinskiego dla pierwszej klasy gimnazyalnej.** Lwow, K. S. Jakubowski, 1913. VII, 59, 99. 2.40 K.

* Typis deficientibus compluria verba perperam scripta sunt, id quod lectores nostri polonici ignoscant rogo. Red.

Aenigmata

a variis composita

Corporis ad partem (hinc atque hinc) bina
admoveas: a
Campus erit multo saepe cruore fluens.
J. M. H.

Me portare solet vadens per rura viator.
Juresse litterulam: grata sit esca tibi!
G. L.

Me clamant Troes mala passi, teste Marone;
Litterula brevius me spectant, urbe cadente.
F. G.

Ex his, qui haec solverint aenigmata, unus sortitus gratis accipiet

F. S. Granger, Latin Picture Cards. Speculum Imperii Romani. London, G. Bell & Sons, 1913.

==== Praeconia Publica ====

==== Adolf Schustermann ====

[BERLIN SO. 16, Spreepalast]

doctis, politis, artificibus, scriptoribus,
fabricatoribus, editoribus aliisque hominibus literatis

Nuntios Ex Actis Diurnis Excerptos
modicis suppeditat pretiis.

Omnia mandata diligentissime peraguntur. Cuilibet studio praesto sunt res utilissimae. Excerptuntur maxima orbis terrarum acta atque periodica.

==== PROSPECTUS GRATIS! ====

Habeo venales hos libros:

Iuxicus, Der lustige Lateiner 0,70 M.

Palata, Nugae metricae . . 1,80 „

Reuss, Tentamina poetica . 2,50 „

Quos qui emere cupiat, aut tabellarios mihi tradere pecuniam iubeat, aut me sibi summam in rationem inducere.

Frankofurti a. M., Baustr. 10

H. Lüstenöder

Prodibit hic diebus ex officina mea libellus continens cantica sacra, cui titulus erit:

==== Lauda Sion Salvatorem! ====

quem latine composuit

H. Hansenius, parochus in insula Pellworm, ducatus Slesvicensis, poeta haud ignobilis in patria sua nominis.

Quoniam non dubito, quin huncce libellum legentes summum percepturi sitis gaudium, vos, benevolentissimos Scriptoris Latini lectores atque amicos, admoneo, ut nomina vestra inscribentes vos novissimum socii nostri opusculum empturos esse profiteamini. Pretium erit circa 1.50 M.

FRANCOFURTI a. M.,
Baustr. 10

Hans Lüstenöder,
Bibliopola

803 -
843

UNIV. OF MICHIGAN

MAR 23 1914

SCRIPTOR LATINUS

Commentarii Ad Linguae Latinae Humanitatisque
Studium Colendum Editi

Prodeunt decies in anno pretio 4 Mrum.

Annus X: Numerus II

— Procurant negotia —

In America: G. E. Stechert & Co., New-York, 129-133 West, 20th Street;
In Britannia: D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C.,
57-59 Long Acre;
In Italia: Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via
Tornabuoni;
In Nederlandiis: N.V. Boekhandel, voorh. Gebr. Belinfante, Den Haag, Kneuterdijk 3;
In Russia: K. L. Ricker, St. Petersburg, 14 Newsky Prospekt.



Summarium:

Palata, Horae subsecivae
Dietrich, Ciceronis de verborum
origine et propagatione opinio
Lobeck, Caerimoniae, quibus
Graeci Romanique virorum prin-
cipum ingressum celebrarunt
Tassetius, De fabrica navium
Zeppelinianarum
Lehmann, Aranyii fabula, 'Frau
Agnes' inscripta

Lehmann, Umbrae Salaburgen-
ses
Lehmann, Roseggeri carmen
'Ein Freund ging nach Amerika'
Brand, Wagneri carmen 'Am
stillen Herd'
Varia — Ex epistulario redactoris
— Censura librorum — Respon-
sorium — Catalogi antiquarii
— Libri censurae causa missi
— Praeconia publica

Redactor: Voldemarus Lommatzsch, Bremiportensis
Editor: Hans Lützenöder, Francofurti ad Moenum

Scriptor Latinus

Commentarii Ad Linguae Latinae
Humanitatisque Studium Colendum Editi

Ann. X Francofurti a. M., Mense Decembri MCMXIII Num. II

Horae Subsecivae

(Carmina recentiorum poetarum Latine reficta a Fr. Palata)

Serra

(Kerner: Dort unten in der Mühle)

Indulgens genio prope
pistrinum sedeo, multiplices rotæ
cursus atque vagos aquae
anfractus avido lumine prosequens.

Ast visum subito meum
ferro serra rigens detinet, incito
motu — parcere nescia —
quæ stirpem teneram dissecat abietis.

Torpentem subeunt statim
mentem nescio quæ somnia. Fallor, an
stirps fibris tremit omnibus
et me luctisonis alloquitur modis?

„Recte te tulit huc bona
fors, hospes! Videas viscera saucia
propter te! Videas tua
causa, vilis homo, quæ patiar mala!

Emenso, quod iter breve
divum consilium proposuit tibi,
e lignis locus meus
sub tellure tibi pace dabit frui.“

Sectas bis tabulas duas
cerno, dumque dolor cor rapit anxium,
vix mussare queo. Interim
serræ cessat opus, cessat opus rotæ.

Lacrimae et suspiria

(Celakovsky: Slzy a vzdychání)

Puella:

Quas tua culpa lacrimas profudi,
si — puer — flumen coeant in unum:
obruantur nostra repente cuncta
fluctibus arva.

Puer:

Quos tua culpa gemitus profudi
— virgo —, si flamen coeant in unum:
sponte campanæ cieatur alta
clangor in aede.

Post pluviam

(Vrchlicky: Po desti)

Nubes recedunt, iam plaga caerulea
caelo coruscat, rore vigeat nemus,
de monte torrens auctus imbre
raucisono trepidat susurro.
Undae fragosae terribilem procul
echo cavata rupe resuscitant:

Pan ipse — ni me ludit error —
in rabidis stat ovans fluentis.
Gaudet torosas per scapulas sibi
et terga labi deciduas aquas
et fonte crines irrigari
ingeminat manibusque plausum.

Ciceronis de verborum origine et propagatione opinio

(P. Dietrich, De Ciceronis ratione etymologica. Diss. Jenae 1911.)

Propositum persecuturis nobis est valde cavendum, ne certam eius quaestionis formulam componere conantes Arpinatis ut a studiis grammaticis alienioris verbis nimium tribuamus. Locum, quo Tullius aliquid dicit de linguae origine, habemus (initio mutilatum) de re publ. III 2, 3: „Eademque (sc. mens, supplenda ex sequentibus) cum accepisset homines inconditis vocibus inchoatum quiddam et confusum sonantes, incidit has et distinxit in partes et ut signa quaedam sic verba rebus impressit hominesque antea dissociatos iucundissimo inter se sermonis vinclo colligavit. A simili etiam mente vocis, qui videbantur infiniti, soni paucis notis inventis sunt omnes signati et expressi, quibus et colloquia cum absentibus et indicia voluntatum et monumenta rerum praeteritarum tenerentur“. Persuasum igitur habet hominibus nihil innatum esse nisi voces inconditas rudesque, quas in verba distinctas impressisset rebus ut signa mens divina. Mentis loco hominem mente divina praeditum vocabulorum impositorem perhibet Tusc. I 25, 62: „Quid? illa vis quae tandem est, quae investigat occulta, quae inventio atque excogitatio dicitur? ex hacne tibi terrena mortalique natura et caduca concreta ea videtur, aut qui primus, quod summae sapientiae Pythagorae visum est¹⁾, omnibus rebus imposuit nomina, aut qui dissipatos homines congregavit . . . , aut qui sonos vocis, qui infiniti videbantur, paucis litterarum notis terminavit, aut qui erraticum stellarum cursus . . . notavit?“ Idem philosophiae tribuit ib. V 2, 5: „Tu (sc. philosophia) urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitae convocasti, tu eos . . . litterarum et vocum communiōne iunxisti, tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinae fuisti.“ — Quos locos aequae ac Libr. rhetoric. I 2 (cf. R. Phillips, Fleckeis. Jahrb. 133 p. 147 sq.) magna cum probabilitate referen-

dos esse ad doctrinam Posidonii Stoici iudicantis, ut manifestum fit ex Senecae ep. 90, 5, aureo saeculo regnum fuisse apud sapientes, qui omnia utilia hominibus monstrassent et invenissent, iam pridem intellectum est a viris doctis. Cf. G. Zietzschmann, De Tusculan. disputationum fontibus, diss. Hal. 1868 p. 33; P. Corssen, De Posidonio Rhodio . . . in libro I Tusc. disp. et in Somnio Scipionis auctore, diss. Bonn. 1878 p. 23 adn. 1²⁾. Tamen minus verisimile est, licet huius modi loci in universum ad Posidonium spectent, etiam ad eum revocandam esse Tullii de sapiente linguae creatore opinionem, quae a Stoa nimis aliena esse debebat. Qua de causa arbitror Steinthalium (Geschichte der Sprachwissenschaft bei den Griechen und Römern I² p. 166) recte iudicasse opinionem de homine vocabulorum creatore Tullii tempore Romae pervulgatam fuisse contendentem. — Multis locis maiores nominum auctores affert, qui ea indiderunt partim prudenter. e. g. insaniam, amentiam, dementiam (Tusc. III 8 sqq.), ostentum, monstrum, portentum, prodigium (de div. I 93), partim minus recte velut bona (Parad. 7). Eis quoque vocem aerumnae ad labores non fugiendos designandos impertit (de fin. II 118). Rarius ad homines certos vocabula revocat, e. g. ad Servium regem assidui et proletarii (de re p. II 40), ad Romulum patricii nomen (ib. II 23). — Tenemus igitur Tullium hac in quaestione non sibi constantem: si loquitur in universum de linguae origine, eam attribuit sapienti cuidam vel menti divinae, si de singulis verbis, affert plerumque maiores eorum crenatores. Porro quod attinet ad quaestionem de ὀρθότητι τῶν ὀνομάτων apud veteres valde disputatum, Tullius nusquam expressis verbis, quae de hac re sentiat, dicit. Si autem ex exemplis modo enumeratis et ex eius de vocum novatione sententia concludere licet, Tullius persuasum habuit ex nominibus rebus

impositis ab hominibus saepius errantibus et intimae rerum scientiae expertibus non veram rerum naturam sed eius tantum, qui nomina indidit, opinionem de rebus cognosci posse.

Vocum ipsarum Arpinas distinguit genera tria, de quibus verba facit de or. III 37, 149: „ergo utimur verbis aut iis quae propria sunt et certa quasi vocabula rerum, paene una nata cum rebus ipsis; aut iis quae transferuntur et quasi alieno in loco collocantur; aut iis quae novamus et facimus ipsi“. Ut plerumque veteres³⁾, sic Cicero quoque hic respicit non modos, quibus lingua temporis cursu se dilatavit, sed rationem tantum, qua orator linguam usitatum ornandi causa amplificare solet. Tullius nobis monstrat duplicem viam sive transferendo sive novando, de quibus quid iudicaverit nunc propius inspiciamus.

De translatione loquitur de or. III 40, 159: „Nam si res suum nomen et vocabulum proprium non habet, ut „pes“ in navi, ut „nexum“ quod per libram agitur, ut in uxore „divortium“, necessitas cogit quod non habeas aliunde sumere“. Translatio initio necessitatis causa usurpata postea propter iucunditatem saepe adhibita est: „nam ut vestis frigoris depellendi causa reperta primo, post adhiberi coepta est ad ornatum etiam corporis et dignitatem, sic verbi translatio instituta est inopiae causa, frequentata delectationis“ (de or. III 155); est „quasi mutatio, cum quod non habeas, aliunde sumas“ (ib. 156). Quaecumque huc pertinent, collegit Linderauer, De verborum mutuatorum et peregrinorum ap. Ciceronem usu et compensatione (Jahresb. d. Gymn. Metten 1891/2 I, 1892/3 II) II p. 25 sq., ad quem legentem relogo.

Novandi rationem aperit Tullius part. or. V 16: „Prima vis est in simplicibus verbis, in coniunctis secunda. Simplicia inveniendae sunt, coniunctio collocanda est. Et simplicia verba partim nativa sunt, partim reperta. Nativa ea, quae significata sunt sensu; reperta, quae ex his facta sunt et novata aut similitudine aut imitatione aut inflexione aut adiunctione verborum“ 4). Hos mo-

dos, quos interpretari conatus est Piderit (part. or. p. 32 sq.), revocare licet ad duos a Tullio quidem clare nusquam disiunctos: alterum derivationis, quae constat ex vocabuli exitus mutatione, alterum compositionis (adiunctionis). Eandem fere distinctionem exemplis nonnullis illustrat invenimus de or. III 38, 154: „novantur autem verba quae ab eo qui dicit ipso gignuntur ac fiunt, vel coniungendis verbis ut haec „expectorat“, „versutiloquas“. Videtis enim et „versutiloquas“ et „expectorat“ ex coniunctione facta esse verba, non nata; sed saepe vel sine coniunctione verba novantur, ut ille „senius desertus“, ut „di genitales“, ut „bacarum ubertate incurvescere“.

Cicero, ut breviter respiciamus, discernit in oratione tria vocum genera; nativa vel usitata, similitudine translata, novata sive derivatione sive compositione. Quae dispositio redire videtur ad Aristotelis Isocratisque de sermone poetico opinionem, de qua F. Blass (Jw. v. Müllers Handbuch d. klass. Altertumswissenschaft I p. 190) divit haec: „Schon Aristoteles und Isokrates unterscheiden neben den κύρια und den γλωτται noch die καινά (πεποιημένα) und die μεταφοραί als Elemente der poetischen Sprache (cf. Aristot. Poetik c. 21; Isocr. Euag. c. 9) und es ist kein Zweifel, dass diese Unterscheidung bis auf die Sophisten zurückgeht. Die Umbildungen nun, die πεποιημένα, sind im allgemeinen entweder Ableitungen oder Komposita, also in beiden Fällen an bekannte Worte angeschlossen.“

Eisdem novandi et transferendi rationibus usum Tullium postea etiam in Graecorum scriptis in sermonem Latinum transvertendis novas res et notiones Latine expressisse — abnuebat enim Graeca verba integra in linguam vernaculam recipere (de off. I 111; Tusc. I 15; or. 164) — non mirum videtur. Ut depromam unum saltem locum ex multis, quibus de novarum vocum fictione disputat, loquitur or. 211 hoc modo: „Neque enim esse possunt rebus ignotis nota nomina; sed cum verba aut suavitatis aut inopiae causa transferre soleamus, in omnibus hoc fit artibus ut, cum id appellandum sit, quod prop-

ter rerum ignorationem ipsarum nullum habuerit ante nomen, necessitas cogat aut novum facere verbum aut a simili mutuari“. Cf. praeterea Ac. I 25; de fin. III 3. Re autem potius similia transulisse ad nova designanda et descripsisse neque verba novasse nisi summa cum anxietate crebris verbis excusandi causa prolatis evidens fit ex exemplis, quae congesserunt Linderauerl. c. II p. 3—6 (et passim) atque O. Weise, Charakteristik d. lat. Sprache, Lips. 1905 p. 139 sqq.

Arbitrum, qui novum vocabulum utrum aptum sit necne diiudicet, Cicero putat usum; quod verbum usus recipit, est adhibendum. Ut usus recipiat, respiciendae sunt in fingendo praecipue aures et consuetudo (de or. III 170)⁵⁾, quam ob rem Tullius iam in libris suis saepe repetendo novum vocabulum pervulgatum facere studet: „faciamus enim tractando usitatius hoc verbum (sc. qualitatem) et contritius“ (Ac. I 27; ib. II 18).

Restat, ut brevi quid Tullius senserit de ratione inter linguam Romanam et ceteras, imprimis Graecam intercedente contemplemur. Negat, ut statim eius opinionem proferamus, linguae vernaculae ullam societatem esse cum Graeca et explicat Latinam ex se, interdum expresse in singulis praedicans dissimilitudinem utriusque sermonis, e. g. in divinationis explicatione de div. I 1: „Itaque ut alia nos melius multa quam Graeci, sic huic praestantissimae rei nomen nostri a divis, Graeci, ut Plato interpretatur, a furore duxerunt vel in vocibus convivii (de sen. 45; ad fam. IX 24, 3) et legis de leg. I 19). Neque tamen eum fugere poterat una cum notionibus multa no-

mina Graeca Latino sermoni irrepsisse, quae vero usu diuturno paene Latina facta respuere nolebat. Talia sunt e. g. philosophia, rhetorica, dialectica, grammatica, geometria, musica (de fin. III 5; Ac. I 25), aer (de nat. deor. II 91; Ac. I 26), sorites (de div. II 11), nenia (de leg. II 62), quorum e multitudine nonnulla vel etymologice explicata invenimus velut philosophiam, quia amat sapientiam (de leg. I 58), soritas ab eo, quod acervum (σωρόν) efficiunt (Ac. II 92; de div. II 11). De Proserpinae et Vestae dearum veriloquiis quid censendum sit, postea videbimus. Tullii sermonem Latinum facultatem suam auxisse etiam ex aliis atque Graeca linguis vel dialectis existimantis nullum invenitur vestigium in eius scriptis, quam ob rem facere nequimus, quin accedamus ad opinionem Lerschii (l. c. III p. 154) Arpinatem partibus Romanarum, i. e. eorum, qui linguam Romanam ex se interpretabantur, adscribentis.

Inquisitio, quam instituimus hoc capite de Ciceronis cogitationibus ad linguae vitam pertinentibus, ostendit Tullium omnino oratorem magis ad spirantem et forenssem sermonem propensum quam ad vocabulorum ortum caliginosum et propagationis modum philosophi et grammatici ratione indagandum: de linguae origine non sibi constat, de ἀρθότροπος τῶν ὀνομάτων quaestione non dilucide loquitur, vocum exstantium copiam non perlustrat nisi rhetoris oculis. Nequetamen irrita labore nos fatigavisse unicuique postea manifestum erit disputatione instituta de ratione etymologica Tulliana, quam cum rhetoricis arte cohaerentem inveniemus.

Annotationes

1) De hac „Pythagorae“ doctrina conferas, quaeso, quae exposuit Steinthal, Gesch. d. Sprachwissensch. I² p. 153 sqq.

2) Rudolphum Hirzel (Untersuch. z. Ciceros philos. Schriften III p. 346 adn. 1) Tusc. I 62—64 ut additamentum Tullii expungentem refutavit Schmekel (Philos. d. mittleren Stoa p. 135 adn. 1).

3) Cf. R. Volkmann, Die Rhetorik der Griechen und Römer, Lips. 1885 p. 418 adn. 1: „Da die Alten, wenn sie sich mit der Sprache beschäftigten, immer nur die muster-

gültig betrachtete, dabei fertig überlieferte Schriftsprache ihrer Zeit darunter verstehen, ohne sich um das geschichtliche Gewordensein derselben zu bekümmern, . . .“

4) Huius loci divisione in „nativa“ et in „reperta“ et l. de or. III 149 propriis verbis „paene una natis cum rebus ipsis“ nixus Lersch l. c. I p. 140 sq. contendit Tullium linguam partim φύσει (nativa i. e. natura ortam, partim θέσει (reperta) i. e. ab hominibus inventam putasse. Qui non ita iudicasset, si respexisset cum locos a nobis supra

allatos tum or. § 185 („... accidit, ut multis saeculis ante oratio nuda ac rudis... fuerit reperta“).

b) Ut Cicero consuetudinem et aures in verborum novorum receptione iudices putat, ita eas habet auctores omnium, quae in lingua exstant, a recto commutatorum, quod elucet ex illa disceptatione nota de natura usuque verborum (or 152—162), qua non solum de declinatione (κλίσει), sed etiam de pronuntiatione, de prosodia, de contractione, de commutatione verborum et simplicium et compositorum suum exponit.

Apparet ex verbis et ex exemplis eum consuetudinem quamvis falsam semper sequendam esse sibi persuasisse. Unde vero factum est, ut formae omnino mutationes passi sint? Quod, respondet Cicero, nonnulla vocabula et litterae parum commoda erant et auribus et usui cottidiano. Contentid igitur verba mutata esse aurium et utilitatis causa, de quibus capite postremo plura dicam. Neque tamen unumquodque vocabulum his ex causis mutatum recipitur a consuetudine, e. g. consuetudo non probavit „pertisum“ a quibusdam ex pertaeso „scite“ commutatum. Si Cicero auribus tantum tribuisset, quantum vult Lersch (I p. 142: „Aber schon aus dem oben Angegebenen geht hervor, dass er weder Analogie noch Anomalie zur Richtschnur nahm, sondern dass er den Wohlklang als den Grundsatz ansah, der bei schwieriger Entscheidung die Formbildung bedingen sollte“), ei etiam „pertisum“ recipiendum fuisset. Etiam Steinthal respicit neque hoc exemplum neque utilitatis causa mutata, cum scribit l. c. II p. 154: „Nicht also eigentlich dem Wohlklange folgt Cicero; sondern dies ist insofern zu verstehen, als alles, was gegen

die consuetudo ist, als etwas Ungewöhnliches das Ohr verletzt“. — Cogitatione quidem Cicero recta agnoscit analogistarum postulata, reapse ea respuit atque sequitur consuetudinem i. e. anomaliam: „usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi“ (ib. 160); „scripserunt esse verius sentio, sed consuetudini auribus indulgenti libenter obsequor“ (ib. 157). Quod sane non aliter exspectari poterat ab oratore sermoni vulgi cottidiano obnoxio. Ceterum hunc locum tam multa et varia comprehendentem Ciceronis ipsius — licet eius de hac re sententiam aperiat — non esse aliqua cum probabilitate infra comprobare conabor. — Nonnullis verbis, quoniam refragari videtur rationi, quam modo invenimus Tullianam, est tractanda Bruti § 258, ex qua huc spectant imprimis haec verba: „quo magis expurgandus est sermo et adhibenda tamquam obrussa ratio quae mutari non potest, nec utendum pravissima consuetudinis regula“. Quem locum non adhibendum esse ad Ciceronis de usu et natura verborum opinionem recte aestimandam iam cognoverunt cum Reitzenstein (M. Ter. Varro etc. p. 62) tum Hendrickson (Classical Philology I [1906] q. 117) ingressi quidem ad differentiam tollendam vias diversas, quas brevissime commemorare satis habeo. Ille interpretatur hoc ut derisionem Alexandrinorum grammaticorum Caesarisque („Das ist eine schneidende Kritik an der alexandrinischen Grammatik und eine boshafte Antwort auf Caesars Einleitung, die seiner Arbeit die bescheidene Stellung wirklich anweist, die Cäsar für sich zu beanspruchen nur vorgegeben hatte“), hic ducit ea verba Caesaris de analogia librorum fragmentum non ad verbum exscriptum, sed ex libidine mutatum.

Vive tibi, quantumque potes, praelustria vita:
Saevum praelustri fulmen ab arce venit.

Ovidius

Curando fieri quaedam maiora videmus
Vulnera, quae melius non tetigisse fuit.

Ovidius

Caerimoniae, quibus Graeci Romanique virorum principum ingressum celebrarunt

Oratio Lobeckii, Professoris olim Regimontani, 15. Oct. 1850 habita

Vidimus ante paucos menses Regem Augustissimum moenia urbis nostrae auspicato ingredientem cum ingenti laetitia multitudinis ex agris et oppidis undique confluentis, audivimus faustas salutantium et vene-

rantium acclamationes, accepimus Principis ipsius alloquia legatos nostros primum strenue componentis tum comiter, ut solet, excipientis, denique abeuntem bonis votis omnibusque prosecuti sumus. Haec igitur publicae

laetitiae testimonia luculentissima memori animo repetentibus haud importunum vobis, Auditores ornatissimi, videbitur, si hic moris aviti observantia de caerimoniis, quibus Graeci Romanique virorum principum ingressum celebrarunt, pauca praefabimur. Hujusmodi enim proemia antiquaria sanxerunt majores nostri, qui quum solemnia academica et programmatis indicenda et orationibus publicis celebranda instituerent, hoc munus neque philosophiae professori tradiderunt neque alius disciplinae doctori, sed uni eruditae antiquitatis interpreti publice constituto. Ad hoc igitur exemplum antiquitus proditum praefationis nostrae cursum dirigemus ad tempora praeterita et in regiones illas, ubi primum artium et doctrinarum fons emicuit. Primarium nobis exemplum praebet Attalus rex. Is enim, ut Livius narrat¹⁾, quum Philipum fugientem persequens Aeginam venisset, Atticam adiit renovandae firmandaeque cum Atheniensibus societatis causa, quo audito civitas omnis obviam effusa cum conjugibus et liberis, sacerdotes cum insignibus suis regem intrantem exceperunt. His consentanea sunt, quae Curtius memoriae prodidit²⁾, Alexandro Babylonem ingredienti praefectum Urbis Bagophanem totum iter floribus coronisque constravisse, argenteis altaribus utroque latere dispositis, quae non thure modo, sed omnibus cumlaverat ornamentis. Neque praetereunda sunt, quae ob similem causam Alexandriae facta esse perhibet Justinus, in adventum Ptolemaei regis diem festum indictum, domos templa ceteraque omnia exornata, aras ubique hostiasque dispositas esse. Hinc ille mos transfluxit ad Christianos. Etenim Pacatus Drepanius in panegyrico³⁾ summam civium suorum in adventu Constantini laetitiam descripturus: »Quid ego, inquit, referam festum pro moenibus nobilitatis occursum, conspicuos veste nivea senatores, ornatos municipali purpura flamines, insignes apicibus sacerdotes? Quid portas memorem viventibus sertis coronatas, quid plateas aulaeis un-

dantes accensisque facibus auctum diem?« Ac non regibus solum, sed etiam ecclesiae doctoribus eminentissimis summum honorem, qui mortalibus conceditur, exhibitum esse, testatum facit Gregorius Nazianzenus⁴⁾. Hic enim refert, Athanasio exuli in pristinam dignitatem restituto totam urbem, omnia genera hominum, omnes ordines obviam processisse cum unguentis et floribus introitumque ejus pervigiliis et coenis publicis festive celebratum esse. Verum haec, quae memoravimus, mediocria habenda sunt prae illo venerationis excessu, quo Athenienses Demetrium Poliorceten exceperunt. Hic enim quum Demetrium Phalereum, Cassandri vicarium, urbe expulisset atque pristinam imperii formam libertatemque per quindecim annos oppressam restituisset, tantum excitavit apud populares sui favorem, ut prope deos aequaret; nam et thura ingredienti urbem adoleverunt et libationibus non secus ac coelestium in caerimoniis usi sunt et prosodia accinuere sacra utique non his similia, quae hodie per ejusmodi opportunitatem decantantur, sed plena humilitatis et adulationis. Quippe Graeci, postquam perversitas demagogorum et plebis inconstantia brevem illum libertatis florem extinxerat, quo olim acriores fuere in tuendo imperio populari, hoc proclivius sese submiserunt exteris principibus, quorum ope indigerent, adeo quidem, ut iis non meritos, non debitos, denique non humanos honores exhiberent, sed deorum immortalium aequales. Nam omnia illa, quae paulo ante memoravi in regum adventu observitata esse, nihil aliud erant, quam simulacra et imitamenta eorum, quae deorum adventantium causa fieri solerent. Notum vero est, veteres hac imbutos fuisse opinione, ut deos ipsos certis intervallis sedes suas commutare et ab uno templo ad alterum quasi peregrinantes transgredi putarent.

¹⁾ Liv. XXXI. 14. ²⁾ Curt. V. 1,20.
³⁾ Cap. 27. ⁴⁾ Oratt. 26. ⁵⁾ In Verr. Act. II. 4, 35.

Ita Venus in Siciliae monte Eryce culta certo anni die in Lyciam transvehi, Apollo partem anni priorem in Lyciae urbe Pataris, alteram in insula Delo transigere credebatur, fere ut Persarum et Parthorum reges aetatem Ecbatanis consumebant, hiemem Susis eademque opinio apud Graecos obtinuit coelicolas quoque in terris suas sibi aulas habere et variandi causa ab altera in alteram proficisci. Quod quo tempore fieri credebatur, in honorem advenientium templa aperta, urbium portae splendide exornatae, altaria thuribus cumulata sunt. Eundemque honorem etiam eorum statuis, quum ex uno loco in alterum transportarentur, habitum esse Cicero testatur⁵⁾, quum narrat, Dianam Segestanam, quum ex oppido exportaretur, omnes Segestanas matronas et virgines convenisse statuamque unxisse unguentis, complesse coronis et floribus, denique thure atque odoribus incensis usque ad ultimos agri fines persecutas esse.

Has igitur pompas et processiones florumque sparsiones sive graeco nomine phyllobolias ceteraque gaudii publici documenta Graeci a diis primum ad ludorum publicorum victores transtulerunt, quorum in urbem

patriam reditus festus proprio nomine iselasticus nuncupatur, tum etiam ad reges bene de se meritos, neque mirarentur, opinor, si reviviscerent et quae hodie in honorem principum introentium fieri solent praesentes viderent audirentque, sed proberant fortasse nostram in hoc genere moderationem, qui hominum illustrium quamvis bene meritorum venerationem a divinis honoribus longe sejunctam habemus. Illi vero deorum popularium cultores nihil impietatis sibi committere videbantur, quum potentium beneficia religiosis adorationibus et supplicationibus remunerari studerent, nimirum quia hanc sibi induerant persuasionem, illos mundi rectores et corporis et animi viribus terrigenas plurimum anteire nec tamen eos tanto a se intervallo disjunctos putarent, quanto Christiani sese a numine summo distare intelligunt. Itaque non nefas habuerunt homines et vita defunctos coelo consecrare et viventis divinis prosequi honoribus, quod Graeci primum belli Peloponnesiaci tempore instituisse feruntur, postea autem haec apotheosis ita frequentata est, ut saepissime ad immeritos transferretur.

La Structure des Dirigeables Zeppelin

Ce qu'on remarque dans la structure des vaisseaux aériens Zeppelin, et qui a donné à ce système la «rigidité» comme caractère, forme la coque de l'aérostat, logeant dans ses flancs les compartiments à gaz. Cette coque, présentant en coupe transversale la figure d'un polygone régulier à seize angles, et celle d'un cylindre en coupe longitudinale, est construite de poinçons et de pannes en tôle d'aluminium mise de profil, tissées en dessous de fil d'acier. A l'intérieur, se trouvent les compartiments à gaz, au nombre de 18, à remplir d'hydrogène. Garnie extérieurement de taffetas verni, la coque est encore affermie à sa base par une très forte quille de coupe triangulaire pareillement recouverte d'

De Fabrica Navium Zeppeliniarum

Insigne aeriis Zeppelini navibus, qui et huic rationi notam «rigorem» dedit, gestator est alveus, spiritalis intus cellas continens. Is, aequalem sedecim angulorum exhibens transversa sectione formam, tractim vero cylindrum, est ex templis et capreolis ex transversa alumini lamina confectus, subtecta quibus chalybeia sunt fila. In eo insunt cellae, octodecim numero, aquae parente implendae spiritu. Illita superindutum veste folliculari extrinsecus alveum, subtus firmissima, convestita pariter, secturae triquetrae rigidat carina. Rigide carinae alveoque connexa, naviculae figura, machinaria pendens utraque scapha, aequalem patitur descensum, aeriis plagosum in appulsum arcis armata subtus. Qui rigi-

étouffe. En connexion rigide avec la quille et la coque, pendent les deux nacelles aux machines, en forme d'embarcations, permettant la descente horizontale et pourvues en dessous de caisses à air pour amortir les chocs de l'atterrissage. La liaison rigide, immuable par suite dans sa longueur, entre la nacelle et l'aérostat, permet d'appliquer à celui-ci des hélices latérales.

L'engin impulsif consiste en deux moteurs Maybach à benzine de 180 chevaux chacun dans la nacelle d'arrière, et dans celle d'avant d'une machine de même type. Chacun des deux moteurs de l'arrière fait tourner une hélice à quatre ailes, et celui de l'avant une paire d'hélices à deux ailes. Ces quatre propulseurs sont répartis également sur des échafaudages à gauche au dessus des deux nacelles. La force leur est amenée de l'arbre moteur, au moyen d'une transmission cônica en fil métallique, par des tiges d'acier à la rigidité desquelles il a été particulièrement pourvu et qui sont maintenues en outre par des conduits sphériques. Le nombre de tours des hélices antérieures monte à environ 500, il est un peu moindre pour celles d'arrière.

Les gouvernails, aussi bien celui de direction que celui de hauteur, sont réunis vers la poupe dans une construction en forme de coffre. Des plans compensateurs latéraux empêchent le roulis ou le tangage du navire. Les commandes des gouvernails, les manoeuvres des soupapes et des réservoirs à lest d'eau répartis sur la longueur du navire, sont réunies dans la nacelle d'avant, celle de direction. Là sont aussi placés en vue tous les instruments servant à la navigation. Les dirigeables à passagers sont pourvus, vers le milieu de la quille convenablement élargie à cet endroit, d'une ample cabine. Les dirigeables militaires en ont une petite tout près de la nacelle d'avant. Tous les dirigeables sont outillés pour recevoir les messages de la télégraphie sans fil.

(Ex german. convert. Tassetius.)

et per longitudinem suam ideo immutabilis, inter scaphas et alveum connexus potestatem iniungendarum lateribus alvei cochlearum facit.

Actorium constituunt instrumentum, centenis octogenis equis, cylindris senis, Maybach-benzin*) motoria posteriore in scapha duo, unum anteriore. Quibus ex motoris posterioribus utrumque singularem cochleam versat quadripennem, antierius vero bipennes duas. Quatuor autem haec impulsoria pariter sunt dextra laeva-que super utramque scapham in machinis disposita. Vires eis per maxime rigidatos, et in sphaericis canalibus deductos, vectes chalybeios fastigata metallico ex filo translatione de vecte motorio adducuntur. Cochlearum conversiones anteriorum quingenae fere numerantur, posteriorum paulo pauciores.

Gubernatio itineris itemque altitudinis ad puppem est in opere arcae simili composita. Temperativa lateribus plana volutionem oscillationem-que navis prohibent. Gubernaculorum habenae, tractationes ad clipeos et, distributa navis in longitudine, aquae saburralis vasa, sunt in anteriore atque gubernatrice scapha collatae. Ibi omnia sunt ad navigationem in uno conspectu disposita instrumenta. Ampla naves vectoriae, media fere et convenienter dilatata in carina, diaeta sunt instructae, parva autem militares post anteriorem scapham proxime. Omnes ad aetheream sunt significationem accipiendam ornatae.

Tassetius

Barbarum benzinum vocabulum oleum quoddam significat, ex duobus oriens carbonis et aquae naturis, quum utraque pro senaria ponderum portione coit: $H^{\circ} C^{\circ} = 78$. Id est: carbonis elementarii partes 72 cum elementi aquatilis 6, benzini 78 efficiunt.

Ioannis Aranyii,

poetae Hungarorum praestantissimi, fabulam ‚FRAU AGNES‘ inscriptam
Latine reddidit

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis.*)

In dem Bache sieht Frau Agnes
Man ein weißes Linnen waschen,
Nach dem blutbefleckten Linnen
Bacheswellen gierig haschen.
O Gott des Erbarmens, steh' mir bei! **)

Kinder kommen: Sagt, Frau Agnes,
Was wascht Ihr im Bache drinnen?
„Ruhig, ruhig! meines Huhnes
Blut befleckte dieses Linnen.“

Nachbarinnen kommen eilig:
Agnes, wo Dein Gatte, höre?
„Ei er schläft, geht nicht zu ihm, daß
Niemand seine Ruhe störe.“

Schergen nahen: Agnes, Agnes,
In den Kerker uns begleite!
„Kann nicht, Leutchen, bis vom Blute
Ich das Linnen nicht befreie.“ —

Tief ist das Gefängnis, seine
Nacht das Taglicht kaum durchdringet;
Nur ein Strahl des Kerkers Sonne, —
Schreckliches sein Dunkel bringet.

Arme Agnes! Tagelänge
Sitzt sie im Gefängnis schmachtend,
Stieren Blicks den Strahl der Sonne,
Der das Dunkel schwächt, betrachtend.

Denn sie sieht nur Schreckgestalten,
Wenn den Strahl sie nicht betrachtet;
„Fehlte mir das Licht“, so denkt sie,
„Wär' mein Geist schon längst umnachtet!“

Endlich wird nach vielen Tagen
Vor die Richter sie geführt;
Agnes bleibt vor diesen stehen,
Ehrfurchtsvoll, wie sich's gebühret.

Ordnet ihre Kleider, leget
Auch das Busentuch in Falten,
Glättet sich die Haare, niemand
Solle für verrückt sie halten.

Rivi lymphis en Agnetem
Album linteum lavantem;
Undam linteum cruentum
Ecce cupide captantem.
O Deus misericors, iuva me! **)

Pueri veniunt: heus, Agnes,
Quid, dic, eluis liquore?
„St! tacete! pullus meus
Tinxit linteum cruore.“

Mox vicinae: cedo, Agnes,
Ubi tuus est maritus?
„Dormit scilicet; abite,
Ne sit somno vir excitus.“

Tum lictores: Agnes, Agnes,
Nos in vincla fac sequare!
„Nequeo: cruore sparsum
Cogor linteum purgare.“ —

Carceris profundi noctem
Vix perrumpit lux diurna;
Unus solis radius intrat, —
Umbra territat nocturna.

Flebilis iam multos dies
Agnes vinclis retinetur,
Torva radium, qui solus
Noctem minuit, tuetur.

Namque larvas videt meras,
Nisi spectat hunc fulgorem;
„Luce si carerem“, putat,
„Iamdiu vesana forem.“

Diu post in ius vocatur
Tandem mulier audiunda;
Ante iudices stat Agnes,
Sicut par est, verecunda.

Vestem comit, nec omittit
Rite fasciam plicare,
Et componit crines, — ne quis
Credat eam delirare.

*) Germanicum addidimus textum, qui invenitur in libello: „Balladen von Johann Arany, aus dem Ungarischen übersetzt von J. Bruck. Wien 1886. Georg Szelinski, k. k. Univers.-Buchhandlung, I. Stefansplatz 6“. Quod opusculum elegantissimum lectoribus nostris, qui Hungarice nesciant, sed poesin ingeniumque unius ex praestantissimis Hungarorum poetis cognoscere velint, enixissime iuvat commendare.

**) Hunc versum ab Aranyio unicuique strophae additum nos, ut spatii compendium aceremus, bis tantum, in prima et in ultima strophä, posuimus.

In dem Saale sieht sie bei dem
Grünen Tische Greise sitzen;
Mitleidsvoll blickt deren Auge,
Keines sieht vor Zorn sie blitzen.

„Agnes, was hast Du vollführet?
Schrecklich ist's, was Du verbrochen;
Der den Mord beging, Dein Trauter,
Selbst hat wider Dich gesprochen.

Er wird morgen hingerichtet,
Er, der Deinen Mann erschlagen;
Du jedoch wirst lebenslang im
Kerker Deine Strafe tragen.”

Ob sie bei gesunden Sinnen,
Agnes alles rings betrachtet;
Was man sprach, hat sie verstanden,
Nein, ihr Geist ist nicht unnachtet.

Doch was man von ihrem Gatten
Sprach, kann sie nicht recht verstehen;
Eines nur ist klar, sie dürfe
Nun nicht mehr nach Hause gehen.

Agnes fängt zu schluchzen an und
Weinet bald zum Herzerweichen,
Tau, von Lilien tropfend, ihrer
Weißen Wangen Tränen gleichen.

„Hohe Herren vom Gerichte!
Hab Erbarmen, hört mein Flehen:
Kann nicht im Gefängnis bleiben,
Muß nach meiner Arbeit sehen.

Seh't, ich muß von einem Flecke
Blutes reinigen mein Linnen;
Wenn der Fleck dran haften bliebe,
Was, ach, sollte ich beginnen!“

Als die arme Frau geendet,
Schwiegen alle Richter stille,
Nur im Blicke eines jeden
Lag sein Urteil, lag sein Wille.

„Geh' nach Hause, arme Agnes!
Wasche rein Dein blutig Linnen,
Möge Gott Dir Gnade schenken!
Arme Agnes, geh' von hinnen.“

Und im Bache sieht Frau Agnes
Man das Linnen wieder waschen;
Nach dem reinen, weißen Linnen
Bacheswellen gierig haschen.

Aedibus in altis senes
Mensae videt assidentes,
Quorum non effulgent ira
Oculi miserescentes.

„Quid, o Agnes, quid peccasti?
Est horrendum, quod fecisti;
Ipse dixit interfector
Contra te, quo caluisti.

Qui cecidit virum tuum,
Cras supplicio punietur;
Tua poena, dum spirabis,
In custodia luetur.”

Cuncta circumspectat Agnes
Quasi sensu praevalente;
Dicta quae sunt, intellexit,
Immo non aegrotat mente.

Neque vero capit illud,
De marito quod dixere;
Unum sentit: ire domum
Posthac sibi non licere.

Ac singultans plorat Agnes;
Mouent animos plangores,
Lacrimae de genis albis
Stillant, ut de liliis rores.

„Miseremini, verendi!
Preces placeat audire:
Ne me vinclis teneatis!
Penso cogor inservire;

Scite: linteum mi labe
Sanguinis est abluendum;
Quid, si macula restaret,
Ah mi foret faciendum!“

Omnes fata sic Agnete
Iudices conticuerunt,
Sed, quid senes iudicare
Vellent, vultus ostenderunt:

„Abi domum, purgandumque
Tuum linteum capesse!
Veniam det tibi Deus;
Hinc, o Agnes, iam facesse.”

Denuo misellam vides
Rivo linteum lavantem
Et hoc, candidum mundumque,
Undam cupide captantem.

Denn wenn auch das Laken rein und
Längst das Blut daraus entschwunden:
Agnes sieht es immer noch so,
Wie in jenen grausen Stunden.

In dem Bache sieht vom Morgen
Bis zum Abend man sie stehen;
Wasser spielt mit ihrem Schatten,
Mit dem Haar der Winde Wehen.

Nachts beim Schein des Mondes, wenn des
Wassers Wellen glänzen, flimmern,
Sieht man weithin durch die Helle
Ihre Walke weisslich schimmern.

Und das geht so alle Jahre,
Winters, Sommers, ohne Ende;
Sommers glüht ihr Antlitz, und im
Frost erstarren ihre Hände.

Ihre schwarzen Haare haben
Längst zu bleichen angefangen;
Falten graben überall sich
In die zarten, glatten Wangen.

Doch noch immer sieht man Agnes
In dem Bach das Linnen waschen;
Nach den Fetzen ihres Linnens
Bacheswellen gierig haschen.
O Gott des Erbarmens, steh' mir bei!

Nam cum linteum iam pridem
Plane purum sit cruoris,
Agnes illum videt usque
Tristibus ut illis horis.

Sic Agnetem totum diem
Conspicis in rivo stantem,
Umbra laticem ludentem,
Perque crines ventum flantem.

Nocte, cum renidet luna
Undarumque vis albescit,
Ecce longe per candorem
Opus eius enitescit,

Idque semper, ut aestate
Sic et tempore brumali;
Aestu fervet os, algore
Manus rigent hiemali.

Nigri feminae capilli
Cani dudum iam fiebant,
Genae leves teneraeque
Rugas turpes induebant.

Etiamnunc en Agnetem
Rivo linteum lavantem;
Linteum conscissum lympham
Ecce cupide captantem.
O Deus misericors, iuva me!

Varia

Germanicarum rerum scriptores in scholis legendi

In primo germanistorum qui vocantur conventu, qui habitus est Marburgi paulo post quam philologi eodem convenerant loco, professor Kluge Friburgensis, clarissimus ille etymologici germanicae linguae vocabularii editor, proposuit, ut eorum quoque, qui de Germania historia latinescripserunt, Pauli Diaconi, Jordanis aliorumque opera ad linguam latinam in superioribus scholis docendam discendamque adhiberentur. Quod quibus confirmavit argumentis consilium, nos, ut primum plura audiverimus, fusius lectoribus nostris exponemus.

Decimum a condita societate sua annum

humanistici gymnasii in urbe Berolino et provincia Brandenburgica amici sollemniter celebraverunt die prioris

mensis vigesimo sexto. Praesunt his ut notum est lectoribus nostris, professor Scholz, ad St^{ae} Mariae ecclesiam parochus, et Dr. Lück, rector gymnasii Steglitziensis, qui omnes, ut interessent sollemni, Berolinum invitaverant in gymnasium e rege Guillelmo nominatum. Ibi die indicato vesperi Dr. Hillebrandt, universitatis Vratislaviensis professor ordinarius, qui non semel in Borussia quoque senatu causae nostrae exstitit patronus, qua est disserendi facultate, exposuit, quo iure gymnasium humanisticum defendendum esset et contra quos nostris diebus pugnandum. Quam laete vero creverit societas his decem annis, Dr. Grünwald, Friedebergensis gymnasii rector, descripsit in libello ipso die festo edito. Erat conventus magna, qua habitus est, hominum frequentia dignissimus.

Ex Epistulario Redactoris

Lommatio, scriptori latino, s. d. p.

Quod nuper docto
scripsi fidoque sodali,
Hoc tibi iam, lector
candide, carmen adest:
Sodali Jenensi,
Hermundurorum principi!
Quam mihi misisti,
delectat charta Rudolfum
Urbemque in patriam
nonne venire iubet,
Festos ut laetosque dies
celebrare paratus
Adsim? — Jam grates,
candide lector, ago!
Ne tamen egrediar,

retinet me dura senectus,
Cui calor aestivus
saepe molestus erat;
Adsiduo tractu
via ferrea concutit ossa,
Ossa senis longum
tale queruntur iter. —
Te tamen et fidos
iubeo salvere sodales;
Pierides vobis
saepe favere solent.

Datum Tremoniae ante
diem III. id. iun. 1913
Rudolfus Hilgenfeld

Nihil patria praestantius aut optatius

Petri Roseggeri, poetae Austriaci, carmen „Ein Freund ging nach Amerika
Latine convertit bifariam

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis

Ein Freund ging nach Amerika
Und schrieb mir vor einigen Lenzen:
Schicke mir Rosen aus Steiermark,
Ich hab' eine Braut zu bekränzen!
Und als vergangen war ein Jahr,
Da kam ein Brieflein gelaufen:
Schicke mir Wasser aus Steiermark,
Ich habe ein Kindlein zu taufen!
Und wieder ein Jahr, da wollt' der Freund,
Ach, noch was anderes haben:
Schicke mir Erde aus Steiermark,
Muß Weib und Kind begraben!
Und so ersehnte der arme Mann
Auf fernsten, fremden Wegen
Für höchste Freud, für tiefstes Leid
Des Heimatlandes Segen.

Amicus undas Oceani super
Avectus olim scripsit ovans mihi:
Sponsae capillos ut coronem,
Mitte rosas mihi Stirienses!
Anno peracto litterulas dedit
Amicus ad me non sine iubilo:
Quo natus inspergatur, udum
Mitte sacrum mihi Stiriense!
Ac, denuo post annua tempora,
A me petivit quiddam aliud miser:
Qua coniugem prolemque condam,
Affer humum mihi Stiriensem!
Sic concitus desiderio viis
In ultimis hic exsul et abditis,
Seu gestiens seu luctuosus,
Dona sibi patriae poposcit.

Oceanum quondam super altum vectus amicus
Annos ante aliquot sic mihi scripsit ovans:
Stiriacas mihi mitte rosas, ut rite coronem
Aureolum sponsae virgineumque caput!
Idem deinde mihi, bis senis mensibus actis,
Laetitiae plenum misit epistolium:
Stiriacum laticem, liceat quo spargere nostram
Progeniem — sit Dis gratia! — mitte mihi!
Atque, iterum postquam transcurrere desiit annus,
Huic aliud quiddam quaerere cura fuit:
Stiriacae terrae glebam, qua — vae mihi! — condam
Uxorem et prolem, pignora, mitte mihi! —
Sic desiderio captus, trans ultima gressus
Ille vir infelix et peregrina loca,
Seu summe gaudens seu luctu fractus acerbo
Appetiit patriae munera sacra suae.

Umbræ Salaburgenses

Carmen ioculare „Der Spuk auf der Saalburg“ a R^o P^o in actis
 „Lustige Blätter“*) compositum

Latine convertit Guilelmus Lehmann Vratislaviensis.

Jüngst kam ich nachts von Homburgher,
 Die Saalburg mir zu suchen;
 Es wogte tief das Nebelmeer
 Um Eichenwald und Buchen.
 Doch plötzlich tauchte Stein und Wall
 Aus Waldes Finsternissen,
 Und sonderbarer Lieder Schall
 Hat mir das Herz zerrissen.
 Und wie zu süßem Geigenstrich
 Von Heermann und de Ahna
 Dies Geisterlied im Chor entwich
 Der Porta Decumana:

Nos Italiae floribus
 blande effeminatos,
 barbaris odoribus
 plene desperatos
 leniter eripite,
 Di, ex peregrina
 terra et large bibite
 libationis vina!**)

Viel Schatten sah ich sonder Ruh',
 Es wollt' ihr Zug nicht enden;
 Die hielten sich die Nasen zu
 Mit ihren rechten Händen.
 Die Linke steckt im Römerschild;
 Ich sah es am Gefunkel;
 Und Adler mit des Caesars Bild
 Durchblitzten grell das Dunkel.
 Es brüllten, die sonst still und stumm
 Hier ruh'n von Schlacht und Morden,
 (Ich kenn' sie vom Gymnasium)
 Die rhätischen Cohorten:

Nos Italiae floribus
 blande effeminatos, cet.

So zogen sie gespenstisch um,
 Gelockt aus Gräberfernen,
 Ums ragende Prätorium,
 Um Türme und Cisternen.
 Sie wallten bis zum Opferstein
 Mit flehender Gebärde
 Und gossen dort viel edlen Wein
 Den Göttern auf die Erde.

Homburgo nocte veneram
 In Salaburgae pagos;
 Effusam vidi nebulam
 Per ilices et fagos. —
 Repente valla saxea
 E silvis emerserunt,
 Et inaudita carmina
 Cor mihi persciderunt.
 Et quasi canant fidibus
 Heermannus et de Ahna,
 Hic hymnus ruit magicus
 E Porta Decumana:

Nos Italiae floribus
 blande effeminatos,
 barbaris odoribus
 plene desperatos
 leniter eripite,
 Di, ex peregrina
 terra et large bibite
 libationis vina!

En lemorum grex maximus
 Sollicite vadentum
 Ac nares dextris manibus
 Intente comprimentum!
 Teguntur laevae clipeis
 Romanis — o fulgorem! —
 Et aquilae cum Caesaris
 Picturis dant splendorem.
 Vociferantur, caedium
 Oblitae dudum, tortes
 (Ut docuit gymnasium
 Me) Rhaeticae cohortes:

Nos Italiae floribus
 blande effeminatos, cet.

Sic ibant more mystico,
 Elicitae cavernis,
 Sublimi sub praetorio,
 Sub turribus, cisternis.
 Ad saxum sacrum querulis
 Cum gestibus bitebant,
 Qua vinum vetus Superis
 In terram profundebant.

*) Prodeunt Berolini semel in hebdomade pretio trimestri 3 marcarum.

***) Von Italiens Duftgerank | Reißt — o gut'ge Götter, tut's —
 Uns so süß Verwöhnten, | Aus dem fremden Grabe,
 Mit barbarischem Gestank | Nehmt dafür des Rebenbluts
 Nimmer Ausgesöhnten, | Reichste Opfergabe!

Um den Altar des Heidenwahns
 Sie sangen und sie geigten,
 Derweil die Bilder Domitians
 Sich mit den Adlern neigten:

Nos Italiae floribus
 blande effeminatos, cet.

Und wie sie gossen edlen Trank,
 Erflehend Göttersegen,
 Da faucht' es, rasselte und stank
 Auf allen Taunuswegen.
 Glutäugig durch die Nebel zog's
 Herauf von Dornholzhausen,
 Und durch der Dörfer Frieden flog's
 Mit Rattern und mit Sausen.
 Das hastete zum Bennett-Preis
 Gleich wild geword'nen Ebern — —
 Da floh der Spuk. Doch summt es leis
 Noch aus verfall'nen Gräbern:

Nos Italiae floribus
 blande effeminatos, cet.

Ad aram priscam lemures
 Canentes chordis stridunt,
 Dum Domitiani facies
 Et aquilae desidunt:

Nos Italiae floribus
 blande effeminatos, cet.

Dum vinum fluit largius,
 Et supplicatur diis,
 Fit fragor foetor fremitus
 In cunctis Tauni viis.
 A Dornholzhusa nescio quid
 Ferventi currit ore
 Vicosque mutos perstreptit
 Ingenti cum furore.
 Bennetti captant praemium
 Aprorum fero ritu — —
 Dilapsis umbris placidum
 Ex tristi sonat situ;

Nos Italiae floribus
 blande effeminatos, cet.

Richardi Wagneri „Am stillen Herd . . .“
— Henricus Brand Hagensis —

Am stillen Herd in Winterszeit,
 Wenn Burg und Hof mir eingeschneit,
 Wie einst der Lenz so lieblich lacht',
 Und wie er bald wohl neu erwacht',
 Ein altes Buch, vom Ahn vermacht,
 Gab das mir oft zu lesen:
 Herr Walter von der Vogelweid,
 Der ist mein Meister gewesen.

Wann dann die Flur vom Frost befreit,
 Und wieder kehrt' die Sommerszeit,
 Was einst in langer Winternacht
 Das alte Buch mir kund gemacht,
 Das schallte laut in Waldespracht,
 Das hört' ich hell erklingen:
 Im Wald dort auf der Vogelweid,
 Da lernt' ich auch das Singen.

Brumarum tenebris, ad placidum focum
 Sedili posito, dum fruor otio,
 Castello nive tecto
 Circaque omnibus obrutis,

Ut quondam viridis veris amoenitas
 Risset iuveni frigora recreans,
 Et nobis reditura
 Quam iucunda foret brevi,

Antiquo didici, quem proavus bonus
 Stirpi tradiderat, saepius ex libro:
 Valtari, lyricorum
 Floris, carmina perlegens.

At postquam glaciei ferrea vincula
 Dissolvit tepido vere Favonius,
 Et iam campus apricus
 Cultu se induit aureo,

Auctor quod fuerat cumque liber mihi
 Oblectans hiemis tristitiam prius,
 Id iam voce canora
 Silvam personat undique;

Dulces ecce sonos auribus hauriens
 Inveni docilis carminibus modos:
 Artem me docuere
 Conventus aviarii.

Censura Librorum

Lauda Sion Salvatorem! Cantica Latina composita ab Henrico Hansenio, parrocho in insula Pellworm, ducatus Slesvicen-

sis. Edidit Hans Luestenoeder, Francofurti a. M. 1913. 64. Eleg. comp. 1,50 M.

Auctor libelli a nobis nuper indicati, vir doctissimus et reverendissimus ac socius in

conscribendo Scriptore lectoribus nostris optime cognitus, tringita fere carmina ecclesiae evangelicae pulcherrima gravissimaeque Latine vertit metris genuinis idque singulari quadam arte et elegantia in unoquoque versu nobis apparente. O libellum sane suavissimum et permagni aestimandum! Vix enim quemquam profecto fore crediderimus, cuius animus non delectetur, commoveatur, altius tollatur cantibus hisce dulcissimis. Ac ne ornatu quidem politissimo aut canticorum gravitati mirum in modum conveniente caret libellulus; quo fit. ut oculi quoque summo afficiantur gaudio. Quibus ex causis Hansenii nostri opusculum omnibus Latinitatis amantibus diligentissime iuvat commendare. Lhm.

Dosithei Ars Grammatica. Recensuit Joannes Tolkiehn. XVIII, 109. Lipsiae, in aedibus Dieterichianis Theodori Weicher, MCMXIII. 3 M.

Dosithei grammatica in usum Graecorum latine discentium olim conscripta, cum non philologis tantum, sed et aliis antiquitatis res perscrutantibus materiam praebet investigandam, digna profecto videtur, ad quam plures, quam adhuc fecerint, animos convertant. Deerat tamen editio commoda, villis, criticae artis subsidiis instructa. Nam illum septimi grammaticorum latinorum voluminis fasciculum quo continetur liber a Keilio editus, maiore notum est constare pretio, quam ut a multis hominibus privatis compararetur. Huc accedit, quod et a viro de hoc genere literarum meritissimo alterutrum eorum, qui ei praesto fuerunt, fontium minime exhaustum esse aliisque adiumentis, quae partim ignota erant illi, partim minore ab eo cura tractata, textum multifariam posse emendari non est negandum. His potissimum de causis Tolkiehno visum est, novam Dosithei editionem in lucem emittere, in qua paranda non solum Keilianis codicis Sangallensis 902 usus est lectionibus, sed etiam Monacensem 601 iterum accuratius inspexit, novum vero codicem Harleianum 5642 in Museo ipso Britannico photographice depingendum curavit. Sic apparatus criticus uberior, textus ipse multis locis emendatior evasit. Praeterea 'Ars' nunc primum in capita et paragraphos divisa est, rerum et scriptorum indicibus index quoque notabilium, quibus utitur Dositheus, vocabulorum graecorum adiunctus, quae omnia librum ad usum philologi commodiorem faciunt atque utiliorem. F.

Wein, Weib und Gesang. Eine Anthologie der antiken Lyrik mit deutscher Um- und Nachdichtung. Gesammelt und herausgegeben von Dr. Fr. Kosta. Stettin, L. Sauer, 1913. 116. 1.75 (2.75) M.

Sunt quos collegisse iuvat — ut huc illud arcessamus Horatianum. Colligant, nihil moramur, modo, quae proferunt excerpta, bona sint quodamque iudicio subtiliore delecta. Hoc iure dici potest de libello a Kosta composito. Nam non cuique, quamvis cupiat,

emere licet eorum, qui summa arte veterum carmina germanice reddiderunt, opera — hic habet, quo paulum leniat desiderium, delectum conversionum scite eleganterque confectum. Quo si eo ardentius ipsos gustare fontes cupiverit, num hoc minus gratum fore editori putamus? Minime: gaudebit potius se dupliciter delectavisse lectores suos. L.

Responsorium

R. O.: Das Leben hat keinen Zweck = non (nihil) est, quod vivamus; sind schon bei lebendigem Leibe tot = mortem suam antecesserunt (Sen. ad Lucil. VI, 8, 4). De ceteris mox plura per literas.

S. S.: Non sunt integra verba a te laudata. Ecce textum pleniorem: Animus intentuens vera, peritus fugiendorum ac petendorum, non ex opinione, sed ex natura pretia rebus inponens, toti se inserens mundo et in omnes eius actus contemplationem suam mittens, cogitationibus actionibusque intentus, ex aequo magnus ac vehemens, asperis blandisque pariter invictus, neutri se fortunae submitbens, supra omnia quae contingunt acciduntque emimens, pulcherrimus, ordinatissimus cum decore tum viribus, sanus ac sincerus, in-perturbatus, intrepidus, quem nulla vis frangat, quem nec adtollant fortuita nec depri-mant: talis animus virtus est (ad Lucil. VII, 4, 6). Sed cur non ipse tibi comparas Senecam? Dignus est quem quisque habeat philosophiae amicus.

B. M.: Sententia, quam Leo XIII. Pp. ipse sibi scripsit tamquam vivendi agendique praeceptum, haec est:

AGE IAM

ENITERE, ENITERE, O LEO,
ARDUA QUAEQUE FIDENTER MOLIRI,
DURA FORTITER PATI
NE REFORMIDES.

DEVEXA IAM AETATE EMENSOQUE
PROPPEMODUM

VITAE CURSU
REBUS CADUCIS ABDICATIS, CONTEMPTIS
ALTIORA APPETENS ANIMO,
AD COELESTEM PATRIAM
CONSTANTER ASPIRA.

Nescio tamen, an haec eadem, quae tu significas, sint verba.

M A.: aus Gesundheitsrücksichten = valetudinis causa; abgesehen davon, dass... = praeter id, quod...; gedeiht überall, ist mit jedem Boden zufrieden = non recusat ullum locum; ob mit Recht oder Unrecht, ist nicht meine Sache = recte an secus, nihil ad me; ich sage dir ja immer, ich habe dir ja schon immer (vel: oft) gesagt... = saepe tibi dico...; du erwartest natürlich wieder eine Ansprache = tu, ut soles, orationem expectas.

O. H.: Opusculum Feuerleini, ex quo depromptus est Eques ille Toggenburgensis superiore numero publicatus, inscribitur: Schilleri Lyrica omnia Latinis modis aptare tentavit Gustavus Feuerlein, Stuttgartiae 1831.

R. B.: Recte dicis in commentatione a te memorata »plurimae« non iungendum fuisse sententiae relativae. Nos vero ipsa auctoris verba mutari nolebamus; qua de causa ne eum quidem locum emendavimus, quo temporum consecutionem offendi iure opinaris.

J. K.: Ignoscas quaeso, quod te tantopere urgebam. Nesciebam enim totum carmen ex auctoris manuscripto transscribendum esse, quod nunc te tam brevi tempore fecisse valde gaudeo. Sunt tamen quaedam, quamvis arrideat omnino conversio, mutanda, quamobrem in proximum eam numerum differendam curavi.

Libri libellique censurae causa missi:

Lectores sociosque nostros hisce paucis certiores volumus nos, quamquam partem librorum ab editoribus nobis traditorum certis quibusdam iudicibus censurae causa dare solemus, tamen libentissime, quem quis cupiverit librum, si scribere de eo paratus sit, esse missuros. Opus enim est viris in eo, quod professi sint, genere censurae versatissimis. Scribat igitur, qui de uno ex libris indicatis iudicare velit, ad redactorem.

Methode Toussaint-Langenscheidt: Lateinisch. Von Prof. Dr. C. Willing. 1. u. 2. Brief (Abschnitt 1—50, 51—68) Berlin-Schöneberg, Langenscheidt. Jeder Brief 1 M.

K. E. Georges, Ausführlisches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch. 8., verbes. u. vermehrte Auflage v. Heinrich Georges. I. Halbbd.: A-contentio. Hannover u. Leipzig, Hahnsche Buchhandlung. 1600. 9 M.

H. Hansen, Lauda Sion Salvatorem! Cantica Latina. Francofurti a. M., H. Lüstnöder, 1913. 64. 1.50 M.

G. Wuest, Deutsch-lateinische Wortkunde. Zusammenstellung der wichtige-

ren mehrdeutigen Wörter und bildlichen Ausdrücke unserer Muttersprache in klass. Uebersetzung. Strassburg i. E., F. Bull, 1913. 223. 3.20 M.

J. M. Hoogvliet, Die sogenannten »Geschlechter« im Indo-Europäischen und im Latein nach wissenschaftlicher Methode beschrieben. Haag, M. Nijhoff, 1913. 61.

M. Kröll, Die Beziehungen des klassischen Altertums zu den hl. Schriften des Alten und Neuen Testaments. 3 Bd. 2., vollständ. umgearb. u. verm. Aufl. Bonn, C. Georgi, 1913. XX+231, XIV+133, XIV+146. 5 M.

Corrigenda

- Pg. 2¹ lin. 48 pro eandam lege: eandem,
 „ 3¹ „ 36 „ landat „ laudat,
 „ 5 „ 3 „ J. Feuerlein „ J. Feuerlein,
 Schilleri lyrica omnia latinis modis aptata. Stuttgartiae 1831 etc.
 Pg. 4² lin. 32 pro ditam lege: dicam,
 „ 12¹ „ 40 „ Qui est „ Quis est,
 „ 16¹ „ 36 „ hic diebus „ his diebus.

Catalogi antiquarii:

Deighton Bell & Co, Cambridge — Cat. 25 [N. Ser.] General, Theological, Classical and Scientific Literature, 1 — 1227 (Greek and Latin Classics 89—206)

Friedrich Meyer, Leipzig — Cat. 117: Klass. Phil. u. Altertumsk., Pädagogik, 1—1042 (Lat. Schriftst. u. ihre Erklär. 445—589)

Gustav Fock, Leipzig — Cat. 444: Klass. Phil. I, 1—3963b (Lat. Schriftst. 2132—3366a, Neulat. 3420—3645)

C. E. Rappaport, Roma — Bibliofilo Romano (Bulletin bimensuel) 29: Scienze varie, 1—329.

Gustav Fock, Leipzig — Cat. 445: Klass. Phil. II, 3964—8114 (Griech. u. latein. Sprachw. 3964—4497)

Simmel & Co., Leipzig — Cat. 234: Klass. Phil. u. Altertumsk. IV (Architekt., Skulpt., Numism. etc.), 12957—14772.

Prelio incredibiliter minuto

libri nunc illi comparari possunt, quibus tituli: **M. Duncker, Geschichte des Altertums. 9 voll. Leipz. 1878—86, non 74, ut ante, sed 20 M et M. Duncker, Griechische Geschichte. 5 voll. Leipz. 1888, non 34, sed 12,50 Minclusa vectura, quoad suppetet copia, venales apud me ipsum!**
H. LÜSTENÖDER, FRANCOFURTI A. M., BAUSTR. 10

Praeconia Publica

Adolf Schustermann

[BERLIN SO. 16, Spreepalast]

doctis, politicis, artificibus, scriptoribus, fabricatoribus, editoribus aliisque hominibus literatis

Nuntios Ex Actis Diurnis Excerptos

modicis suppeditat pretiis.

Omnia mandata diligentissime perguntur. Cuilibet studio praesto sunt res utilissimae. Excerptuntur maxima orbis terrarum acta atque periodica.

PROSPECTUS GRATIS!

Professor Kroll Vratislaviensis, editor praestantissimi illius operis, cui titulus:

Realenzyklopädie der klassischen Altertumswissenschaft (Pauly-Wissowa),

cuius tertium nunc paratur supplementum, ab omnibus in hoc genere literarum versantibus enixe petit, ut, quaequae in voluminibus adhuc editis deesse intellexerint, sibi notum faciant. Non scribat, qui nihil nisi menda typographica vel libros interea publicatos indicare velit. Omnes epistulae dirigantur

Breslau 16, Hobrechtufer 12.

Red. S. L.

805-

573



GENE...

JUN 8 1914

SCRIPTOR LATINUS

Commentarii Ad Linguae Latinae Humanitatisque
Studium Colendum Editi

Prodeunt decies in anno pretio 4 M^{rum}.

Annus X: Numerus III

— Procurant negotia —

- in America:** G. E. Stechert & Co., New-York, 129—133 West, 20th Street;
- in Britannia:** D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C.,
57—59 Long Acre;
- in Italia:** Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via
Tornabuoni;
- in Nederlandia:** N.V. Boekhandel, voorh. Gebr. Belinfante, Den Haag, Kneuterdijk 3;
- in Russia:** K. L. Ricker, St. Petersburg, 14 Newsky Prospekt.



Summarium:

- | | |
|---|---|
| <p>Lommatius, De Novo Phoneticae Experimentalis, Laboratorio Hammoniensi</p> <p>Tassetius, Paenitentia</p> <p>Nardis, In Joannam Bonanni Hymnus</p> <p>Hagensis, Rudyardi Kipling, Praestantissimi Poetae Britannii, Carmen</p> | <p>Quid amici nostri de se ipsi scribant</p> <p>Holtorf, Plutarchi studia in Platone explicando posita quae spectant ad doctrinam theologiam</p> <p>Palata, Horae subsecivae Carnegiana</p> <p>Varia — Censura Librorum — Praeconia Publica</p> |
|---|---|

Redactor: Voldemarus Lommatzsch, Bremiportensis
Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum

Scriptor Latinus

Commentarii Ad Linguae Latinae
Humanitatisque Studium Colendum Editi

Ann. X Francofurti a. M., Mense Martio MCMXIV Num. III

De Novo Phoneticae Experimentalis Laboratorio Hammoniensi*)

scripsit

Voldemarus Lommatius.

Ars humanae vocis sonos instrumentorum auxilio accuratius, quam auribus possumus, cognoscendi atque investigandi quot quantosque his annis fecerit progressus, huius commentarii lectoribus, quippe qui de recentissimis semper in illo genere scientiae inventis edoceantur, non necesse existimo demonstrare. Quamquam multis eorum, qui nonnisi legentes possunt disciplinae suae viam exsequi, haud iniucundum fore opinor, quaedam de eo, quo phonetica illa experimenta exercentur, loco audire. Nam non cuique licet, ipse Phonicum, de quo scripturi sumus, Institutum obire, et si liceret, is, qui praeest illi, quamvis benigne omnes excipiat spectatum venientes, plurimis cum sit negotiis distentus, non eadem, qua vellet, cura res scitu dignas posset explicare.

Quamobrem, cum multos ipse annos phoneticae studens eaque in linguis docendis utens, qua ratione Laboratorium Hammoniense esset institutum, meis videre oculis diu desiderassem, a Calzia nostro, ut inspicerem illud, amicissime invitatus, postquam duce eo omnes aedificii

angulos circumivi, ut, quae vidissem, in 'Voce' describere mihi liceret, facile impetravi. Hoc dum facio, id tamen monendum esse puto me, ut vel ex iis, quae initio dixi, elucet, minus de operibus in laboratorio faciendis quam de interna eius institutione ac dispositione esse disserturum.

Haud longum est a principali statione ferriviaria ad Institutum iter. Nam via, quae Glockengiesserwall vocatur, pergenti ac Ponte Lombardi transito Hortos Botanicos, qui ad laevam sunt, praetereunti, cum paulo inferius sinistrorsum deflexeris, mox, quae a Jungio nomen habet, via tibi occurret, in qua domum quaesitam invenies numero septimo notatam. Mira hic loci totius tranquillitas: quocumque prospexeris, hortos videas magnis arboribus opacos. Circumiacent enim non Botanici solum et Zoologici Horti, sed vetera quoque coemeteria aliaque publicae ambulationes. Vacua igitur omni fere occursum hominum vitaeque urbanae strepitu haec potissimum via apta videtur, in qua talis studii domicilium locetur.


Domus ipsa, quam nunc intramus, quasi bipartita est. Subterranea eius pars et, quae plano pede est, contignatio graphicos, quos dicunt phonicos, continent apparatus, qui ita, ne quid temporis frustra absumatur rebus afferendis vel asportandis vel alio loco inspicendis, uno, ut ita dicam, tecto comprehenduntur. Similiter et superiores duae aedium partes com-

*) Prodiit primum commentatio in ephemeridis quae Vox inscribitur, fasciculo philologis paedagogisque Marburgum superiore anno congregatis dedicato, unde ut describeretur Scriptorique nostro insereretur, Dr. Panconcelli-Calzia, qui praeest instituto illosque de phonicis rebus commentarios edit cum Professore Gutzmann Berolinensi, benigne petenti mihi permisit. Red.

muni tamquam vinculo sunt coniunctae, cum omnes ibi apparatus glyphici asserventur.

Plano pede, ut hinc singula circumire membra incipiamus, nos adiutorum primum vel assistentium, qui hodie vocantur, ingredimur conclave, ubi, dum vacant ab opere, legendo illi vel scribendo vel studia sua meditando seu praeparando subsiciva — si fas est hoc dicere — tempora

in hac arte docenda, varia inter se et quae maxime ad eandam pertinerent profiterentur literarum genera. Sic unus medicinae, alter cantus docendi, tertius surdos mutosque erudiendi, quartus linguarum recentium est peritus. His praeter technicam quae vocatur administram alii duo accedunt mechanici, a quibus, quae Phonetico Instituto opus sunt opera subtiliora, in Physicali reipublicae Hammo-



Contignationis, quae plano pede est, forma


solent consumere. Tales quattuor nunc adsunt Calziae viri, in quibus eligendis id potissimum ille spectavit, ut, quemadmodum varias diversasque phonetica attingit disciplinas, ii quoque, quorum auxilio utendum esset

niensis Laboratorio conficiuntur viro quodam talium laborum peritissimo magistro, famulus denique in componendis reparandisque instrumentis versatus duaeque feminae purgandi aliaque diurna praestantes ministeria.

Hinc egressos aliud nos excipit conclave, longius ad sinistram procurrans multoque ideo priore spatiosius. Est enim ex duobus membris continuis confectum pariete medio sublato. In laboratorio sumus auditorii simul vicem praestante, quoniam non experimenta solum hic instituantur, sed acroases quoque fiunt ad res physicas imprimisque phonicas illustrandas. Primo tamen loco

quaeque sua potest lucerna electrica illustrari. Prima praeterea, quae experimentalis vel tentatoria vocatur mensa, docentis praecipue usui destinata et ita instructa est, ut praeter electricam vim gas quoque et aer compressus praesto sint illi.

Res vero ad docendum demonstrandumque necessariae armariis includuntur satis amplis, quae muro adstant intransibus opposito fenestris-



Tabulati primi forma

conclave pro laboratorio vel officina est, in qua, ut hoc tantum dicam, practicanes i. e. artem phonicam usu atque exercitatione discere volentes omnibus, ut aiunt, machinis erudiuntur. Quibus ut idonea fiat usibus, per totam eius longitudinem, quae tredecim circiter est metrorum, paribus fere intervallis sex mensae dispositae sunt longiores, quarum

que carente. Primum eorum nihil continet nisi accessorias quae vocantur instrumentorum partes, statumina, cochleas, cochlearum matrices aliaque huius generis. Alteri insunt varii, quibus soni excipiuntur, apparatus, instrumenta chronographica, furcillae sonantes, capsulae graphicae apparatusque ad motus labiorum, laryngis, narium, pulmonum aliarumque cor-

poris partium indicandos. Sequuntur in tertio instrumenta acustica, resonatores, quorum quisque certo cuidam respondet tono, apparatus radiorum luminis auxilio operantes, specula rotantia ad curvas, quae dicuntur, sonorum photographice depingendas, taeniae cinematographicae haesitantium lingua convulsiones, oris in certis sonis proferendis motus similiaque exhibentes, sonorum in praecipuis Europae linguis exstantium tabulae. In quarto armario videmus apparatus ad curvas metiendas. Hic praeter ceteros apparatus a professore Meyer inventus et a Schneidero Hammoniensi perfectus dignus est, quem spectemus. De quo cum bis iam in hac nostra ephemeride sit tractatum, supervacaneum videtur, plura de constructione eius proferre. Hoc unum dico mea quoque opinione tantum hanc metiendi rationem iis, quibus ante uti phonetici consueverant, praestare, ut cum his nullo possit modo comparari. Nam quod ante magis minusve accurate erat aestimandum, id exactissimae nunc subicitur mentioni. Haec autem sine ulla temporis fit iactura, quoniam tonorum undulationes non in numeros primum, sed statim in curvas transferuntur. Hae autem omnimodo solitis nostris de tonorum altitudine respondent opinionibus. Aliis, quae eodem loco servantur, instrumentis phonetici tempus, colorem, vim et intensionem tonorum possunt metiri. Sed iam ad ultimum accedimus armarium nec tamen minus ceteris respiciendum. Apparatus hic se offerunt, quibus actus loquendi ac respirandi seu in simulacris seu ipsorum in corpore discentium oculis demonstrantur. Nomino Gutzmanni laryngis aliorumque organorum modum atque formam ostendentes imitationes e gypso confectae, endoscopia et autophonoscopia, quibus utenti non aliorum tantum, sed suarum etiam faucium in respirando vel loquendo actiones licet observare, palata denique artificiosa, quorum exempla ab ipso corpore sunt sumpta. Non tamen spatium sufficit multis rebus

novis collocandis: sexto mox opus erit armario ac ne tum quidem, credo, omnibus conclave capax erit usibus.

Nunc sinistrorsum exeuntes et ita circulum in hac domus parte finientes eo advenimus, quo se recipiunt, qui usum apparatus penitus perspectum habentes ipsi in aliquo phoneticae experimentalis genere elaborant. His praesto est cymographium cum quibuslibet instrumentis auxiliaribus. Studium hoc proprie vocatur membrum. Aliud mensas ceteraque delineantium continet utensilia; est post illud, quo adiutores convenire dixi, conclave, ubi paulum prosilit domus, nec aditum habet nisi ab horto. Ab altero eiusdem conclavis latere parvum reperias vestiarium. Aqua et frigida et calida omni tempore pluribusque aedificii locis suppetit desiderantibus.

Sed iam ad inferos, ut ita dicam, descendamus. Multa hic quoque membra, ad quoslibet usus photographicos accommodata. Ubi Roentgeniana exercetur ars, imagines vidi hominum ferorum singulares quosdam sermonis sui sonos enuntiantium, quarum una, quomodo propria illae eorum inter r et l consonans media efficiatur, alia rursus, quemadmodum et larynx simul et labia occludantur, tam clare perspicueque ostendit, ut facile appareat, quanta sit experimenti utilitas in rebus multum et diu ac tamen frustra agitatis certo nec umquam denegando argumento comprobandis. Transformator electricus, ne machinae strepitus incommodo sit laborantibus, in membro adiuncto collocatus est. Sequuntur alia duo membra communi pariete coniuncta, quorum alterum obscuratum est ad imagines photographicas perficiendas, alterum, ut siccarum possint, institutum. Neque, ubi lucis auxilio possint imagines exprimi, hic deest conclave. Id paulum distat a ceteris, cum, qui ibi sunt, apparatus optici nullam patiantur inquietem. Praeterea in hac subterranea parte latrinae sunt et cellae carbonariae.

Superiorem nunc in domum escendentes praeter bibliothecam duo con-

clavia invenimus contigua, quorum alterum apparatus continet, quibus soni glyphice, ut phonetici more loquar, describuntur. Huc saepius quoque peregrinarum terrarum indigenae, quales haud pauci Coloniae, quod idem Hammoniae est, Institutum frequentant sive docentes sive discentes, arcessuntur, ut sermonem vel cantum vel musicam suam cylindro phonographico mandent. Nam nunc quidem phonographus hunc praestat laborem; est autem in animo machinam quoque in discos inscribentem comparare. Huius generis machinarum magnus numerus est in altero conclavi. Videas machinas loquentes varii generis atque magnitudinis, alias sonos per tubas reddentes, alias tuba carentes, varias quoque tubarum formas, apparatus denique illum ingeniosissime excogitatum, qui Lioretgraphus nuncupatur, quo insculpta cylindro phonographi signa in curvas immutantur. Cetera duo membra rectoris usibus detinentur. Alterum pro habitatione et studio est, in quod etiam, qui conveniendi colloquendique causa veniunt, admittuntur, alterum pro laboratorio privato. Podium illi adnexum et delineatorio, quod memoravimus, superpositum amoenissimum praebet

in hortos prospectum.

In summo denique aedium cenaculo duo sunt archiva phonographica, alterum discos et cylindros, alterum ipsa, ex quibus facti sunt illi, exempla, quae matrices vocantur, continens. In alio membro omnis generis res tamquam in horreo asservantur. Ibidem et habitaculum famuli est.

Nihil, ut ait Cicero, inventum simul est atque perfectum. Sic neque ii, qui sumptui non parcentes et condiderunt Institutum et mira adhuc liberalitate ac munificentia sustentantur, nec is, qui indefessis viribus multa variaque rectoris obit munera, nescii sunt id, quod effecerint, quamquam iure eo liceat gaudere, nihil esse nisi initium ac tamquam fundamentum maioris operis haud minore labore atque industria persequendi. Tamen, ut iterum hoc dicam, si consideramus vix tres annos esse, cum Institutum est conditum, nos non sine magna admiratione eorum meminerimus virorum, qui tam brevi tempore tanta peregerunt. Quod iam nunc ex omnibus terrarum partibus conveniunt Institutum visuri, id certo sine dubio indicio est peregrini quoque labores eius tanti, quanti merentur, aestimari.

Paenitentia

Scripsit Jacobus Tassetius

Hera. — Non est edulis haec male cocta mali loci caro. Aetatis tuae puellam suspicari nimirum possem, nec emere apud lanium scire, et frustum quodlibet administrari sibi sinere? Focum nescis regere. Assandum non corripis, aduris, aut in pruna induras languida. Scite nihil est quod agas, inhabilis culinae pariter ac supellectili. Quid ergo, stupida, respondes?

Catharina. — Recte sentit hera, me omnibus in his rebus erravisse et peccavisse.

Hera. — Quid! delicta tua vis dissolvere? Tacedum, contumax!

Mense interposito

Hera. — Eo ipso in tempore pergis, improba, abire velle, quo utilis tandem foret mihi, postquam cunctas ad an-

cillam erudiendam pertuli aerumnas. Tunc stultas puellas docere omnia oblectamentum putas? Mercedem profecto iam tibi velles auctam? post unum hoc tantae meae patientiae et laboris mensem! Prodesse tandem mihi coepisti. Age vero, num vis manere? Quid ei ancillae respondebo, quae cras in locum tuum succederet?

Catharina. — Minime vero, hera, hic possum manere. Alia, ut dominae dixi, alio me vocant officia. Finita est paenitentia mea.

Hera (offensione dirupta). — Paenitentia tua! ain' tu, procax? Hoc erga me mitissimum, iucundissimum officium egone vocari audio paenitentiam?

Catharina. — Pace tua, confessarius meus . . .

Hera. — Hem aliam, o bona, narras nunc fabellam! Confessariis tuo nimirum generi opus est! Multane confessario illi tuo herilia refers peccata! De- fuit unum hoc mendacium!

Catharina — Superba, domi meae, sum fastidiosaque et patientia erga ministros carens, Tollere hoc vitium non potui. Alia carnem, animum alia magis domant remedia. Veniam ab ornatrice mea, ob aliquas ei illatas a me iniurias, rogare suppliciter, meam in superbiam licet remedium, ab illa non intelligeret, quippe quae non sic perita sit affectuum, ut nostram cognoscat conscientiam, et recte tam humilem interpretetur satisfactionem. Restabat demum, ex confessarii mei sententia, pro pietatis exercitatione, ut omnium operum ancillae in loco, una servirem hebdomade. Mariti mei usa sum itinere, ut ferias famulis nostris. darem, et herae mense uno servirem. Cras ad sortem propriam reditura, restat ut apud heram me excusem, quod patientiam eius mea inscitia et imperitia acerbius tentaverim. Mercedem, a me immerita debitis cum gratis acceptam, herae nomine ac permissu, pio tradam operi.*)

*) Lacordarius († 1861) matronae optimati, quae reliquum imperando fastidii ponere satis celeriter non poterat: „Vellem, inquit, ut mediocris ordinis feminae difficili, morosae et philosophae, tota die

et compressa voce obedire cogereris: pulcrum videret superbia tua ludum! Cogita, quod id bene meruisses, et sicut revera esset, agito.“

Austeritatum corporalium ipse licet appetentissimus, erga mulieres summam in illis adhibebat moderationem, neque eis nisi parcissime, pro earum pietatis genere et viribus naturalibus, duriora concedebat. Sed nihil ex eo, quod corpori parceret, animi mala lucrabantur, et quae ab illa parte prae cautione non audebat, sollerter hac vindicabat. Paenitentes suas omnibus amoris sui contumeliis assuefaciebat et nonnunquam ut subiectas sibi veniam ro-garent impellebat, quum iniuriam ipsis fecissent, idque flexis genibus faciendum iubebat, si hanc humilitatem utrimque- intellectum iri sciebat, et ea mente christiana acceptum, qua inspirabatur. „Me iuvat, scripsit, quod tuas praecepticem et ancillam in sororum numero habere coeperis, quas diligere et colere debeas, te ab ipsis aedificando, et ipsas a te. Superbiam tuam nimis non potes deprimere, quae non deprimitur humilitatis nisi exercitationibus veris, parvum, non solum coram Deo, quod satis consentaneum est, sed corum hominibus se faciendo, coram paribus, maximeque inferioribus. Ancilla pia oportet, ut res tibi sit tanquam religiosa, eam modo ne superbia erigas nec ipsius supra conditionem efferas. Haec est ratio cur Jesus Christus pedes apostolorum suorum lavit, qua re nobis voluit monstrare, nos coram inferioribus nostris submitte-dos, et eis officia vilissima propter Deum ministranda. Ancillae et praecepticis tuae ad pedes animo saepe, nonnunquam revera esto, id modo sine noxa si poteris. Alterius enim debilitatibus parcendum est semper.“

Le R. P. Lacordaire . . . par be R. P. Chocarne, c. XIV. Paris, Poussielgue 1867.)

In Joannam Bonanni Hymnus*)

Orta praeclaro genere ex dynastis
Ocreis, fastum vetitique fraudes
Despicias saeculi, potiore flamma
Corda calescens,

Nuptias poscunt? Procul o profani!
Ipse Rex caeli sibi vult Joannam;
Ipse divina dape iam puellam
Pascit ad aras.

O novum foedus! Domini loquentis
Virgo caelestes bibit aure voces;
Protinus Christo vovet immolandam
In cruce vitam.

Mater, o fratres, tenerae sorores
Et mihi fines patriae, valet!
Unus est ardor, mea spes et omnis
Gloria, Jesus!

Compos i voti, celebris puella,
Quae sacri cordis sociata sponsis
Tam brevi cursu valuisti ad altam
Scandere metam.

Sacra quid vestis cupidae induenda
Virgini aptatur? vocat ipsa caeli
Nuptias sanctas; rapiente amore
Corpore languet.

Languet heu! Matri moritura dulci
Redditur; multum iacuit sopore
Victa, sed, Jesu veniente, surgens:
O Amor, inquit!

Jam veni! — Amplexu recreata Sponsi
Membra componit placida quiete;
Liber at vinculis petit astra plaudens
Spiritus aliis.

O novum sidus, iubar o coruscum
Patriae, dulcus populi patrona,
Sis memor nostri, vigil usque caelo
Mitis adesto.

Oppidum natale vide sereno
Lumine, et montes super Ocrearum
Siste! Vestinis velut alba nautis
Stella refulge.

Lapsa de caelo recolas paternam
Jam domum, sint hic tua mox futura
Templa, quo gentes veniant **Joannum**
Visere **Sanctam**.

Victimae post te cecidere ad aras
Mater herois, patiens sororque:
Evehe illustres animas, in unum
Cogite palmas.
A. Nardis

*) Nata est suavissimus virtutibus praedita ao. MDCCCLXXI, Aquilae in Vestinis ex gente Baronum di Ocre, quae terra, quinque complectens pagos, pauca milia distat ab oppido illo. In hac terra maiorem agebat vitae partem in splendidissima villa familiae, applicata collibus di Ocre, qui prospiciunt montem Gran Sasso d'Italia vocatum. Inter Sponsas Sacratissimas Cordis Jesu Romae adscita Joanna sanctissime obiit VI. Kal. Mart. MDCCCXCVII.

Rudyardi Kipling, Praestantissimi Poetae Britannii, Carmen

latine reddidit

Henricus Brand Hagensis

A Ripple Song

Once a ripple came to land
In the golden sunset burning —
Lapped against a maiden's hand,
By the ford returning.

Dainty foot and gentle breast —
Safe across be glad and rest.
"Maiden, wait", the ripple saith;
"Wait awhile, for I am Death!"

"Where my lover calls I go —
Shame it were to treat him coldly —
'Twas a fish that circled so,
Turning over boldly."

Dainty foot and tender heart,
Wait the loaded ferry-cart.
"Wait, ah, wait!" the ripple saith;
Maiden, wait, for I am Death!"

"When my lover calls I haste —
Dame Disdain was never wedded!"
Ripple — ripple round her waist,
Clear the current eddied.

Foolish heart and faithful hand,
Little feet that touched no land.
Far away the ripple fled,
Ripple — ripple — running red!

Carmen Gangeticum

Currit ad ripam tremor, en, per undas,
Ignibus solis ruber occidentis,
Et manum lambit tenerae puellae
Iam redeuntis.

Quae vadum dextro pede transiisti,
Salva nunc, laete, cor amans, residas.
'I retro, sum mors!' tremor inquit, 'istinc
Cede, puella!'

"Quo vocat sponsus, properanter ibo —
Absit indignum: remorari amorem —
Traxit hos gyros petulanter imo
Piscis in amni."

Cor fidele, hortor, maneat parumper:
Transvehi carro poteris frequenti!
'Heus retro, mors sum!' tremor inquit,
Cede puella! [heus tu,

"Si vocat sponsus, properare pergo!
Neglegis —, ne te, metus est, repellat!
Ah, tremor rursus; tremulo orbe cinc-
Obruit unda. [tam

O manum fidam, cor amore demens!
Nec pedes terram tetigere parvi.
Aufugit longe tremor ille currens
Sanguine tinctus.

Quid amici nostri de se ipsi scribant*)

2. Carolus Hultgren Lipsiensis

Fridericus Carolus Hultgren non ut nomen indicat Suecus, sed Saxo Dresdae natus sum anno praeteriti saeculi tricesimo quinto; abavus enim temporibus Caroli duodecimi, Suecorum regis, in Saxoniam ineunte saeculo duodevicesimo venerat ibique remansit. Post ludum elementarium per sex annos discipulus fui scholae sanctae crucis, quod tum unicum gymnasium capitis regni Saxonicum rectore Ludovico Klee magnam famam habebat. Anno quinquagesimo tertio Lipsiam in universitatem me contuli et per quatuor annos scholas Bursiani Drobischii, Hartenstenii, Klotzii, Nitzschii, Overbeckii, Wachsmuthii, Weissii, Westermanni, Wuttkii, Zarnckii frequentavi, quibus viris, cum ipse sine opibus essem, multa beneficia debeo et in perpetuum eorum memor et gratus manebo. Relicta anno 1857 universitate examine bene superato Dresdam redii ibique in schola privata beati Krausii per unum et dimidium annum magisterio functus Lipsiam reverti, ut in schola Nicolaitana, quae ibi per quatuor saecula floret, munus susciperem, quod per quadraginta duos annos administravi, a sexta classis directione usque ad primae gubernationem

promotus. Anno septuagesimo sexto summi ministerii cultus gratia professoris titulo ornatus anno milesimo nonagesimo munere abdicavi et rude donatus homo privatus Lipsiae dego,

Dei gratia provecta aetate adhuc mente sana in corpore sano. In studiis privatis imprimis poetis elegiacis Graecis et Latinis operam dedi et haec publicavi:

1. Observationes metricae in poetis elegiacis Graecos et Latinos. Pars I et II. Programmata scholae Nicolaitanae anni 1871 et 1872.
2. Statistische Untersuchung. d. Distichons. Bericht der philog.-historischen Klasse der königl. Gesellschaft. d. Wissensch. 1872.
3. Die Technik der römisch. Dichter

im epischen u. elegisch. Versmasse. Jahns Jahrbücher für klass. Philologie 1873.

4. Tibulls Deliaelegien in deutscher Uebertragung. Jahns Jahrbüch. für klass. Philologie 1876.
5. J. A. Comenii Magna Didactica. Ex editione Amstelodamensi nunc primum edita 1894.
6. Deutsche Dichtungen in lateinischem Gewande. Leipzig, Giesecke & Devrient 1907.



*) Cf. anni prioris num. V.

Plutarchi studia in Platone explicando posita quae spectant ad doctrinam theologicam

(H. Holtorf, Plutarchi Chaeronensis studia in Platone explicando posita. Diss. Gryphiswald. 1913.)

Plutarchus omnia, quae inveniuntur in rerum natura, ad duo principia retulit, quorum alterum est bonum, alterum pravum. Qua ratione Plutarchus hanc doctrinam ex Platonica derivare potuerit, nobis primum illustrandum est.

Convertamus nos ad principium bonum. Quid de huius natura cogitavit Plutarchus?

Supremum locum uni deo tribuit, tamquam principi rerum omnium, qui modo deus, modo Apollo, modo Osiris, modo alio nomine vocatur. Huic supremo deo subditi sunt dii reliqui, quorum suam quisque partem mundi administrat. Si quaerimus, qualis ratio intercedat apud Plutarchum inter deum supremum atque alios deos, nihil a Plutarcho de hac re obscura demonstratum invenimus; tamen eum ita stautuisse putare possumus, ut deos ex supremo illo numine, in quo sit initium mundi, nescio quo modo provenisse putaret, cum natura horum eadem fere esset atque patris. Hoc modo sententia, quam habuit de numine supremo, cum ea, quam tenebat de deorum multitudine, coniungi potest. Qualem cum doctrinam de dis haberet, Plutarchus religionem a maioribus susceptam, cuius summa pietate imbutus erat, optime servavit atque etiam eo auctorem descendisse videmus, ut religiones omnium gentium unam eandemque esset diceret. Nam omnibus hominibus deorum reverentia et cognitio vera a natura insita est.¹⁾ Itaque dii, ut sol et luna et caelum, etsi omnibus gentibus communes, aliis nominibus ab aliis appelluntur, idem apud omnes sunt.²⁾ Itaque haud dubitat nomina deorum Aegyptiorum ex lingua Graeca interpretari.³⁾

Genus divinum aeternum et ortus interitusque expers putandum est, cui a tempore nulla mutatio inferri possit.

¹⁾ de Is. et Os. c. 23 p. 359 F. ²⁾ de Is. c. 67 p. 377 F. ³⁾ de Is. c. 61 p. 375 E, etc.

Nam tempus mobile quiddam designat, quod cum mota materia semper apparet, quod semper fluit et nullam rem retinet. Eum enim stulta loqui dicit, qui id, quod nondum fuit aut quod iam esse desiit, re vera esse dicat. Praeter deum nihil est, quod esse praedicare possimus. Non ut genus humanum variis naturis commixtum est, deus intellegi debet, sed quia est, unum oportet esse; quod autem neque cum alio confusum est, semper unius modi sui que similis, incorruptum atque sincerum est. Nam res, si cum alia commiscetur, corrumpitur et inficitur. Itaque, quia pura sit supremi dei natura, Osiridis vestis unius coloris in mytho illo Aegyptio demonstratur.¹⁾ Deus est perfectus, ex quo omnis inopia et imbecillitas excludenda est, nam omnem praestantiam et possessionem bonorum omnium de divina natura praedicare possumus.²⁾ Quia deo igitur nulla re opus est, in humana virtute id perfectissimum et quam maxime divinum est, quod ad suum usum quam minimis rebus utitur. Deus maxima instructus potentia³⁾ vim suam non fulmine aut tonitru patefacit, sed scientia et prudentia. Dei gaudent perfecta cognitione omnium rerum; λόγος αὐτὸς καθ' ἑαυτὸν aut νοητὸν dicitur deus.⁴⁾ Haec ἐπιστήμη et φρόνησις dei Plutarchoi culmen declarat virtutis. Quam ut adipiscantur, hominibus semper summum studium adhibendum est. Hac virtute deum magis praestare dicit, quam immortalitate sua atque potentia.⁵⁾ Deus perfecte est bonus, omniumque bonorum, quae hominibus eveniunt, auctor habendus est; neque ulla caret virtute, minime iustitia et amicitia.⁶⁾ Hunc ob principatum deus beatus est, non ob aeternitatem vitae.⁷⁾

¹⁾ de E Delph. c. 17—20 p. 391 E sqq.; de Is. c. 54 p. 373 B; c. 77 p. 382 C; etc.

²⁾ Compar. Arist. et Cat. c. 4 p. 354 F. ³⁾ de Is. c. 1 p. 351 C sqq. ⁴⁾ de Is. c. 5 p. 373 B, c. 62 p. 376 C. ⁵⁾ Arist. c. 6 p. 322 A. ⁶⁾ de def. orac. c. 24 p. 423 D. ⁷⁾ ad princ. inerud. c. 3 p. 781 A.

Isidi a natura insitus est amor Osiridis, primae et praestantissimae naturae, quae declarat id, quod per se bonum est.¹⁾ Numen divinum pater est omnium rerum pulchrarum nec bono invidia vel ira ullius hominis aut rei incidit.²⁾ Di ea sunt natura, ut ipsi sua benevolentia delectentur, itaque Plutarchus deos plerumque occulte bene facere suspicatur;³⁾ nam procul absunt a vitiis et affectionibus animorum hominum. Itaque rapinae aut scelera aut adulteria aut alia, quae in fabulis a dis facta referuntur, non his sinceris atque perfectis diis ascribenda sunt, immo geniis, qui medium locum tenent inter deos et homines.⁴⁾ Deo omnino nihil est cum iis rebus, quae mutari possunt, immo longissime a terra abest purus impollutusque ab omni natura interitum aut mortem sustinente.⁵⁾ Qui enim deum admiscet necessitatibus, nequaquam maiestatem atque dignitatem virtutis eius conservat.⁶⁾ Ii quoque falsam habent opinionem, qui simulacra aerea et lapidea aut, ut Aegyptii, animalia fera non modo imagines deorum esse putant, sed ipsos deos.⁷⁾ Non minus inepta est Stoicorum sententia, qui deos quasi captivos in materia teneri suspicantur, quae infinitas rerum necessitates perpetitur, atque hos allegorice fluctus, terrae affectiones, mutationes tempestatum taliaque designare putant.⁸⁾ Neque enim in materia includi debent dii, qui procul absunt a varietate aut interitu, nam tollitur immutabilis natura deorum; sol non ipsum deum supremum significat, sed tamquam imago pulcherrima huius est; vituperat solem quod effecerit, ut apud omnes homines Apollo ipse ignoraretur, cum intelligentiam sensu averteret ab eo, quod

est, ad id, quod esse videtur.¹⁾ Per se igitur numen ab omnibus rebus, quae sensibus animadverti possunt atque intereunt, longe remotum est; numen ipsum videt, neque vero videtur.²⁾ Neque tamen talem sedem deis tribuit, ut mundus hominesque dei voluntatis omnino expertes sint, quod non respondeat naturae numinis. Irridet εἰδωλα κωφὰ καὶ τυφλὰ καὶ ἄψυχα Epicureorum, qui deos otiosos in intermundiis exstare putabant.³⁾ Sed, ne quid indigni diis tribuatur, alterum Plutarchus statuit inter deos et homines exstare genus daemonum, quibus tamquam ministris utuntur dei ad res humanas cognoscendas curandasque.

Homines, si sanctam puramque vitam egerunt, fiunt heroes, atque hi daemones.⁴⁾ Infimum locum habent bestiae, quas anima praeditas esse dicit.⁵⁾ Genii in Plutarchi philosophia summo sunt momento, nam eos dicit, qui daemones esse negent, omnem communionem inter deos hominesque tollere.⁶⁾ Genii interpretum administratorumque muneribus funguntur: vota precesque hominum ad deos referunt atque a dis ad homines dona oraculaque deducunt. Quod oracula deficiant, hoc a daemonibus factum esse putat neque a dis, qui numquam ipsi oracula dederint. Daemones aut mortuos esse aut ab oraculis se avertisse. Permixa et inaequalis est daemonum natura. Insunt in geniis et vis divina quaedam et cupiditates humanae. In aliis, qui sunt boni, virtus praevalet atque paululum restat libidinum humanarum, in aliis autem pravis hae superiores sunt neque multum inest divinitatis.⁷⁾ Bonis geniis, qui a vinculis corporum liberati sunt, munus impositum est, ut hominum tutelam susciperent atque hos incitarent ad pulchritudinem veritatemque cog-

1) de Is. c. 53 p. 372 F. 2) non posse suaviter vivi sec. Epic. c. 20—23 p. 1100 sqq.; de comm. not. c. 32 p. 1075 E sqq. 3) de adult. et amico c. 22 p. 63 F. 4) de def. orac. c. 15 p. 417 sqq., etc., Pericles c. 39 p. 173 C. 5) de Is. c. 78 p. 382 E sqq. 6) de def. orac. c. 9 p. 414 F. 7) de Is. c. 71 p. 379 C sqq. 8) de comm. not. c. 31 p. 1074 F; de def. orac. c. 29 p. 426 B; de E Delph. c. 21 p. 393 D; de Is. c. 66 p. 377 C; ad princ. inerud. c. 5 p. 781 F; etc.

1) de Pyth. or. c. 12 p. 400 D. 2) de Is. c. 75 p. 381 B. 3) de def. or. c. 19 p. 420 B. 4) de def. orac. c. 10 p. 415 B. 5) de esu carni; de sollertia animalium c. 4 sqq. p. 962 sqq. 6) de def. or. c. 13 p. 460 F. 7) de Is. c. 26 p. 360 sqq.

noscendam;¹⁾ mali vero auctores sunt omnium malorum, ad hos omnes eae narrationes referendae sunt, in quibus falso a poetis dei hominibus insidias parare aut flagitia committere dicuntur. Unde autem his daemonibus eveniunt affectiones malae aut hominibus? Unde omnino in mundo corruptio magna et pravitas effecta est?

Cavendum esse iam vidimus, ne benevolentiae deorum obtrectemus neve his culpam malorum ingeramus; nam numen divinum per se perfecte bonum est; alterum igitur principium contrarium, malum, Plutarchus assumit, quod commixtum cum bono divino naturam huius mundi efficit. Hoc elementum eum in materiae bruta motione invenisse infra videbimus.

Si iam id complectimur, quod de doctrina Plutarchi diximus, haec duo principia, in quibus inest fundamentum totius Plutarchi philosophiae, memoria tenenda sunt. Illud pravum homini, quantum possit, removendum esse dicit. Eo magis autem homines adhortatur, ut omnia studia conferant ad divinitatem percipiendam et imitandam, ut quam maximam communionem accipiant cum dis. Virtutem humanam docuit conformari oportere ad exemplar divinum. Quod non alia ratione fieri posse contendit, nisi philosophia. Culmen omnis philosophiae in eo positum esse putat, ut homines quam simillimi fierent divini numinis.²⁾

Sed hactenus de sententia, quam de primo principio habuit Plutarchus. Ut scriptoris studia in Platone explicando posita illustraremus, satis erat Plutarchi doctrinam adumbrare nec pluribus de unaquaque sententiarum discrepantia, quarum permultas apud Plutarchum invenimus, disserere. Nam eae solae commemorandae erunt, ubi sententiam suam de Platonis locis commutavit.

Alios philosophos vituperat Plutarchus, quod omnia ad unum principium sive ad voluntatem divinam sive ad naturae vim rettulerunt. Longe

rectissime vero Platonem de mundi origine atque gubernatione cogitasse multis locis palam confitetur atque maximam partem doctrinae suae ex Platonica hausit. Sed priusquam hoc accurate demonstro, paucis proponam, qualis naturae sint apud Platonem primum supremus ille deus, opifex mundi, deinde alii dei procreati.

Tota philosophia Platonis continetur eo, quod deus solus sapientiam veram amplectitur, nam hic modo sapiens appellari potest neque vero homo, qui sapientiam perfectam numquam accipere possit.¹⁾ Deorum aeternorum nemo philosophatur nec se sapientem fieri vult;²⁾ eo magis Plato homines adhortatur, ut omne tempus conferant ad scientiam veram intellegendam, — gubernatores rei publicae perfectae ad aspectum dei pervenire iubentur, quem contemplantes rem publicam suam regant et administrent.³⁾ Philosophia nullum optabilius mortali generi deorum munere neque datum est neque dabitur.⁴⁾ Quam necessitudinem Plato inter deum supremum et ideas voluerit, quaestio est difficillima, quam accurate hic solvere alienum a meo consilio est. Omnino huius commutationis nequaquam esse potest, omnes virorum doctorum sententias hic percensere.⁵⁾ Me quidem in sententiam eorum transisse profiteor, qui ideae summae causam moventem tribuunt.⁶⁾ Neque mihi ullius momenti esse videtur, quod viri docti nonnulli contra Zelleri argumentationem protulerunt. Plerique mihi Platonem poetam non satis a philosopho seclusisse videntur. Tres omnino rationes inter haec duo principia, inter ideam boni et deum, fieri possunt.⁷⁾ Primum ideae tamquam cogitationes aut opera numinis esse possunt, deinde deus ab ideis procreatus esse potest. Sed ut illud ab aeternitate atque absoluteione idearum abhorret, ita hoc cum perfec-

¹⁾ de genio Socr. c. 24 p. 593 D. ²⁾ de Is. c. 68 p. 378 C; c. 79 p. 383 B sqq.; ad princ. inerud. c. 5 p. 781 F; de sera numinis vind. c. 5 p. 550 C sqq.; etc.

¹⁾ Parm. p. 134 C, Phaedr. p. 278 D. ²⁾ Symp. p. 204 A. ³⁾ Rep. p. 505 E. ⁴⁾ Tim. p. 47 A. ⁵⁾ cf. Stumpf p. 5 sqq. Lindroos p. 5 sqq., Boreas p. 5 sqq., etc. ⁶⁾ Idem nuper ostendit H. Schwarz, de Gottesgedanke in der Geschichte der Philosophie I, Heidelberg 1913, p. 38 sqq. ⁷⁾ cf. Zeller.

ta sempiternaque natura dei supremi nequaquam coniungi potest. Tum autem nec ab ideis procreatus nec ipse ideas genuisse deus dici potest, sed qui communionem inter mundum intellectualem atque sensilem efficiat. Platoni enim summae erat difficultati, ut ideis vires moventes et rationem fingentem tribueret, quibus incitatae ideae imagines suas in rebus, quae oculis cerni possunt, ostenderent. Quae difficultas re vera inde tolli posse videtur, quod deo locum illum conciliantem tributum esse putamus. Hic spectans ad ideam boni in Timaeo mundum procreat. Tamen gravissimae exstant dubitationes, ex quibus hanc non fuisse veram sententiam Platonis elucebit. Primum vix Plato principia duo suprema inconiuncta statuerit; deinde, si has naturas apud Platonem distinctas videmus: primum id, quod re vera est, deinde id, quod omnino non est, tum res, quae nequaquam re vera sunt immo modo fiunt, — quid aliud deus summus, quem re vera esse Plato contendit, declarare potest atque ideam? Deus enim, nisi idea esset, omnes qualitates inde accepisse deberet, quod particeps esset idearum.¹⁾ Quod a natura perfecta dei valde alienum est. Deus summus hanc ob causam, quia est idea boni, quae omnes in se complectitur ideas, re vera est. Plato poetica dictione, qua saepissime imprimis in Timaeo utitur, pro idea boni personam mundum condentem facit, sed ita, ut intellegi possit, qualem voverit hunc deum. Haec argumenta addere mihi liceat.

Summum finem esse philosophiae Plato „τὴν τοῦ παντός ἀρχήν“ dicit,²⁾ quod quin hoc loco ideam boni significet, dubium non est, quae est principium omnium reliquarum, quae sumptione ulla caret. Aliis autem permultis locis deus summus perfectusque cum omnium rerum sensilium tum maxime rerum intellectualium creator dicitur. Idem igitur, quia unum initium modo statui potest, deus et idea esse debent.

Deinde Plato opificem et patrem huius universitatis, paulo ante τὸ αἰτίον mundi appellatum, invenire difficile esse neque, cum iam inveneris, indicari in vulgus posse dicit.¹⁾ Idem de idea boni scriptum videmus, quae ipsa quoque vix (μόρις) cerni possit. Conspicam autem ideam causam omnium rerum intellegendam esse dicit.²⁾ Unde creatorem mundi mythice dictum non aliud significare atque ideam boni videmus. Deus summa benignitate praeditus in mundo exstruendo omnia sibi simillima fieri voluit,³⁾ itaque mundus non ipse bonus sed ab idea boni et secundum ideam boni fictus bono simillimus intellegendus est; ipsa autem idea boni in tanta generis humani infirmitate vix percipi potest.

Accedit aliud gravissimum argumentum. Opifex enim modo⁴⁾ ideam boni aspiciens mundum procreat, ut sibi quam simillimus fiat, modo⁵⁾ autem se ipsum exemplum mundi proposuit. Itaque intellegimus, quod Plato⁶⁾ mundi universitatem imaginem esse deorum aeternorum (τῶν αἰδίων θεῶν γεγονός ἀγαλλμα) contendit.⁷⁾ Hoc loco ei sane in mente sunt ideae, quarum omnium ipse deus supremus, ut summa idea boni, principium declarat.⁸⁾

Sed hactenus de supremi dei persona. Quaestionem difficillimam, qua ratione ceterae ideae ad summam referendae sint, apud Platonem solutam non invenimus.

Ab hoc numine supremo Plato eos deos factos esse dicit, qui oculis subiecti sunt: astra. Hi quoque sicut reliqui omnes dei creati immortalitem acceperunt neque vero ex sua natura sed ex dei voluntate.⁹⁾ Partes animalium mortales fingere a deo supremo iubentur, ne animalia, in quibus sunt homines, si ab ipso deo optimo

1) Tim. p. 28. 2) Rep. p. 505 A, 517 BC. 3) Rep. p. 508 B, Tim. p. 29 E, 30 A, etc. 4) Tim. p. 28 A, C. 5) Tim. p. 29 E: ubi mundus appellatur εἰκλῶν τοῦ νοητοῦ (scil. θεοῦ) θεός αἰσθητός. 6) Tim. p. 37 C. 7) Lindroosii explicatio (p. 58 sqq.) verborum Platonis: „simulacrum ex deis (i. e. stellis) constans“ nimis artificiosa neque probanda mihi quidem videtur. 8) cf. p. 40 sqq. huius dissertationis, quid ex Heinzeii suspitionibus de libri de Is. fontibus fortasse concludi debeat. 9) Tim. p. 40 A sqq.

1) cf. Symp. p. 211 B, Phaed. p. 100 C, etc. 2) Rep. p. 511 B.

figantur, deorum vitam possint adaequare. Qualem cum naturam astris tribueret, Plato opinionem, quae omnibus fere temporibus vigeat, protulit.¹⁾

Praeter hoc genus deorum Plato²⁾ ex summo numine aliud procreari vult: deos populares religione acceptos. Sed Platonem de his deis genere facetissimae dissimulationis loqui videmus, ex quo eum tales deos negasse apparet. Horum deorum ortum et nosse et enuntiare maius esse dicit, quam ut scribere audeat, iis credendum esse, qui se ex horum stirpe natos esse contendunt. Horum testimoniis, etsi nulla ratione confirmationeque probata sint, difficile factu esse fidem non habere ostendit atque tum genealogiam nobis dat. Quid autem cogitaverit Plato de talibus studiis genealogorum, optime ex Theaetato³⁾ elucet, ubi irridet eos, qui falsam habeant opinionem de maioribus suis.

Paulo post in Timaeo eadem ironia de his dis loquitur: eos apparere modo, si velint; gravissime philosophum alio loco⁴⁾ contra eos repugnantem videmus, qui tale quidpiam credit.

Saeppissime deorum narrationes mythis inseruit; saepissime deorum apud Platonem mentio fit aut saepius Graecum aliquem deum vocatum videmus, ubi illud numen supremum Plato-

¹⁾ Idem senserunt Leibniz, Fechner aliique. ²⁾ Tim. p. 40 D sqq. ³⁾ Theaet. p. 174 E sqq.; cf. Leg. p. 948 B. ⁴⁾ Rep. p. 381 B.

Censura Librorum

E. Bloch, *Musterbeispiele samt Ausarbeitung für die studierende Jugend*. Latein für die III. Klasse. Wien, M. Perles, 1913. 90. 1.20 K.

Linguae Latinae tironibus cum omnibus tum sine praeceptore discentibus, quibus potissimum liber destinatus videtur esse, nihil nisi specimina latinitatis praebenda esse per se intellegitur. Qua laude ea quae hoc libro proferuntur carent. Interpretationes enim Latinae, quae altera parte leguntur, non solum mendis typographicis redundant iisque valde miris (e. gr. suavit, pro: suasit, p. 51; admo-verisse, demigranturi, p. 53; maris Aegari, potneratur, diem superemum abiit, invitiam, p. 54; capugnatis, p. 56; arribus, omnes, pro: amnis! consolata, pro: consolata, p. 61; insulta, pro: insueta, p. 69; intulit, pro: impulit, spem paruit, pro: posuit, p. 71;

ni in mente fuisse constat. Quod fecit, ut religioni publicae aliquid concederet; nam hanc religionem maiorum institutis acceptam in re publica sua retinendam censuisse videtur, quamquam ipse hos deos re vera esse putare non poterat.

Hanc doctrinam theologicam Platonis esse si animo tenemus, iam videmus, quantopere discrepent sententiae huius philosophi a Plutarcheis. Tamen hic fundamentum doctrinae suae ex Platone hausit. Iam ad rationem, qua accedit ad tales quaestiones, Plato vel Platonici aliquid contulerunt. Ut saepe Plutarchum in disciplina Scepticorum versari videbimus¹⁾, ita etiam hac in quaestione de deorum natura instituenda dubitat, an de deorum gubernatione omnino veritas inveniri possit atque cautionem Academicorum adhibendam esse censet.²⁾ Sicut ceteri illius temporis in sententiis Platonis interpretandis eo deflexit, ut omnes imagines aut mythicas rationes dicendi, quas Platonem saepissime adhibuisse constat, veras sententias intellegeret. Unde evenit tanta differentia Plutarchi a Platone, cum ipse se sententiam Platoniam proferre crederet. Plutarchus enim alias naturas primas statuit atque Plato. Hic distinxit id, quod re vera est, ideas, atque id, quod omnino non est, materiam, ille autem principium pravam et bonum.

¹⁾ cf. A. Goedeckemeyer, *Geschichte des griechischen Skepticismus*, 1905 p. 250. ²⁾ de sera numinis vind. c. 4 p. 549 E sqq.

repudivisse, irratis, p. 75; indicare vocatur, pro: iudice vocata! p. 76; adhibet, p. 81; resisterunt, solicta, pro: soluta, p. 83; alia paene innumerabilia), sed etiam satis multos locos ab initio perperam ac neglegenter scriptos fuisse apparet (e. gr. qui sibi operam dabunt, rem publicam a deo prodesse — welche sich Mühe geben, dass sie dem Staate sehr nützen! p. 70; medicus vim morbi frangere speravit; suspectus est se regem de medio sublaturum esse, p. 72; Aristides in suam patriam revocatus est, p. 65; Post mortem patris sui... in custodia coniectus est, p. 64; Philippi multum interfuit suum filium diligenter educari, p. 71; etc.). Librum parum emendatum foras datum esse iure mireris; nisi vero de industria eum qui illum conscripsit sparsisse putas vitia, in quibus indagandis discipuli se exercerent. H. Brd.

Horae subsecivae

(Carmina recentiora Latine reficta a Fr. Palata)

Jesus cruci suffixus

(Neruda: Ballada horská)

„Vulnus hians lateris — mihi dic, avia optima, quaeso —
 quae medicina levat quaeque coire facit?“
„Nulla medela potest obducere vulnus hiulcum,
 succo plantago ni iuvat alma suo.“
„Ferventis capitis diros lenire dolores
 quae medicina valet? Dic, bona, quaeso, mihi!“
„Ferventis capitis levat aestum tempore verno
 frons dstricta recens stirpibus arbuteis.“
Vix puer audierat, vicinos iam petit agros:
 „Succum, plantago, funde salutiferum!“
Hinc lucum properat per dumos per frutesque:
 „Da frondes vernas, arbute diva, mihi!“
Sumptis, quae voluit, volat in penetralia templi,
 qua Jesu Christi pendet imago cruce.
„Molle latus pectusque lavo tibi, dulcis Jesu,
 ut succo coeant vulnera cruda pio,
et vernas frondes propero circumdare fronti,
 aestus pellatur queis capitisque dolor.“
Ultero dat campana sonos de culmine templi;
 Christicolae veniunt succiduoque genu
pectora tundentes inhiant miracula stupenda:
 spem pueri Numen iusserat esse ratam.

Vico pendet adhuc montano Christus ab ara:
 vulnus abest lateri spina deestque genis.
Candentis lili veluti flos mane renidet:
 sic Jesu splendent integra membra cruce.

In concham

(Erika Reinsch: Die Muschel)

Auri quando meae subicio cavam
concham: tortilibus turbinibus bibo,
 queis pontus sine pace
 fervet, mystica murmura.

At si, care puer, pectoribus caput
subdo lenta tuis: harmonia poli,
 quam reddunt tua corda,
 aurem semper inebrior.

Psaltae carmen

(Göthe: Harfenspieler)

Cenam suam qui non lacrimis rigat,
noctem nec ullam pervigilat gemens
 urgente cura: vestra nescit
 numina, caelicolae severi!

In orbe terrae nos temerarios
labique pronos vestra locat manus,
 sed si quis errat: poena praeceps
 illaqueatque premitque sontem.

Carnegiana

Scrpsit Guilelmus Lehmann Vratislaviensis

(Pars altera) *

IV. Cap. I. pgg. 1—2:

Est aetatis nostrae quaerere, qua
ratione divitiae recte administrandae
atque divites cum pauperibus concinne
sint consociandi fraternitatis vinculis.
Vitae humanae condiciones his novissi-

*] Cf. anni prioris num. IV.

mis saeculis non mutatae solum, verum
eversae sunt. Prioribus temporibus
domini domiciliis, vestimentis, nu-
trimentis omnibusque rebus, quibus
circumdati erant, a satellitibus haud
multum differebant. Indiani hodie
ad eum statum sunt provecti, quem

olim homines tenebant vita cultuque exculsi. Cum gentem Sioux appellatam viderem, deductus sum ad principem: tabernaculum eius eadem erat specie ac ceterorum neque, quod attinebat ad interiora, tabernas pauperrimorum ducis militum ullo superabat ornamento. Discrimine hodie inter domum viri divitiis abundantissimi (millionarii) et casam operarii intercedente cognoscimus, quantopere vita humana commutata sit cultu. Nec tamen haec commutatio aegre ferenda, immo utilissima est iudicanda. Emolumento est, quin etiam necessarium ad genus humanum excolendum domos quorundam virorum omnibus rebus, quae in litteris artibusque summum tenent locum, et cuius cultus humani exploitationi hospitia praebere, ac magis est optandum esse huiusmodi hospitia quam non esse. Praeferenda sane haec magna inaequalitas sordi passim diffusae. Desint divitiae, deerunt Maecenates. Tempora antiqua, bona quae vocantur, non erant bona; neque enim eri neque servi condicio tam splendida erat, quam est hodie. In res condicionesque pristinas recidere perniciosum esset, imprimis servientibus; quo simul fieret, ut everteretur funditus cultus. Sed commutatio illa sive bonum sive malum attulit: certe adest neque converti potest viribus nostris; quam ob rem feramus eam reddamusque quam optimam est necessesse. Vituperando quae vitare nequimus tempus perdimus.

V. Cap. I. pgg. 8 sqq.:

Oritur quaestio, quae administrandarum divitiarum in manibus paucorum quidem hominum positarum ratio sit recta. Quam quaestionem satis hercle difficilem profecto ac recte dissolvere posse mihi videor. Praefari licet me hoc loco de magnis tantummodo opibus loqui, non de modicis pecuniis per multos annos comparsis, quae in familias commode sustentandas et educandas impenduntur; non enim haec sunt divitiae, sed capita ad victum suppeditantia, quae ut comparent omnes societatis humanae commoda tuendi causa debent sibi proponere.

Tres sunt modi de divitiis abundan-

tibus decernendi: aut mortuorum familiis relinquuntur aut legantur in usum publicum aut a possessoribus, dum vivunt, dispensantur. Primo et altero more plurimae ubicumque divitiae, quae paucis illis hominibus obtingebant, ad hoc tempus consumebantur. Consideremus igitur deinceps hos modos. Primum quidem consilii maxime expertem esse censuerim. In civitatibus, quae ab uno reguntur, fundi possessiones et maior pars pecuniarum relinquuntur filio maximo, ut inani satisfiat animo patris sibi conscii nomen et titulum suum posteris integrum tradi. Sed hanc spem vel honoris cupiditatem fallacem esse docet fortunae condicio, in qua hoc genus hominum, quatenus respicitur Europa, hodie versatur; saepe enim heredes stultitiis suis vel minuto agri pretio ad inopiam adducti sunt. Ne Britannis quidem durissima illa lex, qua hereditates abalienari vetantur, apta visa est ad gentem hereditate auctam in posterum conservandam; apud eos fundus privatus cum celeritate ab alio ad alium transit. Liberis in civitatibus patrimonium multo quidem iustius dispertitur progeniei; omnibus autem in terris cogitanti animo haec exoritur quaestio: 'Quid tandem liberis relinquere oportet pecunias magnas? Quod si quis facit amore permotus, nonne pravo facit amore?' Nam experti scimus liberis — in universum sit dictum — non esse saluti tanta mole onerari; neque plus prodest civitati. Itaque cavendum sane videtur, ne plura suppeditentur quam reditus non ita uberes uxori filiabusque, filiis, siquidem his quoque providendum creditur, mediocres pecuniae; neque enim dubium est, quin magnae opes relictae accipientibus saepe maiori sint detrimento quam emolumento. Qua ex causa sapientes facile intellegent huiusmodi legatis, si verum et domesticorum et reipublicae commodum animadvertitur, pecunias suas prave adhiberi.

Quod non sic accipi volumus, tamquam eos filios, quos ad victum quaerendum educare parentes omiserint, paupertati temere committendos esse credamus. Si cui placuit filios eo edu-

care consilio, ut vitam in otio degerent, vel si quis, id quod maxime est laudandum, eos adduxit, ut se nulla pecuniae ratione habita usui publico inservire posse censerent, nimirum illius, ut patris, est videre, ut moderate iis consultum sit. Inveniuntur millionariorum filii, qui divitiis quamvis magnis non corrupti plebi summa praestant beneficia: nisi his salis terrae nomen non tribuendum, hosque tam raros quam caros esse dolendum est. Attamen non exceptio, sed regula est intuenda; atque is, qui quid pecuniis immensis ad heredes translatis soleat effici secum reputaverit, ipse dicet: ‚Filio meo execrationem potius quam dollarium omnipotentem relinquere malim‘ haud dubitans, quin talium legatorum causa sit non salus liberorum, sed gentilis quaedam superbia.

VI. Cap. I. pgg. 10—11:

Sed transeamus ad alterum modum. Orientes quod pecunias magnas in usum publicum relinquunt, haec divitiarum utendarum ratio est eorum, qui, ut hominibus etiam aliquantulum

prosint, satis habent expectavisse, donec mortui sunt. Non ignorantes, quid huiusmodi legatis sit effectum, non ingrediemur in bonam spem ex iis post mortem testatorum multum boni eventurum esse. Nec raro accidit, ut quod testator consequi voluit non efficiatur, nec non saepe ea, quae ille concupivit, utique turbantur; saepius legata in rem heredum ita convertuntur, ut nihil nisi monumenta stultitiae legatoris fiant. Quam ob rem bonum est monere non minore opus esse arte ad divitias ratione omnibus vere utili utendas, quam ad parandas. Praeterea quemquam laudandum esse ob id, quod facere denique cogatur, facile negabimus; neque respublica, cui divitias nisi moriens non relinquit, ei gratiam debet. Qui hoc modo pecunias relinquunt immanes, eos nihil omnino relicturos fuisse, si illas secum auferre potuissent, sine dubitatione licet opinari. Hos grata memoria prosequi non par est, quia munera eorum non documenta sunt benevolentiae. Non est cur miremur talia legata favore divino plerumque carere. (Proxime finietur)

Corrigenda

pg. 18² lin. 46 pro crenatores lege creatores,
 „ 18² lin. 49 pro disputatum lege disputatam
 ibidem pro Tullius lege Tullius,
 ibidem pro ex lege ex-
 pg. 19¹ lin. 26 post nexum comma ponendum,
 „ 19² lin. 28 pro divit lege dicit,

Pg. 20² lin. 39 pro Nequetamen lege Neque
 tamen,
 „ 21¹ lin. 18 pro passi lege passae,
 „ 25 in lin. ult. pro aceremus lege faceremus,
 „ 27¹ lin. 30 pro convenitu lege conventu.

==== Pretio incredibiliter minuto ====

libri nunc illi comparari possunt, quibus tituli: **M. Duncker, Geschichte des Altertums. 9 voll. Leipz. 1878—86**, non **74**, ut ante, sed **20 M** et **M. Duncker, Griechische Geschichte. 5 voll. Leipz. 1888**, non **34**, sed **12,50 M inclusa vectura**, quoad suppetet copia, venales **apud me ipsum!**

H. LÜSTENÖDER, FRANCOFURTI A. M., BAUSTR. 10

==== Praeconia Publica ====

==== **Adolf Schustermann** ====

[BERLIN SO. 16, Spreepalast]

doctis, politicis, artificibus, scriptoribus,
 fabricatoribus, editoribus, aliisque hominibus literatis

Nuntios Ex Actis Diurnis Excerptos

modicis suppeditat pretiis.

Omnia mandata diligentissime peraguntur. Cuilibet studio praesto sunt res utilissimae. Excerptuntur maxima orbis terrarum acta atque periodica.

==== **PROSPECTUS GRATIS!** ====

Professor Kroll Vratislaviensis,
 editor praestantissimi illius operis, cui titulus:

**Realenzyklopädie der
 klassischen Altertumswissenschaft
 (Pauly-Wissowa),**

cuius tertium nunc paratur supplementum, ab omnibus in hoc genere literarum versantibus enixe petit, ut, quaequae in voluminibus adhuc editis deesse intellexerint, sibi notum faciant. Non scribat, qui nihil nisi menda typographica vel libros interea publicatos indicare velit. Omnes epistolae dirigantur

Breslau 16, Hobrechtufer 12
 Red. S. L.

805
543

UNIV. OF MICHIGAN

JUL 22 1914

SCRIPTOR LATINUS

Commentarii Ad Linguae Latinae Humanitatisque
Studium Colendum Editi

Prodeunt decies in anno pretio 4 Mrum.

Annus X: Numerus IV

— Procurant negotia —

in America: G. E. Stechert & Co., New-York, 129—133 West, 20th Street;
in Britannia: D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C.,
57—59 Long Acre;
in Italia: Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via
Tornabuoni;
in Nederlandia: N.V. Boekhandel, voorh. Gebr. Belinfante, Den Haag, Kneuterdijk 3;
in Russia: K. L. Ricker, St Petersburg, 14 Newsky Prospekt.

Summarium:

Hoogvliet, De Martini Valdecii
rebus fatoque
Lehmann, Poetarum germani-
corum carmina
Chimani, Colloquium puerile
Schwab, Ernesti Suevi, fabulae
Uhlandianae, prologus
Lehmann, De Iuanii Turgenjeff
„Carminibus prosa oratione
compositis“
Steinbauer, De Solone et Pi-
sistrato (secundum Schillerum)

Programma certaminis poetici
Hoeufftiani in annum MCMXIII
indicti — Varia — Ex epi-
stulario redactoris — Senten-
tiae — Libri nostra aestate la-
tine prodeuntes — Sententiae
vertendae — Censura librorum
— Libri censurae causa missi
— Responsorium — Catalogi
antiquarii — Aenigmatum so-
lutiones — Aenigmata — Prae-
conia publica

Redactor: Voldemarus Lommatzsch, Bremiportensis
Editor: Hans Lüstenoeder, Francofurti ad Moenum

Scriptor Latinus

Commentarii Ad Linguae Latinae
Humanitatisque Studium Colendum Editi

Ann. X Francofurti a. M., Mense Aprili MCMXIV Num. IV

De Martini Valdecii Rebus Fatoque

Ex Valteri Scotti libro «The Antiquary» in Latinum convertit
Dr. J. M. Hoogvliet Haagensis

In saltibus Hartianis Germaniae quae inveniuntur loca deserta et praecipue jugum illud montium quod Bructerum montem sive Blocksberg nominant, materiam praebent praedilectam narrationum quarundam lugubrium, in quibus de magis ac sagis deque lemuri- bus et phantasmatis agitur. Incolarum enim vitae ratio, quippe quam aut in venando aut in metallis effodiendis agant plerique, ea est quae ad superstitionem propensiores reddat animos, unde saepius accidit ut rerum naturae phaenomena, quae in officiis suis solitariis vel subterraneis obeundis observant, numinis alicujus machinationi aut viribus quibusdam tribuant natura praevalentibus. Inter varias illas et antiquas narrationes, quae in illa circumferuntur inculta regione, una prae caeteris est vulgata, Hartium montem a numine quodam habitari praeside figuram referente agrestis hominis ingenti statura capite quernis foliis redimito itemque lumbis, quum dextra gerat inversam abietem cujus radices sursum tendant. Qua figura eum se vidisse multi sunt qui sua fide affirmant stupendo gressu montis objacentis verticem transcendente, quum nil nisi angusta vallis culmina illa se jungeret ab iis, per quae ipse viator iter faceret suum.

Et profecto hunc ipsum in modum apparere id spectrum ita constat ut hodie qui superstitione sese velint esse vacuos molestiam rei non aliter possint expedire quin ad ludibrium quoddam oculorum rem referant totam.

Antiquis temporibus phantasmati illi cum loci incolis intercedebat usus coniunctor, et si tralaticiis credas Hartianis narrationibus — quo id genus subterranea numina vulgo perhibentur esse volubili animo —, mortalium rebus immisceri solebat tum ad salutem eorum tum ad infortunium. Hoc tamen experti erant, donationes illius denique perniciosas exstitisse iis qui accepissent nec raro accidebat ut praedicatores sacri admodum longis auditorum aures circumsonarent orationibus, illud quam maxime dehortantes ne cum spectro Hartiano commercium ullum haberent. Martini autem Valdecii nostri res a parentibus saepe eligebantur exemplo si liberos suos levi animo periculum illud deridere et quasi ficticium ludere audirent.

Monachus namque quidam Capucinus circumforaneus in parvulo pago Hartii nomine Morgenbrodt quum cathedram conscendisset vehementer increpare coepit incolarum impietatem, qui cum improbis numinibus magis sagisque et praesertim cum Hartiano atro numine commercium haberent. Iam vero Lutheri dogmata inter agricolas percrebrescere coeperant — nam Carolo V^{to} regnante fabula nostra agitur — quare viri illius dignissimi doctrinam suam profitentis indefessum studium omnes luserunt. Obdurabant autem ut cum horum obstinatione illius impetus ita cum hoc illa vicissim. Moleste enim ferebant incolae nunc illud domesticum jam factum et placidum, quod Bructerum montes per-

saecula habitasset, temere cum Baäl-peor Astaroth Beësebul comparari indictaque quasi causa ad Topheti damnari voraginem. Sensus popularem illi numini obsecundantem auxit timor ne, si tam immiti de eo datae sententiae aures praebuissent, ipsos posthac ulcisceretur. Monachum circumforaneum hodie venientem cras abiturum putabant facile quod animo libeat posse proloqui, ipsos vero regionis incolas velut et assiduos numinis irati libidini expositos manere omniumque scilicet rerum olim daturus esse poenas. Quibus cogitatis adducti a conviciis ad lapides ierunt clericumque bene saturum utrarumque rerum e pago ejecerunt ut alibi numinibus iratis concionari pergeret.

Inde tres juvenes, qui rei peperatae testes participesque fuerant, ad suum tugurium redibant, ubi carbonem in furnos parandi gravissimo labore tenuem sibi quaerere solebant victum. In via nimirum mentio incidit de spectro Hartii montis deque Capucini doctrina. Maxius et Georgus Valdecii, fratres majores natu, si facile concedebant satis protervum fuisse illius sermonem et vituperio dignum, quippe qui tam temere de numinis propria conditione idque in ipsius veluti domicilio verba fecisset, minime tamen ignorabant rem esse admodum periculosam ab eo numine dona accipere vel commercium quodlibet cum eo habere. Eum quamvis potentem, morosum tamen dicebant esse ac volubilem; si quis cum eo rem habuisset, illos raro bona fortuna uti diuturna. Annon eum Egberto Rabenvaldensi equiti fortissimo equum illum donasse nigrum quo Bremensi solenni hoplomachia quidquid fuisset equitum superavisset? At non postea eundem equum una cum equite in tam profundam horrendamque voraginem se praecipitasse ut et vir et equus in aeternum evanescerent? Nonne eundem Gertrudae Trodenae incantamentum dedisse quo butyra faceret sua? Illamque ipsam ex sententia Electorum criminibus dijudicandis crematam esse ob eadem dona, quae se ab eo accepisse palam agno-

visset. Hujusmodi alia narrabantur sexcenta, sed quamquam in hoc omnia congruebant magnifica Hartiani numinis dona infortunia semper calamitatesque sequi solere, tamen unum nihil moverunt — Martinum fratrum trium minimum.

Erat is enim juvenis acer atque strenuus; excellebat omnibus artibus quibus insignes esse solent monticolae. Periculorum circumstantium usus quotidianus fortem eum reddiderat atque intrepidum. Deridebat ille verecundiam fratrum. „Apagite, inquit, istius modi ineptias! Est numen illud benignum — vivit nobiscum quasi agricola sit sicut nos sumus — montium specus et latibula solitaria adit ut venator aut pastor caprarius; at qui saltus Hartianos quaeque ei praebent trucia colit diligitque spectacula, is nec filiorum ejus terrae alacrium potest immemor esse. — Sed facite revera tam malevolum esse id numen quale vos dicitis, num quid illud efficere posse putatis in mortales eos, qui donis tantum ejus utantur, ejusdem voluntati non oboediant? — Tu si carbonem tuum portaris ad furnum, num minus valent nummi, quos tibi pro iis denumerat curator Blasius senex nequam et impius quam si ab ipso illos acciperes clerico? Non igitur in ipsis donis inest periculum; situm est in eo, quo iis modo utare. Quodsi hoc puncto temporis mihi adesset phantasma illud metallumque mihi auri monstraret argente, inde statim instituerem fodere vel coram ipso monstro, tutumque me existimarem longe majoris quam ille est Numinis praesidio dum divitiis ab illo mihi indicatis uterer recte.“

Cui maximus fratrum respondit male partas divitias raro bene dispendi, at Martinus audacter asseveravit mores indolem instituta sua ne universas quidem Hartii montis divitias posse pervertere.

Rogarunt tamen fratres Martinum ut minus petulanter de iis rebus loqueretur aegreque effecerunt ut animum ejus aliorum verterent aprorum venationis brevi habendae mentione injecta. Quo sermone dum tenentur

pervenerunt ad tugurium suum, miserimam mansiunculam incultae cujusdam amoenaeque vallis margini obiacentem inque latebra sitam quae erat ex montis Hartii pulcerrimis.

Ibi sororem in custodia carbonum ardentium invenerunt, quod est summae diligentiae officium, vigiliisque noctis inter se diviserunt ad morem suum, quo unus qualibet hora vigilabat fratrum duobus dormientibus.

Maxius Valdecius maximus fratrum qui primus duas horas vigilabat mox vehementi motus est terrore quum in vallis clivo obiacente ignem videret ingentem quem circumdabant formae aliquot quae cum miris quibusdam gestibus videbantur circumsaltare. Quo viso primo animus erat fratres expergefacerere, sed ut minoris fratris reputavit temeritatem animi nec majorem expergefieri posse existimavit quin simul suscitaretur minor, tum et hoc cogitavit ea quae videret forsitan nonnisi mente fictas esse species quas excitassent Martini nuper audita verba temeraria, optimum visum est precautionum quas memoria tenebat confidere praesidio; posthac vero magnis cum terroribus angoribusque singulare illud ac mirabile intuebatur spectaculum. Ignis autem postquam flagrat aliquamdiu paulatim languescere coepit donec tenebris absorptus est, Maxique quod restabat vigiliae nonnisi memoria terroris infestabat perlati.

Tum in cubitum euntis locum Georgus successit. Iterum in opposito montis vertice spectaculum ignis ardentis stupendae magnitudinis vigilantis oculis se objecit atris formis ut prius circumdatus, quae ad clarum ignis splendorem spectantis visui distingue-

bantur quaeque saltabant et circumferebantur ut in occultis quibusdam caerimoniis perpetrands occupatae. Georgus autem, in quo, si non minor quam in Maxio fratre prudentia, prior tamen ad experiendum inerat animus, admirationis suae incitamentum propius adspicere statuit et trajecto rivulo, qui imam vallem transfluebat, verticem oppositum conscendit ignemque accessit propius, qui haud dubium erat quin eadem vehementia arderet qua antea e longinquo viderat.

Circumstantium adspectus erat similis monstrorum quae in somnis videmus lugubribus, ut, quod prius suspicatus erat, non hujusce mundi eos esse, jam nullo cum dubio posset cognoscere. Quarum in numero formarum non humanarum Valdecius discernere poterat gigantem immanem qui manu tenebat abietem radicibus sursum versis, qua interdum ignem videbatur concitare ardentem, quique nullum habebat vestitum praeter coronas quernas circum caput circumque lumbos.

Iam Georgum fugiebat animus quum formam illam agnosceret esse phantasma Hartianum quale saepe id descripserant veteres pastores ovium venatoresque, qui viderant eum montes transgredientem. Itaque facie aversa in eo erat ut fugeret, meditato tamen paulo post pudebat eum angoris et recitato carmine sancti cantoris:

„Omnia laudabunt numina fausta Deum“, quae in ea regione habetur esse efficacissima formula ad lemures fascinandos, iterum eo se vertit ubi ignem viderat . . . at non amplius apparebat.

(Proximo numero absolvetur)

Sententiae

Nihil aequae gratum est adeptis quam concupiscentibus.

Plinius

Nomina sunt ipso paene timenda sono.

Ovidius

Vir bonus, quocumque it, patriam suam secum fert; omnia sua animus eius custodit.

Varro

Tota huius mundi concordia ex discordiis constat.

Seneca

Nil novit, qui aequae omnia.

Varro

Bene praecipiant qui vetant quicquam agere, quod dubites aequum sit an iniquum. Aequitas enim lucet ipsa per se, dubitatio cogitationem significat iniuriae.

Cicero.

Poetarum Germanicorum Carmina

latine vertit

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis.

Carmen Hoelthyi „Der rechte Gebrauch des Lebens“

Quis sistit horas? aufugiunt dies
 Ceu tela: quaevis pars minima abripit
 Nos ultimos ad lectulos et
 Perpetuum propius soporem.

Non ver tibi, cum mortuus es, viret,
 Non umbra stridet, non cyathus sonat,
 Non grata subridet puella,
 Non ioca te recreant amici!

Nondum ala mortis nigra strepit trucis:
 Ergo fugaces delicias cape,
 Quas, sicut imbres atque soles,
 Funditat urna dei benigna!

Vesper, fugat quem suavis alacritas
 Sodalium, vel laetifici scyphi,
 Vel osculum latum genaeve
 Virgineae sinuive pulchro,

Iter per herbas, luscinae melos
 Vernale quando personat arbores,
 Futura quas vati ducique
 Fama dabit, superant coronas.

Quod savium dat filia mi vicens,
 Est dulcius, quam quae feret oscula
 Busto parentans neptis atro,
 Nostra quod ossa tenebit olim.

Carmen Goethii „An den Mond“

Denuo vallem fruticemque complex
 Lenis incedens nebula nitente,
 Ac meum curis animum resolvis
 Denique, Luna!

In meos fines, mala mitigatum,
 Advenis vultu facilis sereno,
 Quo meam sortem videas amanter,
 Sicut amicus.

In meo vitae resonant peractae
 Corde felices miserique casus:
 Gaudio captus modo, nunc dolore,
 Ambulo solus.

Defluas, annis mihi care! Nunquam
 Me reor laetum fore! Sic et ipsa
 Oscula et pridem ioca transierunt
 Atque fides sic.

Attamen quondam bona ter beatus
 Illa possedi pretiosa tantum!
 Quale tormentum meminisse perquam
 Haec et in aevum!

Vade, per vallem properare cursum
 Sis memor, nobis strepe sempiterno
 Et modos nostris, precor, insurra
 Cantibus, annis,

Nocte seu fluctu rabido tumescis
 Saevus hiberna superasque ripas,
 Mite seu flores viridesque stirpes
 Veris inundas! —

Macte, contempto grege qui profano
 Integre vivens odiique purus
 Conscium scisti retinere, quocum
 Percipis illud,

Quod vel ignorant homines, inertes
 Vel parum tendunt agitare mente,
 Nocte quod sentis animi meare
 Per labyrinthum.

Henrici Heinii carmen „Wo?“

Ubi supremum forte mihi viae
 Ambage fesso Parca dabit locum?
 Palma sub australi? sub altis
 Rhenigenis tiliis quiescam?

An mortuum me sub sterili plaga
 Ignota quaedam defodiet manus?
 An me super litus remoti
 Condet arena maris iacentem?

Nihil moror! Me celsa domus Dei
 Circumdabit, quacumque quievero,
 Noctuque, ferales ut ignes,
 Sidera desuper imminebunt.

Ex Epistulario Redactoris

Ex V . . . S . . . , 12 die Sept. 1910

L . . . , 17. 10.

Humanissime Vir!

En habes tandem, quod a me pe-
tivistis chartula, quam accepi exeunte
anno scholastico, muneribus cuiusvis
generis nimis oppressus. Ferias relic-
ta valle nostra cum uxore in pago quo-
dam Helvetiae transegi, in quo secessu
me illud „procul negotiis“ imprimis
spectasse non mireris. Commentarios
tuos nova forma renatos esse non pa-
rum gaudeo. Exempla versionum ver-
bis latinis simul cum germanicis vel
anglicis adiectis mihi plane probantur
et unumquodque exemplar Scriptoris
unum saltem exemplum eiusmodi debet
exhibere mea quidem sententia. Neque
minus necessaria mihi videntur verba
germanica, si carmina latine translata
minus sunt nota. Nam hoc modo ani-
mi lectorum in peculiare vertendi ge-
nus facilius poterunt intendi. Praeterea
tibi suaserim, ut quilibet angulus unius-
cuiusque numeri parvam exhibeat ta-
bellam decem vel duodecim vocabulo-
rum nostrae aetatis latine redditorum.
Sed satis desideriorum, quae non in
numero piorum quae vocantur fore
spero. Cura ut valeas!

R . . .

Vir humanissime. De V... medico
scribere non est meum. Speculatores
illi naturae in ea provincia habitant,
ubi ego ne hospes quidem umquam
commoratus sum. Neque magis calleo
palaeontologiam, cui operam dedit. In
re autem politica, in qua mea senten-
tia, nisi quis expertus scit in ipso re-
gimine rerum versatus, omnes nebulo-
num instar hariolamur, ridendus esset
mihi homo, non concelebrandus. Prae-
terea fuit ostentator importunus, cuius-
libet gloriolae aucupator, quorundam
nimium—heu!—notorum deus optimus
maximus: requiescat in pace! Sed for-
tasse tibi acceptum erit, si de sermo-
nis latini usu hac quoque aetate con-
tinuando aliquid composuero. Quod
facere in animo est, quamquam non
statim. Pro pretio mittas mihi non
nummos, sed commentarios tuos. Quot-
quot hucusque progenuistis omnes pe-
nes me sunt! Gratias ago et vale.

*Optime societas hominum coniunctioque
vervabitur, si, ut quisque erit coniunctissi-
mus, ita in eum benignitatis plurimum con-
feretur.*

Cicero

Colloquium Puerile

(S. Chimani, Colloquia latino-germanica. 2. Aufl. Wien 1814.)

In Foro Pomario*)

Venimus iam in forum pomarium:
circumspiciamus paululum.

Omne pomorum genus mihi arridet.

Sed quid agemus in hoc foro?

Quid aliud quam emere ex palati
nostri sententia?

Nescis me vetitum esse emere
fructus aliquos?

Qui sic?

Ob defectum pecuniae.

Quis illud non ignoret? Mihi vero
dederat mater duos grossos, ut emerem,
quae vellem, in merendam.

Per me licet emere pira, mala aut
pruna, ea tamen lege, ut mihi aliquid
impertiaris.

Libenter faciam. Deambulemus et
gustemus, an fructus sint satis maturi,
et qui sint boni.

Istae mulieres nihil gustare permit-
tunt, nisi te empturum affirmas.

Nihil mirum: multi enim gustarent
animi tantum gratia.

Hoc propter me dictum?

Minime.

Sed simus prudentiores.

Quomodo?

Si viderimus pulchrum aliquem
fructum, eme aliquantulum crucigero,
ut facias periculum.

Quid tum praeterea?

Quod si tibi placuerit, tum emitto
amplius, sin minus, relinquinto locum et
alio te conferto.

Bona est cautio ista. Memineris, ut
ipse ea postea utaris.

*) Quaedam a recta loquendi consuetu-
dine abhorrentia partim emendata sunt,
partim retractata.

Red.

Ego, ut spero, meminero diligenter, si mihi suppeditaverit pecunia.

Ecce vetulam illam cum prunis damascenis.

Heus amita! hic puer de te pruna emet, si vili vendas.

Nonne mavultis, ut vobis donem? Nihil mihi donatur, omnia venduntur care.

Suntne grati saporis?

Sume exemplum! Eho, reddite pruna— editis plura, quam uno crucigero possim vobis dare.

Ememus, si placuerint.

Emite igitur!

Quanti?

Crucigero decem.

Quin dabis duodecim.

Ah, pruna tam crassa et matura?

Imo acerba sunt.

Nolite ea tangere, si acerbiora sunt.

Vereris, ne adhaereant digitis nostris, ut tuis ob sordes, quas habes in manibus.

Nisi procul hinc abis, impudenticule, has sordes sentient genae tuae.

Quomodo meae sentient genae, cum tu habes in tuis manibus?

Emite aut abite: nam impeditis alios, qui accedere et emere volunt.

Abeamus. Quid nobis rei est cum vetula procaci?

Solvite pro prunis, quae pro exemplo sumpsistis.

Quatuor edimus, adde octo, et habebis pecuniam.

Bene sapient; emite, quaeso, quantum vultis.

Vende nobis tribus crucigeris, cum te verborum poenitere videatur.

Accipe.

Bene emimus. Sed forum abundat omni fructuum genere. Emamus etiam pira aut mala, nam mihi restat pecunia ex hesternae merenda.

An non meministi, qui multis pomis vescantur, eos facile incidere in morbum?

Hoc ignoro, sed hoc scio usum pomorum, modo maturuerint, nemini nocere, nisi forte nimis multis vescatur.

Quis te hoc docuit?

Pater meus.

Qui sic?

Pater ipse meus multis pomis vescitur.

Medici ipsi vero usum pomorum noxium habent.

Sunt aliqui: alii vero usum maturorum pomorum suadent; horum sequitur pater consilium et semper sanus est.

Cavebit tamen, ne statim bibat?

Bibit et quidem aquam: qui poma matura edit, ei aquae usus nihil nocet.

Mira loqueris.

Ipse domum festinare cogor, quia valde sitio.

Ego te comitabor et una bibam, quia suades.

Nihil nocebit.

Libri nostra aetate latine prodeunt

40. Papyri Jandanae. Cum discip. ed. Car. Kalbfleisch. Lips., Teubn. Fasc. III: Instrumenta graeca publ. et priv. Pars 1 ed. Lud. Spohr. Pgg. 75 — 123, 4 tab. phot. 2.80 M.
41. Bibl. Script. Graec. et Rom. Teubneriana. Procopii Caesariensis opera omnia. Recogn. Jac. Haury. Vol. III, 2: VI libri περί κτισμάτων sive de aedificiis. Cum 2 indic. et append. X, 395. 7.50 (8) M.
42. — — — Rhetores Graeci Vol. IX: Nicolai progymnasmata ed. Jos. Felten. XXXIV, 81. 2.40 (2.80) M.
43. Directorium parvum Ratisbonense sive ordo recitandi breviarium ad ann. dom. 1914. Regensb., Pustet, 14. 15. 0.25 M.
44. Officium hebdomadae maioris a dominica in palmis ad domin. in albis juxta rubricas a SS. D. N. PP. X. reformat. editum. Officia breviarii (sine cantu). Ed VII. VIII, 328 cum imagg. Ratisb., Pustet, 14, 3.80 (4.60) M.
45. Arndt, Gualt., Emendationes Epicurae. Diss. 43. Berolini, Skopnik. 1 M.
46. Kehrhahn, Fraug., De Sancti Athanasii quae fertur contra gentes oratione. Diss. 75. Berol., Skopnik. 1.20 M.
47. Manuale congregationis Marianaе sacerdotalis Friburgensis. 31. Frib. Brig. Herder. 0.25 M.
48. Pohlenz, M., De Ovidi carminibus amatoris. Gottingae, Vandenhoeck et Ruprecht. 25. 0.50 M.
49. Nardis, Pio X Pontifici Maximo fidei et libertatis vindici. Aquilae in Vest. ex offic. art. graph. MDCCCXXIV. 3.

Ernesti Suevi, Fabulae Uhlandianae, Prologus*)

Latine olim reddidit Gustavus Schwab

Spectaculum ferale scena transvehet,
 Pressisque monstrabuntur aulaeis procul
 Delapsa fata temporum fluctu cito
 Pridemque decertata mox certamina
 Redintegrari turbide videbitis.
 Par nobile, audax, integrum, concors virum,
 Fidele amicorum ad necem par ultimam,
 Germaniae laudanda priscae nomina —
 Eheu! vagantes, exules videbitis
 Deproeliantes ire semet perditum.
 Vexatur atris terra sic Erinnybus,
 Qua fracta lex, contemta libertas jacet,
 Ut optimus quisque atque ut integerrimus
 Moerore consumatur ille inutili,
 Ardentibusque amore patriae ut sacro
 Notas inurant, perduellibus quasi,
 Ut vix vocati civitatis vindices
 Tutum peregre supplices quaerant focum.
 Dum summa virtus dumque sic perit vigor,
 Florent fovente Tartaro superbia,
 Vis, servitus, vilisque carnifex cohors.
 Diversa scena panditur, cum fluctibus
 Lex, ordo libertasque temporum feris
 Sacrumque jus emersit atque constitit!
 Tum, qui procul stetero frendentes, choros
 Petunt alacres impigrique civium,
 Omnisque dextra, vis ac omnis ingeni
 Augetque roboratque publicum bonum.
 Thronus refulget, urbs viget, virent agri
 Et liberi superbiunt vultus virum;
 Gentisque dextra jungiturque principis,
 Ut ulmus atque vitis implicari amant,
 Et quisque, defensurus optimos Lares,
 Opesque sanguinemque laetus his dicat.
 Vitare tristem si quis it praesentiam,
 Ad arva laetae confugit poeseos,
 Opemque veras inter ille injurias
 Ab optimorum somniis vatium petit.
 Sed hoc die — quem fabula adfectat nimis
 Fortasse scenae, cogitet sese erigens,
 Quae festa viva veraque hic dies agat,
 Discatque cur vitale sit mori viris!
 Deum cohors descendit in terras adhuc,
 Humana mens et quae suprema cogitat,
 Recente vita vestit insignis dies.
 Sic est! in hisce temporum turbis feris
 Supte mente concitus princeps adest
 Dextramque genti ex mente grandi porrigit
 Pactus ordinem atque jura libere!
 Vidistis omnes vosque testes advoco;
 Suisque Clio mandet inde annalibus!
 Tu macte Princeps, macta gens esto mihi!

*) Edita est fabula in theatro Stutgardiano a. d. IV. Cal. Nov. MDCCCXVII

De Iuanii Turgenjeff „Carminibus prosa oratione compositis“

pauca quaedam scripsit specimine addito

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis

Iuanius Turgenjeff, unus ex Russiae praestantissimis fabularum auctoribus (nat. d. 9^{no} m. Novbr. a. 1818), in commentario menstruo «Wjestnik Jewropy» (Europaeischer Bote) appellato anno 1882 quinquaginta commentationes sive narratiunculas singulari quadam arte et elegantia confectas publici iuris fecit, quas anno insecuto vir doctissimus Guilelmus Lange Berolinensis in usum nostratium Germanice conversas foras dedit. Fabulae illae, quae ut a Russis, sic etiam a Germanis magna cum admiratione et oblectatione hodie quoque leguntur, observationes, adumbrationes, sententias hac vel illa occasione ex vita cotidiana cum poetae ipsius tum communi natas atque ab auctore literis mandatas continent.

Primo collectis illis fabulis certus titulus ab ipso quidem auctore non datus erat; sed editor commentarii supra citati, M. Stassjulewitsch, significationem quandam quam inuenerat in epistula poetae fabulis addita, secutus «carmina prosa oratione composita» — Gedichte in Prosa — eas inscripsit. Quod nomen narratiunculis sententiarum et breuiter commodeque dictorum copia abundantibus atque vere poeticis optimo iure tribuendum esse nemo negabit.

Quare non dubitamus ex his carminibus nonnulla Latine conversa lectoribus nostris proponere sperantes utilitati voluptatique fore non nemini etiam redactam in hanc formam poetae Russici dictionem. In vertendo ut uteremur Germanico textu, et vir praeclarissimus Philippus Reclam iun. Lipsiensis, libelli editor*), et femina honoratissima Emma Lange-Steckel Berolinensis, interpretis nurus, soceri verbis liberaliter concesserunt.

I

De homine contento

En illum adolescentem urbis plateas gressu propero et quasi saliente percurrentem: gestus eius alacres

*) Universal-Bibliothek, vol. 1701.— Cf. pagg. 22, 38, 60, 19.

sunt et uividi, oculi lucent, subrident labra, facies hilaritatem refert et nitido tecta est rubore: — prorsus nihil abest quin contentissimus ille sit atque laetissimus.

Quid accidit homini? Hereditasne ei obtigit? Anne promotus est in amplio gradum? An ad teneros amores festinat? Forsitan tantummodo — bene pransus bonae valetudinis roborisque integri perfruatur conscientia? An vero event, ut collum eius decoraretur cruce tua bella et octangula, o Stanislæ rex Polonorum?

Non ita! Calumniam commentus est in aliquem sibi notum ac diligenter pervulgavit; nunc eandem ex alio audivit et — ipse ei fidem habuit.

O quam contentus atque adeo quam probus hoc momento ille est amabilis et egregiae spei adulescens!

II

De passere

Rediens a venando per horti mei arbores ambulavi. Canis meus, qui praecurrerat, subito cursum retardans serpere coepit, quasi feram odoraretur.

Secundum arbores prospiciens passerculum vidi novellum gilvo rostri margine et teneris in capite plumis. E nido exciderat — nam ventus vehemens betulas concutiebat — et immotus sedebat humi pinnulas vixdum enatas inops protendens.

Lente ad eum canis appropinquabat, cum repente passer vetulus et subnigro pectore insignis ex arbore proxima avulsus lapidis instar ad ipsum canis os praecipitatur et plane laceratus perturbatusque cum vociferatione desperata et miserabili aliquoties invehitur in rictum late diductum dentibusque magnis impletum. Pullum servaturus suo corpore tuebatur; corpusculum eius pusillum totum tremebat horrebatque, vocola fiebat ferox et rauca —: emortuus est, vitam suam profudit!

Quam ingens nimirum canis passeri videbatur monstrum! Neque tamen

in tuto summae arboris ramo remanere potuerat: vis quaedam voluntate potentior eum abripuit.

Canis primo restitit, deinde recessit; vim illam ab eo quoque agnoscere manifestum erat. Attonitum ad me vocavi et discessi reverentia quadam imbutus.

Ita enim vero — nolite ridere, amici; profecto reverentiam habui huic avi parvae et forti eiusque pietati impotenti.

Pietas — sic mecum cogitavi — sane potentior est morte mortisque metu; nulla re nisi ipsa pietate vita sustinetur et movetur.

III

De duobus divitibus

Cum Rothschild, vir ille locupletissimus, coram me effertur laudibus, propterea quod ex divitiis suis multa nummum milia largitur in pueros educandos, sanandos aegrotos, senes sustentandos, his factis commoveor et ad virum laudandum ipse quoque adducor.

Neque tamen in omni commotione et laudatione retineri possum, quin renovem memoriam familiae cuiusdam rusticanae atque pauperis, quae pupillam cognatam casa sua recepit egena. «Si Catiam exceperimus» inquit mater familias «ultimus noster absumetur nummulus nec iam suppedabit ad emendum salem, quo sorbitionem condiamus.» «Age ergo» maritus re-

spondit «edemus eam insulsam.»

Quantum distat Rothschildium inter et colonum!

IV

De mendico

In platea forte ambulabam, cum mendicus quidam, senex imbecillissimus, me retinuit. Oculos habebat inflammatos et lacrimantes, labra subcaerulea, vulnere tetra, — o quam foede arroserat inopia hunc hominem miserimum!

Manum porrigens tumidam, rubidam, sordidam gemuit atque suspirans stipem petiit. Vestes meas excutere coepi, sed neque marsupium neque horologium, ne sudarium quidem reperi — nihil mecum portabam.

Mendicus autem usque stabat expectans, et manus eius extenta leviter tremebat micabatque.

Quo eram animo confuso et sollicito, hac manu immunda et tremula fortiter apprehensa «noli» inquam «mihi irasci, mi frater; nihil omnino mecum porto.»

Tum oculos in me intendens senex subridere coepit et, dum digitos meos refrigeratos premit, «age mi frater» blaeso ore respondit «etiam pro isto tibi gratias ago, nam — ista etiam stipis est, mi frater!»

Ego vero me quoque a fratre meo stipem accepisse sensi.

Sententiae latine reddendae:

Die Chorlieder in den Tragödien der Alten, mag ihr Vortrag auch, wie einige behaupten, durch Musik melodramatisch begleitet worden sein, wirkten doch vor allem durch den Klang und das Maß der Worte, und jeder, Solon der Gesetzgeber wie Timotheus der Mörder, gab sich dem Zauber der Sprache hin. Noch nicht wurde wie in unseren Opern auf Erz geschlagen, auf Kalbsfelle getrommelt und an Schafdärmen gezupft und auf Holz oder Glas gehämmert und die ganze unorganische Welt aufgerührt und gegen uns laut gemacht, um Menschen zu erregen und aus ihrer Haut herauszubringen. Noch reichte die Stimme und das Wort des Menschen damals aus, unerserglichen

wie an goldenen Fäden zum Himmel empor oder zur Hölle hinabzuziehen. Selbst die Furien, diese grauenvollsten Geschöpfe der Phantasie, sprachen noch mit Menschenzungen, und dies eindringlicher, als tausend Posaunen es vermöchten. Nichts ist ja verwunderlicher, als daß wir höchst zivilisierten Menschen, die wir kein Blut mehr sehen und keine Maus mehr töten können, uns heutzutage eine Musik vormachen lassen, so ohrenzerreißend, daß selbst Neger bei ihr nervös werden würden. Hiergegen die Macht des Gesanges und der Worte, die im Anfang der Menschenwerdung standen, zu betonen, ist darum heute doppelt heilige Pflicht für jeden Bildner geworden. Wieviel schöner wäre

es, den Lärm und die Schwere unserer Konzerte zuweilen durch ein stilles Gedicht zu unterbrechen, das die aufgeschwungenen Gefühle und Gedanken wieder sammelte, oder ein Sonnett auf eine Sonate folgen zu lassen, als die Pause zur Zerstreung zu benutzen, indem man bei

greller Beleuchtung die neue Robe von Frau Meyer bewundert oder den schlecht sitzenden Frack von Herrn Soundso belächelt.

H. Eulenberg, Schattenbilder

(Berlin 1913. 16. Aufl. pg. 144/5)

Huic penso qui satisfecerit optime, gratis accipiet librum :
Goethe, J. W., Positiones juris. Argentorati, J. Heiß, 1771.

Varia

Quomodo dies nato Christo festi celebrentur in alto

Primis nivibus de caelo leniter delabentibus hominum animi singulariquadam et arcana venustate moveri solent. Ubique ad dies nato Christo festos laete celebrandos multa et varia clam praeparantur. Cuicumque licet, ad suos properat sibi carissimos, quibuscum agat festum. Ac ne nautici quidem nostri fortissimi in alto illorum dierum carent iucunditate. Naves enim Germanicae, quae ante diem natalem Jesu Christi e portibus patriis solvuntur, secum auferunt arbores, abietum pinumque ornamenta, candelas quibus in alto festum more domi consueto celebretur. Munus arbusculas collocandi et exornandi honoratissimum est et fabri navalis privilegium. Nautici omnes, dum sunt otiosi, studiosissime id agunt, ut festum quam pulcherrime excolatur. Nec desunt munuscula necopinata. Non nautis solum, sed etiam vectoribus arbusculae festae illuminantur non sine quibusdam caerimoniis. Quo fit, ut homines oceanum transvecti, quem diem Christi natalem in navi altum secante celebrarint, illius gratissimam saepe retineant memoriam.

Guil. Lhm.

In pedibus plus sapientiae . . .

Pio nono Pontifice saltatrix quaedam Romae eximia arte sua magnam adeptam est laudem; quare fautores ejus ac veneratores praemium ei dicere statuerunt lauream coronam ex auro puro confectam, cujus pretium summam duodecium millium litarum aequabat. Die statuto munus illud pretiosissimum artificii oblaturi rogabant Pontificem — tum temporis adhuc Urbis habenas tenentem — ut

consiliis suis benevole assentiretur, quippe quod femina illa magna pietate praestaret ac beneficentia.

Quod ut audivit Pontifex: „Nec volo, inquit, nec probo consilium vestrum quin tamen voluntati vestrae obsistam; mea enim sententia est, ut, qui capite egregia proferat, coronam portet, non qui pedibus.“

Traditur corona. Saltatrix vero verbo ac sensu Pontificis perspectis coronam sibi donatam vendidit totamque pecuniam inde collectam pauperibus Urbis distribuit.

Hujus rei fama ad aures Pii pervenit, qui cuidam ex illa deputatione viro sibi forte occurrenti: „Quod fecistis, inquit, bene sit; mulier autem ista facto suo ostendit in pedibus plus se habere sapientiae quam vos in capite.“

Saravinus

(Ex Folio Paulini)

Quid elaborent bacteriologi . . .

Ad bacteriologum quendam illustrissimum in laboratorio vehementer occupatum vasibus fictilibus vitreisque cuiuslibet generis et praeparatorum chemiorum bacteriologicorumque plenis circumpositis visendi causa venit collega peregrinus, qui quid ille faceret studiose contuebatur. Professor animum advertere videbatur imprimis ad unum e vasibus vapore et fumo plane involutum. „Conice, amice“ inquit ad visentem „quid coquam hacce in olla.“ Hospes totam fere microorganismatum quae vocantur seriem enumerabat: . . . „an bacteria globosa?“ — „Non ita.“ — „An coccus catenatos?“ — „Minime.“ — „Istud equidem non possum conicere.“ — „B o t e l l o s“ respondit professor.

Guil. Lhm.

De Solone et Pisistrato

Ex Schillero vertit*)

J. Steinbauer Windsbachensis

Solon occidente vita tristiore usus est fortuna, quam vita factisque meruerat. Nam ut importunitatem Atheniensium cotidie rogitando suadendoque se vexantium evitaret, ubi leges suas vigere vidit, per Asiam iter fecit in insulas et Aegyptum ibique cum sapientissimis illius aetatis sermones contulit itemque regiam aulam Croesi in Lydia et Saiticam in Aegypto adiit, satsique nota sunt, quae de eius cum Thalete Milesio et Croeso congressu narrantur. Sed Athenas reversus civitatem tribus factionibus, quibus homines perniciosissimi Megacles et Pisistratus praeerant, perturbatam invenit, quorum illæ divitiis, hic consilio ingenioque potentiam adeptus civibus metum incutiebat. Pisistratus quidem, qui olim Soloni carissimus fuerat, tunc quasi Juli Caesaris vice apud Athenienses fungebatur, cum aliquando pallidus in curru suo iacens et sanguine vulneris, quod ipse sibi brachium leviter insecando intulerat, conspersus ad concionem vectus esset: Sic, inquit, inimici me mei propter vos mulcarunt. Vita mea in perpetuo versabitur periculo, nisi vos ei praeceveritis. Et protinus amici eius, sicut ab ipso erant edocti, rogationem tulerunt, ut ei adderentur corporis custodes, quos, quotiescumque in publicum prodiret, circum se haberet. Cui rogationi quid subesset fraudis intelligens Solon enixe, sed frustra repugnavit.

Perlata rogatione Pisistratus custodes corporis accepit; quibus ubi praeesse coepit, arce Athenarum potitus est. Tum sero velut discusso ex ocu-

lis sopore terror animos Atheniensium incessit. Megacles et qui partes eius sequebantur ex urbe fugerunt eamque tyranno permiserunt. Tum Solon, qui unus deceptus non erat, idem unus animo non defecit. Nam ut antea, cum etiamtum tempus esset, id molitus erat, ne quid temere cives facerent, ita tum nihil molitus non est, ut labantes eorum animos erigeret. Sed cum nihil movisset, domum reversus positus proforibus armis: Jam ego quidem, inquit, quantum potui, saluti patriae consului. Et nihil de fuga cogitans amicis quaearentibus, qua re fretus potentiori resisteret, respondit: Senectus mea mihi hunc animum addit. Morienti non contigit, ut patriam liberam videret.

Neque vero in inhumani viri potestatem Athenienses venerant. Nam Pisistratus, ut erat homo ingenuus, Solonis leges colebat et observabat. Ac postquam bis postero tempore ab aemulo expulsus bis urbe potitus est, tuto deinde dominationem obtinuit ac veris in civitatem meritis splendidisque virtutibus effecit, ut cives in oblivionem venirent dominationis per vim occupatae. Namque tam leniter tamque tranquille res illo imperante fluebant, ut nemo Athenas iam liberis non esse sentiret; neque enim ipse sed Solonis leges dominabantur. A Pisistrato aurea aetas Atheniensium coepit primaque lux eo imperante artibus Graecis affulsit. Mortuum ut patrem luxerunt. Opus ab eo inchoatum continuaverunt filii Hipparchus et Hippias, qui concorditer imperabant pari litterarum amore incensi. His imperantibus florere coeperunt Simonides et Anacreon conditaque est Academia. Omnia portendebant Periclis aetatem praeclarissimam.

*) Ipsa scriptoris verba, ut quae notissima sint, contra adscribere supersedi.

Corrigenda

Pg. 33 sub *) pro congregatis lege congregatis,
 „ 39¹ „ 2 „ dulcus lege dulcis,
 „ 39¹ „ 11 „ Joannum „ Joannam
 „ 39^a „ 6 „ suavissimus lege suavissims,
 „ 40¹ „ 27 post Bursiani comma ponendum,
 „ 41¹ „ 39 pro esset lege esse,

Pg. 41¹ lin. 44 pro apellantur lege appellantur,
 „ 42¹ „ 25 „ opinonem „ opinionem,
 „ 42^a „ 14 „ Plutachus „ Plutarchus,
 „ 44¹ „ 25 post sunt comma ponendum,
 „ 45¹ „ 1 pro figantur lege fingantur,
 „ 45¹ „ 22 „ Theaetato „ Theaeteto,
 „ 45^a „ 32 post vera comma delendum.

Catalogos, programmata, prospectus petentes librosque et libellos mandantes vel alia qualibet de re ad commentarium nostrum pertinente bibliopolas aliosve per litteras adeuntes

Scriptorem Latinum

tamquam negotii auctorem appellare mementote!



Horae Subsecivae

(Carmina poetarum recentiorum Latine reficta a Fr. Palata)

Preces vespertinae

(Herzog: Nun sich der Tag geendet hat, compos. circa a. 1700)

Cum vergente die solis abit iubar
obscurumque tenet cuncta crepusculum:
somnus rite labori
et ponit lacrimis modum.

Nescis, sole Deus, tu requiescere
connivere oculis usque negantibus:
tu lux vera salusque
odisti tenebras truces.

Atra nocte, rogo, me quoque respice
languentemque tuo praesidio fove:
almo lumine coram
adstans excubias age!

Palpebras gravidas sic subeat sopor
et dulci requie membra mihi levet
seculo: vigilante
cur sim sollicitus Deo?

Ast vitae fragili si properat meae
haec nox auspice Te figere terminum:
caelo me, precor, adde
sanctorumque choro, Pater!

Amor maternus


(Neruda: Také to slunce ohnivě)

Igneus sol noster et ipse lucis
damna paulatim capit et caloris,
lurida donec moriens tegatur
totus ab umbra.

Si tamen stellam per inane raptam
hauserit quondam gremio: parumper
pristino candescet ab igne rursus
ipse renatus.

Sic amor frigere negat parentis:
nec maris fluctu nivibusque montis
nec scit exstingui tumuli tenebris:
usque sed ardet.

Admove cordi subolem rigenti
mortuae matris: recalent repente
ossa pertempatque latens voluptas
putria membra.



Rogatos volumus lectores, ne, ut plerumque fit, subscriptionis pretium persolventes mandatoriam vel traditoriam quae vocatur pecuniam addere obliviscantur. Lucrum enim nostrum tam pusillum est, ut ex crebriore huiusmodi neglegentia haud parvam accipiamus iacturam. Si quis igitur marcas quattuor sit ad nos missurus, quinque nummulos supra expendat velimus.

Editor et Redactor

Libri libellique censurae causa missi:

Lectores sociosque nostros hisce paucis certiores volumus nos, quamquam partem librorum ab editoribus nobis traditorum certis quibusdam iudicibus censurae causa dare solemus, tamen libentissime, quem quis cupiverit librum, si scribere de eo paratus sit, esse miseros. Opus enim est viris in eo, quod professi sint, genere censurae versatissimis. Scribat igitur, qui de uno ex libris indicatis iudicare velit, ad redactorem.

Stowasser, Lateinisch-deutsches Schulwörterbuch. Bearb. v. Prof. Dr. M. Petschenig. Einleit. u. Etymol. v. Prof. Dr. F. Skutsch. Wien, Tempsky u. Lpz., Freytag, 1913. 541. M. 4.80.

Proceedings of the Association for the Reform of Latin Teaching and Report of the Third Summer School held at Cambridge 1913. 75.

Jacobelli, In Campo Latinitatis Novi Flores subsecivis horis collecti. Romae, Pustet. 122.

Wilson, Der Staat. Elemente historischer und praktischer Politik. Auctoris. Übersetzung v. G. Thomas. Mit d. Bilde d. Verf. Berlin-Leipzig, Hillger, 1913. 488. M. 6.—

Georges, Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch. 2. Halbbd.: contentio—hystrix. 8. verb. u. verm. Aufl. Hannover-Leipzig, Hahn, 1913. V. Sp. 1601-3108. M. 9.—

Pohlenz, De Ovidi Carminibus Amatorii. Göttingae, Vandenhoeck et Ruprecht. 25. 0.50 M.

Nardis, Honori et virtuti Johannis Garigliani, Episc. Eucarpiani, et Francisci Peregrini Stagni, Aquil. Archiepisc. Aquilae in Vest., typ. Soc. Art. Graph. 8.

Petri, Poetische Dokumente griechischen Lebens u. Denkens. Progr. Magdeburg 1912. 82.

Sarasin, Über nationalen u. internationalen Vogelschutz. Basel, Helbing u. Lichtenhahn, 1911. 24. 1 fr.

Berthold Otto's Lateinbriefe. 25 Briefe zur Einführung in den Bau der lateinischen Sprache und in die römische Literatur. 2. Aufl. Berlin-Lichterfelde, Verl. des Hauslehrers, 1913. 400. M. 10 (12.50).

Bosshart, Von der Beurteilung d. Schüler durch die Lehrer. Rede. Zürich, Füssli. 26. v. Pirquet. Telekaba = 83.332.000. Wien, Eberle & Co., 1913. 24.

Altenburg, Ein lateinisches Sachbuch II: Aus dem Kinderleben. Progr. Glogau 1910. 17.

Veröffentlichungen des Bundes der Freunde des humanistischen Gymnasiums in Frankfurt a. M. u. den Nachbarstädten. Heidelberg, Winter, 1913.

Dietrich, Lateinische Sprüche. 2. verm. Aufl. Dresden-Leipzig, Koch, 1914. 92. M. 1.60 (2)

Weber, Fünfzig Jahre Bayerischer Gymnasiallehrerverein 1863—1913. München-Freising, Druck: Datterer & Co.

Fodor-Székely, Liber Sexti. Latin nyelvkönyv a gimnázium I. és II. osztálya. 3. kiadás. Budapest, Szent-István-Társulat, 1912. 256.

Prima Epistula Catholica de Sancto Johanne Apostolo. Versio in Interlatino. Ventimiglia, Unione pro Latino Internationale. 12. 25 cent. pro 10 exempl.

Ebert, Beiträge zu den deutsch-lateinischen Wörterbüchern. Progr. Ansbach 1911/12. 62.

Sörgel, Bilder und Betrachtungen aus allerlei Zeiten. 55 Übungsstücke zur Wiederholung der latein. Syntax für Schüler der mittleren Gymnasialklassen. Mit Übersetzung. Stuttgart, Kohlhammer, 1912. XII, 79, X, 39. M. 1.50, M. 0.80.

Finsterbergen, ein Thüringer Waldidyll (Der Grosse Thüringer 2). Erfurt, Loewy. 18.

Censura Librorum

Homers Odyssee für den Schul- und Privatgebrauch erklärt v. Prof. Dr. Rich. Mollweide, 1. Heft, Gesang, 1—6 (Sammlung griech. und lat. Schriftsteller mit kurzen deutschen Anmerkungen), 1914. Selbstverlag, St. Ludwig i. E., Postfach 206, und Basel. In Kommission bei Rob. Hoffmann, Leipzig. 72. Mk. 2.—

Hanc collectionem edit et patriae et gymnasii amore commotus Mollweide, qui si illam scholam ii soli qui et indole et moribus idonei sint ad veterum studium sint frequentaturi, a futurum esse "horrorem gymnasii" sperat. Quo facto et magistris et discipulis aurea aetas erit. Illis, cum in praesenti uti editionibus, quibus additae sunt adnotationes vernaculae, in schola non liceat, quod edictum esse aboliturum vult auctor, haec editio est destinata.

Difficile est definire, quantum scientiae animis discipulorum, quales esse Mollweide cupit, possit inseri, praesertim cum ille vir doctus "philologos" educare non in animo habeat. Neque tamen ego quidem intelligo, cur editor, quippe qui varias lectiones addendo occasionem "einfache textkritische Fragen zu erörtern" praebet, "quaestiones Homericas" respicere nolit. Ad α 105, ut unum exemplum eligam, ego quidem non scripserim "Μέντης nicht zu verwechseln mit Μέντωρ 2,225", sed quid Wilamowitz (Hom. Untersuchungen) hac de re optime ostenderit, paucis verbis dixerim. Discrepantia saepius significaverim, nam melius in schola ipsa discipulorum animi a magistris Homerum admirantibus ac diligentibus quam postea a barbaris ad haec adverti videntur.

Denique quod ad etymologiam attinet, doleo auctorem saepius exoletam interpretationem nominum praeposuisse interpretationi, quam esse veram omnes fere viri docti consentiunt. Ποσειδάων (α 20), ut nonnulla notem, est Ποτ-δαν (cf. adnotationem ad δ1: δᾶ = γῆ) coniunx Telluris (Kretschmer), Ὀδυσσεύς (α 62, ε 340, 423) non est "Verhaaster", sed "der Hassende, Grollend" (Ed. Meyer). Πηνελόπης nomen componendum est cum πηνέλοψ (Ente; Bechtel-Fick), Κλυταίμηστρα, non Κλυταίμηστρη, est veterius nomen (γ 266).

Walter Bubbe

Responsorium

B. S.: Kloss, Lyra Germanica-Latina (St. Louis 1904) constat 2 M^{is}. Plura eius exempla apud me prostant; quae si desideres, scribas velim.

M. A.: du willst also durchaus, dass ich nach B. komme (ich soll also durchaus . .) — sollicitas me Berolinum; Wartehalle = mansio (raedas urbanas, publicas, motorias, viae ferratae currus, expectantium); du hast

seit undenklichen Zeiten nicht an mich geschrieben = olim nihil ad me das literarum; warum hätte dich jemand strafen sollen = quid erat, quod te quisquam puniret?; nun aber weiter, . . . = age vero, . . .; wenn er nun aber doch aus Hass gegen seine Mutter dieser ihr Leben nicht gönnte . . . = sin autem, quod oderat matrem, idcirco illam vita frui noluit . . .; in weitem Abstände folgen erst die anderen = ceteri (omnes) longe sequuntur; getrost = fortiter.

R. Z.: In catalogis reperio: J. Meursius, *Elegantiae linguae lat. Lugd. Batav. Elzevirj* 1774. 32 M. — Idem Paris 1885. 5.25 M.

O. M.: Recte suspicaris. Idem enim e. g. Ludolfus dicit in *Summa Dictaminum*: 'Item inconusuetum principium non debet poni literis. neque incompetens finis. Non enim in-

ciendum est ab ergo uel ab igitur. Quaedam autem dictiones sunt quasi appropriate ad principia, ut liquet, constat, patet.'

K. N.: Non quod quisque refert, sapientis discere refert!

A. C.: Quos tibi miseram libros, in manus tuas pervenisse spero. Hodie tibi offerimus: Forbiger, *Hellas u. Rom.* 2. Aufl. 6 Tie in 2 Bdn. Lpz. 1874—78. 8 Lwd. Pro Mk. 42.—; Mk. 18.—; Rich, A., *Illustr. Wörterbuch d. römischen Altertümer.* Aus d. Englischen v. C. Müller. Mit 2000 Holzschnitten nach Denkmälern d. alten Kunst und Industrie. Lpz. 1862. Kl. 8°. Pro Mk. 8.—; Mk. 4.—; Tacitus, *Opera.* Emend. et commentariis instr. L. Döderlein. 2 tomi. Hal. 1841—47 Pro Mk 12.75: Mk. 4. .

PROGRAMMA

Certaminis Poetici ab Academia Regia Disciplinarum Nederlandica ex Legato Hoefftiano in Annum MCMXIII indicti

A. D. VII. Id. Mart. in conventu Ordinis Literarii a iudicibus ita est relatum de XXVI carminibus, quae ad tempus ei fuerant tradita.

Omnino ad certamen admitti non poterunt carmina quibus tituli:

Miles triumphalis et Andromacha utpote quae iam antea parum essent probata et nunc plus minusve correctae denuo in certamen descenderent.

Prorsus hoc certamine indignum erat carmen c. t. *Laus Nervii oppidi*, si iam *carminis* nomine digna vocabula utcunque conglutinata in quibus nihil inest quod legentem ullo modo detineat. Paulo erant meliora carmina: *De sacro quodam Druidarum et In Constantinum*, sed haec quoque conamina parum felicia.

Sequuntur nunc XII carmina in quibus haud pauca laudanda inessent. Eorum tria erant eiusmodi ut post longam demum dubitationem ea non nobis in lucem edenda esse decerneremus. Erant carmina *Florus Horatio, De vita mire operosa Pii X, Barbara.* Cetera: *In Romam, Lux Sanctae Crucis, Anna, Lycia et Vinicius, Sub Oebaliae turribus arcis, Romae antiquae laudes, Rhegii Iulii dies fatalis, Festina lente, Virgilius apud Pollionem* post aliquam modo disceptationem seposuimus.

Dignissima vero quae sumptu legati ederentur visa sunt novem carmina, inter quae eminebant duo: *Dies Neptuni festus et quod parum huic cedebat Inquilinus urbis.*

At quominus optimo illi omnium carmini praemium aureum decerneretur et ma-

culae quaedam obstant et quod argumentum non a poeta inventum sed desumptum erat ex Horatio. Ex eodem genere carminum magna laude dignorum haec erant:

Cantervus lacus, Divinum Rus, Divi Titi arcus, Cyne, Vitus, Rus-urbs, Gabriel. Quorum ut quodque posterius hic nominatur ita melius visum est.

Novem ergo horum carminum poetas invitamus ut ante kalendas Iunias nobis scidularum aperiendarum dent veniam.

Quo facto statim tradentur typothetae.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus ut carmina latina, non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati, nec quinquaginta versibus breviora nitide et ignota iudicibus manu scripta, sumptu suo ante Kal. Ian. anni proximi mittant ad *Hermanum Thomam Karsten*, Ordinis Literarii Academiae ab actis, munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poetae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poetae in transscribendo portabile prelum Britannicum (*typewriter*) adhibebunt.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur, eique subiungentur alia laude ornata, quando scidulae aperiendae venia dabitur. Hoc ante Kal. Iunias fieri debebit.

Exitus certaminis in conventu Ordinis mense Martio pronuntiabitur; quo facto scidulae carminibus non probatis additae Vulcano tradentur.

Catalogi antiquarii:

A. Jullien, Genève — Le Bouquiniste
Genevois 33: Livres d'occasion, 25781 — 26541.
Mayer & Müller, Berlin — Cat. 281:
Klass. Phil. I, 67 Seit. (Griech. Aut., Neugriech.).
W. Rahn, Stettin — Cat. 39: Bibliothek
Brandes, 1—412.

Samonati, Roma — Cat. 51: Opera
praecipue latina, 1—530.

J. J. Lentner, München — Münchener
Bücherfreund II, 1: 1—430 (Inter alia Aldina et
Elzevir.).

W. Heffer & Sons, Cambridge —
Cat. 112: Bibl. Classica, 1—2044.

**Singulares grates putavimus hoc loco agendas his amicis, qui bene-
vola Scriptoris commendatione nos adiuverunt:**

Geisler (Breslau) — Richardson (Brooklyn) — Hansen (Charlottenlund)
Sperantes alios quoque publice nominandi nobis datum iri occasio-
nem omnes salvere iubemus lectores

Ed. et Red. S. L.

Aenigmatum Solutiones

==== Anni VIIIi num. 12: ====

1

(Saty)rae est, omnia p(erseq)ui vitae g(enera), et quidquid pr(avi), abs(urd)i, in(epti) legibus
em(endar)i (non po)tuit, hoc n(ota)re, ar(guer)e, ca(r)pere, et (car)pendo, si f(ieri) pote)st, corr(ige)re.
Sic nulla e(run)t o(fer)a ab omni reprehensione (sec)ura. (Si)c, dum iu(stitia) li(bera)bit urbem
lat(r)o(cini)is, satyra (purg)abit (ab) ineptiis. D(um) illa sc(eler)at)os config(et) edict(is), h(aec)
infi(cetos) di(ctis)*) lacesset.

*) in exemplo perperam . . . pro:

(Poreus)

1 (Saty)rae L; p(urgat)ui vitae g(erere) FH; pr(emi), abs(cid)i, in(fid)i(s) E; pr(emi), abs(olv)i, in(cid)i H;
abs(cis)i, in(igu) B; in(igu) FGL; 2 me)tuit F; n(ega)re F; ar(ripe)re He; ca(edere) FH; corr(ode)re E; corr(ipe)re
H; 3 e(xta)t G; e(ss)e)t Gu; o(mni)a F; (Ha)c BG; (Ne)c He; iu(dicis) B; iu(dicium) L; 4 satura L;
(serv)abit GHLSt; (vacu)abit Gu; (avoc)abit W; (l)iber)abit HeL; (ex) G; sc(eler)os)os GuL; config(it).
B; infi(deles) di(cto) FGGu; infi(deles) di(ris) E; infi(nitis) di(ris) H; infi(gendo) di(cta) BSt; di(cto) HeLW.

2

fulmen — flumen

3

dolor — olor

Praemium accepit Weller Ellwangensis.

==== Anni IXi num. 1: ====

1) nox, nux, nix, nex

2) tu (ego) ipse

3) mustum

Solverunt omnia: van Wessem, Saravinus, Hertel, Hilgenfeld, Steinbauer, Leopold, Banz, Himfoben,
Palata, Moser, Kobierzycki, Daniels.

Hilgenfeld aenigmati solutionem his expressit versibus:

1. Pacificare animos et corpora fessa parata

Nox me sopitum nonne iuvare potest?

Saepe nuce pueros delectant atque puellas.

Alpibus et Kronides adspuit ipse nives.

At qui pro patria moriturus corripit ensem.

Illum non terret cura timorque necis.

2. Ille ego matre mea natus genitusque parente

Nec mihi cara soror nec mihi frater ero.

3. In trito dictum est aenigmate nobile mustum,

Auctumno mustis uva Falerna tumet.

Praemium sortitus est Moser Freilassingensis.

==== Anni IXi num. : ====

1) corvus, cervus (avis, ovis)

2) mustela

3) meridies (semihora)

4) matrona, Matrona

Omnia rite solverunt: Peltenburg, Betke, Schwarzkopf.

Praemium sortitus est Schwarzkopf Berolinensis.

==== Anni IXi num. 5: ====

1) silex

2) quid quateret terras, quae fulminis esset origo

3) ATLAS

4) corpus

Recte omnia solverunt: Peltenburg, Weller, Lehmann, van Wessem, Hertel, Saravinus, Streit.

Praemium sortitus est Saravinus Kettlitziensis.

==== Anni IXi num. 6: ====

1) a

2) ensis

3) ara

Omnia solverunt: Peltenburg, Saravinus, Lehmann, Schultze, Steinbauer, Ferguson, Palata, Székely.

Praemium sortitus est Steinbauer Windsbachensis.

==== Anni IXi num. 10: ====

1

L	A	R	I	D	U	M
A	U	F	I	D	U	S
L	A	C	U	N	A	R
A	C	R	A	G	A	S
L	I	B	A	N	U	S
C	L	U	S	I	U	M
A	E	D	I	L	I	S

2

seges

3

tilia—tibia

Solverunt recte: Kunst, Hertel, Hölzl, Kiock, Bodenstein, Endt, Palata.

Praemia sortiti sunt Endt Pragensis et Bodenstein Gissensis.

Aenigmata

1. Triangulum literarum

1	2	3	4	5	6	7	3
8	9	9	5	3	7	8	
10	2	11	7	12	13		
12	13	14	15	5			
15	8	3	5				
14	8	10					
7	8						
3							

Octo sunt voces numeris tibi rite notatae,
 Quae quid significant, carminis ordo docet:
 Flammas perpetuas in templo prima fovebat;
 Altera vae! fugiens est rapienda tibi.
 Quod sequitur, Jani dabatur saepe calendis;
 Migrantes grato frigore quarta levat.
 Miro quinta modo flos est simul atque puella;
 Ignotum piscem nomine sexta vocat.
 Fugit in Aegypto Junonis septima poenam;
 Ultima? Serpentis vox mala, cauda, caput!
 Nunc lege principii, victam quam sorte dolemus:
 In studiis nostris dux ea fortis erat.

2

Qui plectit storeas, non me facile ille carebit;
 Prima cadat, jam fio anceps res nec bene fida,
 Altera eat... femella ferox nobis fugienda,
 Tertia eat... femella iterum — Divina...
 [ea certe est!]

3

Pascitur in viridi totum, quis non videt? agro;
 Deme caput, populi iam tibi rector adest.
 Deme iterum: stantem spectas prae nomine
 [vocem,
 Veneris unde tibi significatque locum.

Ex iis, qui recte solverint haec aenigmata, unus sortitus gratis accipiet hunc librum:

E. Zeller, Flores quos in horto Divi Augustini decerpit et in fasciculos redegit. Stuttgartiae 1912.

Praeconia Publica

Adolf Schustermann

[BERLIN SO. 16, Spreepalast]

doctis, politicis, artificibus, scriptoribus,
 fabricatoribus, editoribus aliisque hominibus literatis

Nuntios Ex Actis Diurnis Excerptos

modicis suppeditat pretiis.

Omnia mandata diligentissime peraguntur. Cuilibet studio praesto sunt res utilissimae. Excerptuntur maxima orbis terrarum acta atque periodica.

==== PROSPECTUS GRATIS! ====

Moderne Gespräche u. Briefe in d. alt. Sprach.

(mit gegenüberstehendem deutschen Text)

Sprechen Sie Lateinisch?

Von Dr. phil. Georg Capellanus. 5. Auflage
 Gebunden Mk. 2.—

Sprechen Sie Attisch?

Von Dr. phil. E. Joannides. 3. Auflage.
 Gebunden Mk. 1.50.

Scribisne litterulas latinas?

Von K. Thieme. Geh. 1.60, gebd. Mk. 2.—

Lateinische Sprüche

(mit Uebersetzung)

Von Dr. Rudolf Dietrich. 2. Auflage.
 Geheftet Mk. 1.60 gebunden Mk. 2.—

C. A. Koch's Verlag, Dresden 14.



SCRIPTOR LATINUS

Commentarii Ad Linguae Latinae Humanitatisque
Studium Colendum Editi

Prodeunt decies in anno pretio 4 M^{rum}.

Annus X: Numerus V

— Procurant negotia —

in America: G. E. Stechert & Co., New-York, 129-133 West, 20th-Street;
in Britannia: D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C.,
57-59 Long Acre;
in Italia: Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via
Tornabuoni;
in Nederlandia: N.V. Boekhandel, voorh. Gebr. Belinfante, Den Haag, Kneuterdijk 3;
in Russia: K. L. Ricker, St. Petersburg, 14 Newsky Prospekt.



Summarium:

Bubbe, De futuristis
 Damsté, Solatium
 Steinbauer, Ex F. Bauri Tu-
 bingensis scriptis
 Hoogvliet, De Martini Valdecii
 rebus fatoque
 Lehmann, Tria Vörösmartyii
 carmina
 Palata, Horae subsecivae

Certamen Hoeufftianum — Va-
 ria — Libri latine prodientes
 — Censura librorum — Libri
 censurae causa missi — Re-
 sponsorium — Sententiae —
 Catalogi antiquarii — Sententiae
 vertendae — Aenigmata — Quid
 docti de Scriptore Latino
 iudicent — Praeconia publica

Scriptor Latinus

Commentarii Ad Linguae Latinae
Humanitatisque Studium Colendum Editi

Ann. X

Francofurti a. M., Mense Iulio MCMXIV

Num. V

Lector Carissime!

Non sine causa haec intra ferias eduntur folia. Nam cum ne otiantes quidem suo carere commentario lectores volumus, immo verum otium esse non posse sine illius lectione existimamus, tum nullum nobis tempus aptius videtur ad novos rei nostrae amicos acquirendos. Curru ferreo veheris viaeque levandae causa Scriptorem legis: quid mirum, si omnium una iter facientium oculi specie illius ac titulo alliciuntur? Quaerit unus, quid sibi velint libelli, quanti constent, ubi veneant — habet enim secum puerum gymnasium frequentantem — iamque huic se illos dono emere velle laetus promittit. Sic in vehiculo, in balineo, in horto, inter cenam quoque aut dum ludis seu ambulas seu quiescis, omni denique tempore te Scriptorem legere Latinum significare poteris eiusque notitiam inter homines Mercurio favente obvios propagare. Habes igitur, quod agas, amicissime: age adiuva nos, et si plura huius numeri desideraris exempla, fac nos, quaeso, certiores. Fiet, quod petiveris, citissime. Di vero ferias tibi tuisque fortunent vosque re-
duces penatibus reddant corporibus animisque confirmatis!

Editor

De Futuristis scripsit

Gualterus Bubbe Halensis

Picturae quas Gino Severini qui habetur futurista arte clarissimus pinxit, per hos dies in urbe nostra propalam collocatae erant. De quibus vir artium amans anonymus redactori diurnorum quae »Hallische Zeitung« inscribuntur actorum haec fere scribit:

Maximas gratias agam ei qui quomodo futuristae ea quae pinxerunt, considerari velint, me docebit; nos quidem quibus oculi sunt sani et sensus incorrupti, ut verum dicamus, istorum quae sit ratio artificum non intelligimus. Quae vero mente sana praeditus homo viderit, vobis narrabo, ut vos quoque de hoc artis genere iudicare possitis.

Ecce imago picta cui significatio 'Nord-Südring' data est. Cognoscimus lineas fusco caeruleo viridi fulvo

atro cano colore confuse ductas, figuras imperfectas, lineas interruptas, circulos sectos, alia, omnibus quae enumeravimus in eodem linteo commixtis. Medio in chao indigesto cernuntur tituli et leges 'Sortie', 'Metro', 'I. Klasse'. Quin etiam si maxime operam dabis, et dextra et sinistra fortasse cognoscas singula corpora feminea, quamquam femina sinistra sedens ita diffracta est, ut reliquias solas animadvertas. Femina altera esse tecta videtur veste violacea. In faciem, quoniam hoc loco linteum est album neque vultus cernuntur, apertum est aliquem iecisse quasi vasculum spumae saponis plenum. Eidem feminae ea corporis pars in qua homines sedere solent, ab ingenioso futurista desecta est et tametsi segmentum rursus agglutinare conatus est, tamen vulnus oculos non effugit. Denique putabis te infra conspiciere manicam

immensam sed diligentius aspicienti apparet ingens albo colore macula.

Sed consideremus quomodo ipse se pinxerit futurista. Supra cernitur petasi dimidia pars. Alterane pars in quartam dimensionem diffluit? Sub petaso sunt plagulae chartaceae et convexae et convolutae atque inter eas quarta fere pars faciei: nihil aliud nisi oculum sinistrum et dimidium nasum conspicies. Inter lineas et flexus in conspectum venit focale desertum. Atque optimo iure addidimus 'desertum', nam et collum et caput ex illo focali evolaverunt. Infra focale est tabella in qua artifex colore caerulae lineas duxit. Quare subuculam repraesentari conicimus. Maximo cum dolore meo fateor me quidem praeter dimidium nasum oculum sinistrum petasum dimidium nihil vultuum ingeniosi pictoris cognoscere posse. Sed cur dubitemus quin ille suam effigiem aliter ac revera naturaque est pinxerit?

Deinde quod adhuc putavimus eum qui hominis alicuius imaginem exprimere et coloribus reddere in animo habeat, faciem certe picturum esse, futuristae longe aliter sentiunt. Severini quidem propalam collocavit picturam cui est inscriptio 'Portrait von Gabrielle Alavoine' (cuius cantu in Odeo Magno Parisii delectantur), sed ubinam facies feminae sit, frustra quaeras. Quamobrem vos, futuristae, poscimini, respondete, utrum imagines in quibus vultus non cernantur, sint imagines necne, utrum eiusmodi picturae in quibus oculi nasus os genae ut cetera praetermittamus desint, nominari possint 'imagines' vel germanice 'Porträt' necne? Illa cantrix, ut

verum dicamus, nullam faciem habet: animadvertimus tantum rubentes maculas et lineas, super quibus ingens capitis tegimen est. Tamen ne hoc quidem, cum elementa eius circumvolitent, est integrum. Neque quicquam vestis qua induta esse videtur femina in conspectum venit praeter unum malleolum et pannum limbi.

Pictura quae nominatur ab artifice 'Fest auf Montmartre' affluit atque abundat coloribus variis, qui nobis neque figuras neque formas perspicentibus diffluunt ac discurrunt; intersunt maculae colorum mirae, quae paterarum speciem praebent et nonnullis locis sunt maculae virides, ex quibus radii gilvi usque ad marginem ligneum se tendentes exeunt. Media in tabula cognosces syringas.

Pulcherrimam omnium tabulam esse 'Saltatrices Hispanienses' amici mei dixerant. Sed nos quidem non operam dabimus, ut interpretari conemur, quid significant illae inexplicabilissimae maculae lineae colores circuli globi; id unum silentio ne praetermittamus media in tabula triginta fere clavulos esse panctos. Bullas positas esse loco bractearum vestibibus saltatricum adhaerentium verisimile videtur; quamquam illas pingere vestes pictor oblitus est. Nihil aliud saltatricum cognosci potest nisi quattuor figurae et fuscae et oblongae, qui ut ego quidem suspicor sunt pedes, sed hi quattuor pedes — horribile est dictu — diffracti esse videntur in complures partes.

Pinxit Severini futurista . .

Certamen Poeticum Hoeufftianum

Exitus certaminis in hunc annum indicti hic est: magna laude ornata sunt novem carmina, quae sumptibus legati edentur hoc ordine:

Dies Neptuni festus	Alefridi Bartoli	Vitus	Francisci Sofia-Alessio
Inquilinus urbis	Caroli Morell	Cyme	Antonii Faverzani
Gabriel	Caroli Vignoli	Divi Titi arcus	Ioannis Caldanae
Rus-Urbs	Petri Rosati	Divinum rus	Petri Rasi
	Canternus lacus		Alexandri Zappatae

P. D. CHANTEPIE DE LA SAUSSAYE,

Acad. Reg. disc. Nederl. Ord. lit. praeses

Solatiolum

Petri Helberti Damsté Ultraiectini

carmen in certamine poetico Hoeufftiano ao. 1912 magna laude ornatum*]

Christophori quis non nomen sublime Columbi
 Novit homo didicitque vagos per caerula cursus,
 Cum novus antiquo terrarumst additus orbis?
 Ille quidem ingentem populis tulit Europaeis
 Rerum congeriem, factast ubi copia mundi
 Immensi spatiiisque opibusque atque ubere terrae;
 Sed non ulla tamen nobis meliora reclusit
 Munera quam quod ibi generoso germine crescit.
 Audax Oceani sulcator navita, clavum
 Dum regit invigilans noctu velisque ministrat —
 Sole rubens multo stivaeque innixus arator,
 Dum glebas pingues magno molimine vertit —
 Institor incedens merces dum laudat Eoas
 Et raucis sine fine vias clamoribus implet —
 Omnes utuntur medicamine semper eodem,
 Quo fractos reparent artus viresque resumant:
 Braccis e tumidis ferrata pyxide prompta,
 Sectis quae foliis usque est conferta tabaci,
 Bucellam capiunt digitis captamque genarum
 Alternis mandant caveis: mox illa redacta
 In pruni speciem sucos emittit opimos
 Instillatque novum sensim per membra vigorem.
 Ecce anus incerto procedens rustica gressu;
 Iam rugae quae corpus arant, iam prona figura
 Curas atque annos clare certumque loquuntur.
 Substitit incumbens baculo, scrutatur amictus
 Non paucos manibus tremulis paulumque tabaci
 Contriti profert, avidis quod naribus haurit.
 Protinus exhilarat vultus odor acer aniles:
 Sternuit atque suis pergit iuvenilior annis.
 Herba potens, nutrix tunicati summa popelli,
 Sive sapore tuo nares sive ora secundas,
 Cornua pauperibus iamiamque labantibus addis:
 Te merita celebrat tenuis plebecula laude!
 At quibus arrisit vultu Fortuna benigno,
 Fastidire solent mores communiter istos:
 Dedignantur enim granis corrumpere nasum
 Aut foliis farcire genas: inculta videtur
 Rusticitas illis, qua vix hirsutior ullast.
 Ipsi nempe eadem sibi dum lenimina vitae
 Vestigant, aliter venit accessita voluptas.
 Quippe focus tum turicremos follesque vigentes
 Se reddunt vicibusque simul funguntur utrisque:
 Os partes peragit foculi, dum pulmo laborans
 Accipit ac reddit spirantes suaviter auras:
 Ignitis foliis nebulisque fruuntur opacis!
 Nec tamen una viast tantum qua ducere fumum
 Gaudet quisque suum: plures iam repperit usus.
 Maxima pars hominum [numerus proh! crescit in horas]

*] Primis septuaginta fere versibus, quae minus pertinere ad rem ipsam videantur, nos hic carere posse putavimus.

Gramina somniferis adamant mellita venenis
 Suffire atque arcte bibula compressa papyro.
 Ille fuit quondam, memini, mos pessimus unis
 Intonsis pueris tirociniumque latenter
 Ponebamus atrox, malum dum reddit acerbum
 Vires effetas viro multumque vomendo.
 Cum vero incedunt hodie iuvenesque senesque,
 Eminent e labiis barbatis chartula fumans,
 Tetra quae p̄netrat late loca cuncta mephiti.
 Altera iam ratio multum praestare videtur
 Illorum, viles qui respirare vapores
 Contemnunt sed amant folia incorrupta tabaci,
 Quod Manilla vetus gignit generosaque Havana.
 Scilicet ars hominum sollers convolvere docte
 Illa scit et parvos dextra torquere cylindros,
 Herbas osa meras suco condire nocenti.
 At quis non doleat, redolens festuca „sigarus“
 Nomine barbarico quod designatur ubique?
 Aptius ac magis ex vero „convolvulus“ audit.
 Iam vero, nisi materies nos ipsa vetaret,
 Tempus erat cunctas simul implorare Camenas.
 Maius enim nos urget opus: iam tertius instat
 Scilicet ille modus, qui suffitus genuinos
 Unicus expromit! Foliis melioribus ustis
 Sumere fert animus fumi nunc fortiter haustus,
 Mollior ut faveat coeptis gravioribus aura.

Ambrosius vere sapor et sincera voluptas
 Tunc vel praecipue mulcent, cum fictilis atque
 Oblongast tibi fumificans et munda supellex:
 Alveus, humani capitis cognomina reddens,
 Denique pro foculost, referens qui dimidium ovi
 Interiore nota plantae farcitur odoraē,
 Varina sive magis seu Portorica placebit.
 Quae simul accensast lentoque excanduit igni,
 Fistula fragrantēs perducit in ora vapores
 Plurimaque inflexos volvit nubecula gyros.
 Vere novo blandos tellus cum fundit odores,
 Non Zephyri molles tam grato flamine spirant
 Quam tubus ille, meri qui mittit aromatis auras!
 Nec tantum ille iuvat tormentaue lenia duro
 Admoveret ingenio! Nunc armis pectus inerme
 Induit, ignavum miro nunc robore firmat,
 Aegro nunc medicina venit, modo dulce laborum
 Lenimen, solatiolum modo mite senectae.
 Iure igitur populis Indorum pignus habetur
 Pacificum nec res gravior decernitur ulla,
 Ni tubus, augusto „calumet“ quem nomine dicunt,
 Fumi cuique ferens aliquos sollemniter haustus,
 Circumiit rubrum tacite de more senatum.
 Nec minus est nobis, quos alba cuticula vestit,
 Et nova quoque die nec desidiosa voluptas,
 Omnis et optatum curae casusque levamen.
 Siquando socius, primis mihi iunctus ab annis

Sed peregre iamdudum habitans urbemque remotam,
 Denique me rediens post tempora longa revisit,
 Ille quidem, primi cum iam sua verba tulerunt
 Congressus, vultus nostros speculatur acutum
 Atque tacens quamvis „Quantum mutatus ab illo!“
 Eloquitur. Contra dum dissimulanter obesum
 Illius observo ventrem spatiosaque membra,
 Formam qualis erat mecum vix mente refingo.
 Mox ubi iucundus nostros sopor occupat artus,
 Somnia praeteritos annos utrique reducunt;
 At vero cum lux sociat nos postera rursus
 Et pransos locus ille tenet, „fumarium“ amata
 Quem vocitat coniunx — ego iusto nomine laudo
 „Nostrum perfugium“, nobis tunc gaudia quanta
 Pectora pertemptant! Quam tunc genialiter ille
 Ingentem quamvis invadit corpore sedem!
 In testa iam carbo micat promptusque paratus
 Fumifer omnis adest: flammis alimenta ministrat
 Suaviter illud olens atque immortale tabacum.
 Tunc tacite densos iuvat exhalare vapores,
 Fallere tunc blandas sociis sermonibus horas,
 Atque ita dum loquimur, sensim ceu picta tabella
 Aetatis surgit nostrae melioris imago:
 Cernitur haud usquam venter promissus amici
 Nec rugae faciem nostram crispare videntur.
 Tandem uxor, veniens cum potu cumque placentis
 Iamque ingressa nihil metuens penetralia nostra,
 Conivetque pedemque refert, vix verba sequuntur:
 „Fumi, mecastor, quam spissa volumina pendent!
 Ense secare queas!“ clamat. Ridemus uterque:
 Tempora tum certe nobis rediere peracta!

Quid tandem totiens verbis mordere malignis
 Te gaudent laudesque tuas in crimina vertunt
 Indociles? Quid enim? Famoso nonne libello
 Tolstois, laudatus homo, te proscidit ultro?
 At non causa latet: misero Fortuna negarat
 Vel modicas novisse notas! Scythiae glaciali
 Non nostrum suffire datumst verumque tabacum.
 Gramen odoratum, divino germine surgens,
 Non modo delectas — etiam prodesse paratum es.
 Quid quod nulla magis venienti occurrere morbo
 Herba valet vel bestiolas arcere minutas
 Sive bacilla velis densa cum gente medentum?
 Tu sanare etiam, credo, cava vulnera possis.
 Nam pius Aeneas, caeca stridente sagitta,
 Prostratus iacuit, dirum sub pectore volnus
 Ipse gerens tandem, Quid tunc Venus alma? Maroni
 Si qua fides, nato properanter miscuit aegro
 Ambrosiae sucos et odoriferam panaceam, *)
 Unde suae iuveni rediere in pristina vires.
 Quae sit planta potens, docti per saecula multa

*] Verg. Aen. XII. 4:9

Perpendere viri quamvis molimine casso:
 At nos, fumosum genus, illam agnovimus ultro,
 Ex quo parte sui meliore increbruit herba.
 Utilitas etenim Superis patuit: lætabant
 Deliciae dulces ac blandimenta tabaci.
 At longo sermone ignis consumptus in alveost;
 Heus, puer et folia et flammæ huc ocios affer!
 Quid, baculos mihi luciferos tu, pessime, portas?
 Protinus ista procul! Candens carbunculus adsit!
 Quam, mehercle, bene est mihi nunc: nil amplius opto,
 O si fata sinant suprema in tempora vitæ
 His me posse frui — nisi cum pituita molestast!

Ex iis, quæ F. C. Baur Tubingensis reliquit, scriptis

F. C. Bauri, conditoris scholæ Tubingensis, trecenta tantum non integra exstant forma quaternaria folia ab ipso scripta. Continent omnia commentariola, quæ professor Blaubeurensis a die 3^o Januarii anni 1818ⁱ usque ad 2^{um} diem Septembris anni 1826ⁱ discipulis in Latinum et Græcum transferenda proposuit. Commentariolo Germanico sua cuique addita est interpretatio Latina. Adiungitur fere Græca quoque interpretatio, nisi interdum aliud commentariolum Germanicum in Græcum transferendum cum sua interpretatione insertum est. Hunc librum praeclarum tanti illius viri monumentum eundemque singulare nostræ ætati esse exemplum nemo neget. Accedit, quod hoc opus non solum ad recte aestimandam auctoris artem educandi et scientiam grammaticam maximum

affert momentum, sed etiam magnam partem continet materiae, qua ab anno 1821^o usque ad annum 1824^{um} complures nobilissimi postea viri a Bauro adolescentes eruditi sunt. Dico Straussianam, quæ vocatur, promotionem, cui præter D. F. Straussium ipsum F. Th. Vischer, C. Maerklin, P. Pfizer aliique interfuerunt. Dubium non videtur esse, quin Bauri potissimum disciplina permultum valuerit ad illorum animos ingeniaque excolenda.

Ex hoc igitur opere, quod magno pretio emi, lectoribus Scriptoris Latini primum commentariolum ita proponam, ut nihil nisi quæ ad rectiorem vocabulorum scripturam attineant mutem. Quod si placuerit, alia mea propositurum esse exempla profiteor.

J. Steinbauer Windsbachensis

I

Die Geschichte der ältesten Völker und Staaten beginnt gewöhnlich nicht sowohl mit historisch beglaubigten Nachrichten als vielmehr mit mythischen Erzählungen, in welchen Göttliches und Menschliches, Wahrheit und Dichtung ineinander fließt. Diese Erscheinung darf uns nicht befremden, wenn wir uns ganz in jene Zeit versetzen, wo der Mensch die alte Sittenroheit ablegte und den ersten Schritt zu einem kultivierten Leben tat. Aus Mangel an Bekanntheit mit den Gesetzen, welchen die Natur unterworfen ist, durch die Lebendigkeit der Eindrücke, die die Neuheit so vieler Gegenstände in dem jugendlichen Gemüte der Menschen erzeugen musste, durch die Unwissenheit, mit welcher alles, was zur Ver-

Antiquissimarum gentium civitatumque primordia non tam historica fide quam poeticis fabulis humana et divina, vera et ficta perinde habentibus enarrari solent. Neque est, quod miremur, si tota mente ista repetimus tempora, quibus homines priscam morum feritatem exuentes ad humaniorem vitam progredi coeperunt. Legibus enim, quas rerum natura sequatur, parum cognititis, iuvenili hominum animo tot tantarumque rerum novitate perculso (tacto), iis omnibus, quæ maiorum singularumque gentium gloriam augustiorem redditura erant, cum cupiditate arreptis diisque, in quorum familiaritate versari solet rudior vetustas, præsentis ope humanis rebus adesse creditis fieri non potuit, quin

herrlichung des Ruhmes der Voreltern und der einzelnen Stämme dienen konnte, ergriffen wurde, durch den Glauben, dass die Götter, mit welchen der rohere Mensch des Altertums in so naher Gemeinschaft zu stehen pflegt, einen sichtbaren teilnehmenden Einfluss auf die Angelegenheiten der Menschen äussern, musste auch das, was anfangs klein und unbedeutend war, bald zum Ausserordentlichen und Wundervollen vergrössert werden. Wie vieles muss dabei dem eigentümlichen Charakter der Sprache, wie er in dem Jugendalter eines Volkes gedacht werden muss, zugeschrieben werden! Bedenken wir endlich, dass solche Sagen viele Jahre hindurch nicht durch zuverlässige historische Denkmale, sondern nur durch mündliche Tradition fortgeflanzt wurden, so ergibt sich unser Urteil darüber von selbst. Für die Geschichte selbst kann die Wahrheit oder Falschheit derselben ziemlich gleichgültig sein, aber desto grösserer Aufmerksamkeit ist es wert, durch die Vergleichung der in naher Verwandtschaft mit einander stehenden Mythen in die Kenntnis der alten Welt tiefer einzudringen und die Art und Weise kennen zu lernen, wie uns die Völker in den verschiedensten Zeiten und Ländern beim ersten Anfang ihrer Geistesbildung erscheinen.

parva etiam et ab exiguis profecta initiis mox supra modum auferentur et miraculorum instar essent. Quanti hac ipsa in re singularis linguae indoles, qualis, quum prima populorum aetas adolevit, fuisse credenda est, momenti erat! Si denique reputamus fabulas istas per longam annorum seriem non incorruptis rerum gestarum monumentis sed ore narratas et per manus traditas ad posteros pervenisse, quid iudicandum sit nobis, in promptu est. Quantum quidem ad historiam attinet, utrum verae an falsae sint, haud in magno ponendum est discrimine; ad id vero pro se quisque eo acrius intendat animum, ut comparandis fabulis istis sibi simillimis ad subtiliorem perveniat antiquitatis cognitionem rectiusque intellegat, quales temporum terrarumque ratione maxime disiunctae gentes prima animi colendi initia facientes nobis appareant.

Priores commentarii huius anni

praeter primum et secundum venales prostant

apud redactorem his pretiis:			
III	5 M	V	4 M
IV (18 num.)	6 "	VI	4 "
	VII	2.50 M,	
apud editorem:			
VIII	5 M	IX	5 M
Pauca cum supersint exemplaria, nemo mandare illos cunctetur!			

Sententiae

Neglegere, quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti.
Cicero

Quamlibet saepe obligati, si quid unum neges, hoc solum meminerunt, quod negatum est.
Plinius

Corrigenda:

Pg. 53¹ lin 27 pro vervabitur lege: servabitur,
 " 50 " rel'inquinto " relinquito,
 " 54² " 46 " Fraug " Traug.,
 " 55 " 55 " MDCCCXVII " MDCCCXIX,
 " 56¹ " 27 post quandam comma ponendum,
 " 58¹ " 25 " arbores " delendum,

Pg. 58¹ " 26 post pinumque } commata pon.,
 et " candelas }
 " 59¹ " 18 pro perniciosissimi lege: perniciosissimi,
 " 63 " 42 post Anni IXi num. inserte 3

De Martini Valdecii Rebus Fatoque

Ex Valteri Scotti libro «The Antiquary» in Latinum convertit
Dr. J. M. Hoogvliet Haagensis

Nihil nisi lunae candida fax per vallis clivum lucebat. Georgus quum incerto gradu gelidoque sudore operata fronte et subter cucullum carbonarium horrente capillo eo pervenisset ubi nuper apparuerat ignis, quem locum vetulo quercu marcido poterat agnoscere, ibi jam nullum omnium rerum quae viderat invenit vestigium. Muscus et flores agrestes relictis erant non adusti et veteris illius quercus rami, qui modo flammis fumoque videntur circumdari, aperti erant gravi rore nocturno. Inde Georgus tremulo gressu revenit ad tugurium et, ut major fecerat frater, constituit eorum quae viderat nihil referre, ne in Martino temerariam illam excitaret experiendi aviditatem, quam ipse paene scelertam esse existimabat.

Tum Martino obtigit vigilare galli jam cantu audito ad finem properante nocte. Is ut lignorum, e quibus parandi erant carbones, inspexit conditionem, admiratus est quum ignem videret male curatum. Georgus nimirum ob excursionem quaeque deinde acciderant vigilantibus neglexerat ipsam materiam. Quo viso Martinus primo dubitavit an fratres suscitet; quos tamen ut vehementi somno graves vidit recumbentes, parcere voluit illorum quieti et ipse ligna quibus opus erat igni suppeditare coepit. At quae addidit aut humere sunt visa aut iniquae esse conditionis, nam ignis extinguiebatur potius quam exardesceret. Itaque foras exiit Martinus ut ab acervo lignorum diligenter idcirco fissorum siccatorumque ramos aliquos peteret, sed rediens invenit ignem totum extinctum, grave sane incommodum quod facile totius diei plurimove constare posset quaestu.

Carbonarius autem molestissime ferens insolentiam rei primo ferri ictu ignem elicere conatus est quo ligna rursus incenderet, at fomes lintea ita humebat ut ne sic quidem efficere posset quicquam. Tum vero fratres suscitare voluit, ut pro rebus urgentibus — quum simul fulgentis cujus-

dam ignis jubar, quod non per fenestram solum sed per rimam quamlibet miselli emicabat tugurii, ad idem spectaculum mentem ejus vocavit animumque, quod prius utriusque fratris male infestarat vigilias. Credit autem primo Mülhausenses ipsorum in commercio competidores, quibuscum jam multae iis intercesserant rixae, illicitae venationis causa extra fines suos progredi ausos esse statuitque fratres suos expergefaceret ut in latronum temeritatem animadverterent. At postquam paulipser cogitavit eorumque qui circa ignem erant gestus motionesque respexit mutavit jam sententiam et, quamquam alioquin ejusmodi res in dubium solebat revocare, nunc tamen agnovit spectaculum se ante oculos habere naturae modos excedens. „Attamen, sive homines sunt sive lemures“, inquit carbonarius intrepidus, „qui illic tam singularibus cum gestibus circumsiliunt, ego obviam ibo illis facemque postulabo qua ignem meum rursus accendam“.

Deposuitque simul fratres suscitandi consilium; erat enim notio quaedam superstitiosa, ejusmodi coepta, quale ipse ageret, non nisi ab uno homine posse perfici. Caeterum timebat, ne fratres, qua erant anxia verecundia, impedirent quominus ea exploraret quae in animo erat retegere. Itaque venabulo de pariete sumpto Martinus solus foras exiit ad excursionem tam audacem persequendam.

Non minus prospere quam nuper ejus frater Georgus et aliquanto audacius Martinus trajecto rivulo monte consensu tam prope accessit phantasmata ut Hartiani numinis formam perspicue dignosceret. Spectantem tum primum in vita incessit gelida formido; mox tamen secum reputans se absentem hunc ipsum conventum nedum extimuisset, multo magis exoptavisse animum revocavit deficientem stimulanteque simul superbia animo satis tranquillo aggressus est ad ignem, quum formae circumsilientes quo propius accederet magisque videren-

tur saevae lugubres immanes. Exceptus est cachinno stridente horrido inhumano qui in aures ejus sonaret atrocius quam tristissimus qui cogitari possit ejulatus.

„Quis tu es?“ quaevisit gigas, dum vultus ejus truculentus gravitatem quandam sumit fictitiam interdum cedentem risui illi quem comprimere velle videbatur.

„Martinus Valdecius carbonarius“, respondit juvenis intrepidus, „at tu quis es?“

„Locorum desertorum metallique rex“, respondit phantasma — „Et qui tu mea speculari audes secreta?“

„Carbonem adsum petitum, quo ignem meum refocillum exstinctum“ audacter reposuit Martinus, deinde confidenter rogavit: „At quanam sunt ista mysteria quae vos hic celebratis?“

Cui monstrum comiter respondit: „Celebramus nuptias Hermis cum Atro Dragone — Tu autem jam sume ignem quem petebas mox abiturus. Nemo mortalium diu nos potest intueri neque animam perdere vivam.“

Itaque rusticus ille venabuli cuspidi affixit frustum ligni ardentis quod nonnisi aegre sublevaret redivitque ad tugurium dum per angustam vallem triplo repercusso resonant voces cachinnosae.

Martinus, simul ac tugurium est consecutus, quamquam maxime admirans ea quae viderat summa tamen diligenter carbonem ardentem lignis interposuit, quae si quando idonea erant ad ignem reficiendum. Nihilominus re saepius tentata, follibus et forcipe frustra adhibitis, carbo quem a phantasmatis igne petierat plane denique exstinctus est. Tum facie versa Martinus ignem in monte vidit ut ante flagrantem, etsi qui circumdederant eum evanuerant. At quia delusum se esse a numine intellexit, animo ejus experiendi cupidissimo stimulus additus est ut rem peragere constitueret, iterumque accessit ad ignem, unde non laesus a numine eodem modo candens reportavit lignum; at ne sic quidem ignem suscitare ei contigit. Auxit temeritatem periculi facti impunitas: tertium ingressus est iter et

ut prius ad ignem revenit; sed quum denuo flagrans lignum suscepisset jamque gradum verteret abiturus, audivit eandem vocem raucam inhumanamque quae prius eum allocuta erat haec verba proferentem: «Cave quartum redire audeas!»

Hoc tandem ne iterum rediret Martinum deterruit. Nam quum ultimo illo carbone aequae frustra flammam tentasset revocare, omni spe amissa destitit ab incepto et foliorum marcidorum acervo incubuit singularem casum cras fratribus narraturus.

Tum repente e gravi somno, in quem corpus fessum concussusque eum animus demerserant, excitatus est vehemente admirationis gaudiique clamore. Fratres enim experrecti ignem exstinctum esse mirantes, dum suscitare scintillas conantur et ligna retractant, in favillam demersas invenerunt ternas glaebas metalli quod, qua omnes fere in Hartio monte rustici sunt metallorum peritia, primo obtutu aurum esse purum putum agnoverunt.

Gaudium tamen et gratulationes mutuae refrixerunt nonnihil ubi a Martino acceperunt fratres quo se modo res habuisset, quibus relatis ut qui ipsi spectaculum illud essent experti, facile credebant.

Neque tamen sibi temperare potuerunt quominus et ipsi illius divitiis uterentur. Deinde Martinus, quem ut dominum sequebantur fratres, superbe coepit debacchari et agris silvisque coemptis, aede magnifica extracta, in ordinem nobilium pretio adscriptus, indignantibus omnibus ejus regionis viris conspicuis, donatus est omnis generis insignibus quales altae dumtaxat stirpis viris mos esset tribui. Animus quidem fortis et grandis numerus satellitum, quibus stipendia pendeat, paulisper sustentabant eum adversus odia vehementia quae subita ejus elatio, superbia, arrogantia excitarant. Tum vero in Martini nostri Valdecii exemplo hoc illud apparuit quod et aliis usu venit permultis, quam parum ea praesagire possint mortales, quae in ipsorum animis effecturae sint subitae res secundae.

Malae in illo libidines evalescebant, quasque prius suppressas abditasque tenuerat paupertas, ex iisdem jam opportunitate rerum et peccandi licentia corroboratis funesti deinceps propebant eventus. Ut undam unda, sic libido libidinem exceperit; improbus avaritiae daemon alterum excitavit superbiae, qui rursus saevitiae oppressionisque sibi adscivit praesidia. Jamque Valdecii animus, qui semper audax fuerat et experiendi cupidus, rebus prosperis immitis petulansque factus non solum nobilitatis sibi contraxerat odium, sed pariter hominum tenuiorum, qui eo indignius etiam ferrent molestam praefecti potentiam quod ab eo illam tanta viderent usurpari intemperie, qui ipse ex infima esset elatus plebecula. Jam et casus ejus ille mirandus, quamvis magna diligentia celatus, inter homines coepit divulgari, clericique avarum illum notabant et quasi magum malorumque numinum socium, qui ingentes divitias tam singulari modo partas non tentasset quodammodo saltem consecrare parte non exigua ecclesiae donanda. Itaque inimicis apertis occultis undique circumdatus, nulla non laesus injuria, ecclesiae anathemati propinquus, Martinus Valdecius Dynastes (nam sic eum appellare jam potius nos decet) saepius pristinae suae paupertatis invidia vacuae durum laborem oblectationesque innoxias desiderabat. Nec tamen in omnibus his malis deficiebat eum animus fortis, qui quidem augeri potius videretur periculis nubium instar circumstantibus atrarum procellam minitantium . . . donec unus casus fuit qui ruinam ejus acceleraret.

Dux enim Brunswici principatum tenens Germaniae quidquid erat equitum, altis clarisque stirpibus prognatos publicis nuntiis invitarat ad solennem hoplomachiam habendam. Martinus autem Valdecius eo progressus est impudentiae ut magnifica indutus armatura, ambobus fratribus comitantibus, satellitibus stipatus splendide exornatis, regionis equitatu se immiscuerit inque palaestram sese postulari admitti. Quod arrogantiae visum est esse modus extremus. Mox

permultae voces conclamarunt: „Non patiemur ad hoplomachias nostras admitti carbonarium!“ Qua contumelia incensus Martinus gladio stricto percussit caduceatorem, qui omnium satisfaciens voluntati prohibere voluisset ne in stadium intraret. Quo facto statim fere centum gladii destringuntur ad vindicandum illud facinus quod tunc temporis ab ipso sacrilegio aut parricidio regis non multum putaretur distare. Inde Valdecius, quamquam alacerrime sibi propugnarat, correptus confestim apud certaminum arbitros causa dicta, condemnatus est (ut qui pacem universam a principe proclamata violasset praeconisque sacrosancto capiti injuriam intulisset) ut dextra manu truncaretur, deinde ut ordine nobilium quo non jam esset dignus moveretur utque ex urbe eiceretur. Itaque armatura spoliatus, truncatus ad crudelem sententiam, miserima plebeculae data est praeda, quae minis conviciisque eum prosecuta est, modo «magum» increpantes modo «vulgi oppressorem» donec a verbis venerunt ad manus. Fratribus ejus (nam satellites omnes jam diffugerant sparsi) tandem contigit ut e proletariorum manibus eum reciperent, postquam illi crudeli animo saturato semianime sanguine amisso et cruciatu perlato eum reliquerunt. At ne illud quidem prae cruenta inimicorum crudelitate concessum est fratribus, ut vehiculo ad miserum abducendum uterentur alio nisi ex iisdem uno carbonariorum plostris, quibus antea erant usi; in illo igitur fratrem suum manipulo paleae imposuerunt vix ad periculum ullum sese perventuros esse sperantes nisi illum e miseria mors exemisset.

Hoc modo tristissimo dum fratres procedunt Valdecii jamque ad solum perveniunt suum natale, in via quadam inter binos montes media imum tenente conspiciunt formam quandam appropinquantem quae primo obtutu similitudinem referebat senis scipione innixi pallioque induti. At quo propius accedebat illa forma, in majus crescebant membra staturaque, tum pallium ab humeris delapsum est, sci-

pio commutatus in abietem conversam, Hartii denique numinis immanis apparuit forma terroribus omnibus insignita.

Qui quum ad plostrum pervenisset in quo Valdecius miser jacebat, vultus ejus horridus contortus est ad rictum quendam qui erat infandi contemptus malitiaeque, simulque rogavit jacentem: »Qualis videtur tibi canis, quem carbones excitaverunt mei?« Quibus verbis, dum fratres timore deficit animus, Martinus ultro visus est de integro animari; excepit se cubitis, super quibus jacuerat resupinus, contraxit frontem et pugnum factum praecussit spectro torvis luminibus infestum signans odium contemptumque minacem. Tum spectrum evanuit cum solito suo saevo et contemptuoso cachinno, reliquitque Valdecium deficientium virium ultimo nisu defessum.

Jam fratres formidinis pleni plostrum duxerunt ad monasterium propinquum, cujus turres e silva abietum juxta viam eminebant sita. Ubi benigne recepti sunt a monacho Capucino nudis pedibus barba promissa,

Martinoque id ipsum superfuit animae ut confessionem daret tum primum inde a die subitae elationis suae absolutionemque peccatorum impetraret . . . ab eodem clerico, cujus tribus ante annis illo ipso die e vico Morgenbrodt ejiciendi fuerat particeps. Unde factum est ut postea falso nomine »prosperae fortunae« ejus tres anni occultum quendam putarentur habere nexum cum tribus illis ad ignem in colle itineribus.

Martini autem Valdecii corpus in monasterio sepultum est ubi vitam posuerat. Ividemque fratres monachi facti vixerunt et mortui sunt in officiis obeundis beneficis atque piis. Agri vero eorum, quos nemo scilicet sibi vindicaret, inculti jacebant donec ab Imperatore ut feudum reposcerentur commissum; at etiamnunc rudera aedificii, quod suo nomine nuncuparat Valdecius, a metallicis carbonariisque vitantur tanquam improborum numerum domicilium. Atque sic homines subito partis maleque dispensis divitiis miseriam adhaerentem lucide ante oculos positam vident in Martini Valdecii rebus fatoque.

Michaelis Vörösmartyi,

unius ex praestantissimis Hungarorum poetis, epigrammata tria
latine reddidit

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis *)

Ignis et aqua

Quaenam flamma valet, quae lympa patrare supremum?

Inflammatque animos indomitosque domat?

Ingenuere tuis oculis Di, femina, utrumque:

Ignes caeligenos, caeligenas et aquas.

Puella petulans

Dulciter edis amara, et amare dulcia: nomen

Tormentum est, virgo dulcis-amara, tibi!

Coenobium

Coenobium tibi vis? Id pectus virginis ipsum est:

Sunt monachae sensus, imperat hisce decus.

Serva, conde piam turbam, dum venerit, aram

Cuius sacratam percolit orbis: amor.

*) Quod attinet ad germanicum textum, conferas velimus librum: „Michael Vörösmarty's ausgewählte Gedichte. Deutsch von Paul Hoffmann. Wien, Pest, Leipzig, A. Hartlebens Verlag.“ — Huius quoque poetae Hungarorum celeberrimi carminibus lectores nostros valde delectatum iri sperantes in illum libellum elegantissimum et specie nitidissimum confectum animos enixe convertimus.

Horae Subsecivae

Carmina recentiora Latine reficta a Fr. Palata

Vita rusticana

(Hölty: Wunderseliger Mann, welcher der Stadt entfloh)

Felix, urbe procul vivere cui datur!
 Arbusti strepitus, murmur aquae, silex
 fulgens praedicat omnis
 huic almam Sapientiam.

Hunc ceu sacrâ domus quisque monet
 Deo
 de praesente frutex; huic genibus pie
 nixo caespite quovis
 fas numen venerarier.

Somnum conciliat cantus aedonis,
 somnum rumpit item luscinae melos,
 Eos cum face lustrat
 per ramos radians torum.

Factum quodque, Deus, tunc inhiatuum:
 praecursore tuo, sole novo, stupet
 nec non verme pusillo
 aut gemma stupet arboris.

Frigus captat ubi gramineo solo
 aut flores riguis spargit aquis: odor
 huic blanditur amoenus
 vespertinaque flamina.

Mollis marmorei lectulus atrii
 non sic allicit ut stramineae casae
 tectum, quo petulans gens
 gaudet sole palumbium!

En! lasciva cohors, vix herus advenit,
 cum stridore volat desuper: e manu
 et vanno sibi grana
 cum frustis Cereris legit.

Si mortis senium ruricolam admonet,
 vico iuncta pius busta perambulat:
 spectat sarta crucesque
 et sedem sibi quaeritat.

Cippum visit, ubi biblica littera
 subter fronde latens mente docet mori
 aequa, Mors ubi falcem,
 palmam porrigit Angelus.

Felix, urbe procul vivere cui licet!
 Illi, natus ut est, omine caelites
 fausto spargere gaudent
 incunabula floribus.

Eros, verna Neronis

(Vrchlicky)

Villa Phaonis adhuc hortis amplexa Neronem
 occultit, ipsa cohors quem sua destituit.

Allati Roma rumores dira minantur:
 hostilis portas undique turba subit.

Legati metuenda ferunt decreta senatus,
 queis „hostis patriae“ dicitur esse Nero.

Galba regit Gallos, plebs Romam: fraude deorum
 versa fortuna regnat ubique furor.

Caesaris artificis quo fugit gloria? Verna
 solus Eros dominum cum pietate colit.

„Nil reliqui, puer, est gladio nisi figere pectus
 et cunctis curis sic dare rite modum.

Sed mens aegra gravi mortis formidine languet:
 vita suis retro me vocat illecebris.

Taedia vivendi quondam me discruciant,
 vivendi sed amor nunc mea corda rapit.

Vivere, proh, cupio, mihi quando perire necesse est!
 Sic Nero, sic Echo flevit et — obticuit.

Molli spectat herum paulisper lumine verna,
 dum miles portam iam quatit arietibus.

Tum stricto gladio: „Minime dolet“ inquit et unda
 ilibus ex servi sanguinis hausta ruit.

Subridens plangit terram dextraeque suprema
 incumbentis heri basia figit ovans.

„Unde tibi vis tanta?“ Nero rogat efferus. Ille:
 „De grege sum Christi“ dicit et — emoritur.

Sententiae latine reddendae:

Naturwissenschaft und Sozialismus halte ich für die beiden Haupthebel der neuen Zeit; doch ist die Naturwissenschaft der stärkere von ihnen, ja, sie hat durch die ins Masslose gesteigerte Nutzbarmachung der Naturkräfte für den Wirtschaftsbetrieb, durch Erfindungen und allerlei Erleichterung des Verkehrs den Sozialismus in seiner jetzigen Gestalt erst geschaffen, mindestens beschleunigt. Sie bleibt aber auch dauernd die stärkere Kraft, und wenn wir einmal, was bald geschehen kann, in der planmässigen Menschheitsentwicklung

vor die Wahl zwischen Naturwissenschaft und Sozialismus gestellt werden sollten, so ist es mir nicht zweifelhaft, dass wir uns für die Ratschläge der Naturwissenschaft gegen den Sozialismus entscheiden müssten; denn dieser bleibt immer das mehr oder weniger erklügelte Rechenexempel von Menschenköpfen, jene zeigt uns die Gesetze, nach denen der Mensch als Naturwesen sich bisher entwickelt hat und fort und fort entwickeln wird.

Lange, Reines Deutschum
(Berlin 1893)

Huic penso qui satisfecerit optime, gratis accipiet librum:
Palearius, Opera. Amstelodami 1696.

Censura Librorum

Dr. H. Brühl: **Kottalos, der Musterknabe.** Eine Schulszene aus dem Altertum. Rheinbach, J. Riesenkönig, 1914. 30.

Anno millesimo octingentesimo nonagesimo in Aegypto, quae regio tot poemata ac scripta veterum, quae quin in perpetuum perdita essent, non dubitabamus, praeter expectationem nobis reddidit, nonnulli mimiambi Herondae quoque in lucem venerunt. In scholam Graecam a poeta ducimur tertio mimiambo, quo qualem vitam egerint magistri ac discipuli, cognoscimus. Metrotime mater obsecrat et implorat, ut Lampriscus magister cui quanta nequitia malitia improbitate pigritia sit suus filius Cottalus refert, verberibus caedat ac castiget puerum. Quod facit magister.

Qua actione usus Brühl ingeniose finxit fabellam palliatam. Ex verbis quae faciunt duo condiscipuli Cottali, accuratius intelligimus quales sint mores illius. Qui non veretur, postquam ipse in caupona «Falernum»

potavit et condiscipulos in alea emunxit argento, ad magistrum currere, ut illorum potationis indicium afferat. Idem capsulam quae ei qui elegantissimos versus composuisset, praemium proposita erat, aufert per fraudem. Sed ubi caupo ut capsulam pigneratam magistro traderet, et Metrotime mater venerunt, fustem non effugit.

Poeta nihil aliud optat nisi ut discipulis nostris, qui saepissime magis desudant in studio antiquitatis quam gaudent, eodem studio per breve momentum risus eliciatur. Fabella tam eleganter ac facete ficta quin revera animi adulescentium oblectentur, nemo dubitabit qui legerit. Quod Eudias et Phillus magistris esse nullum maius malum existimant, discipuli huius aetatis toto pectore assentientur. Praeterea haec fabula videtur maxime idonea, qua ille locus in quo Horatius mentionem facit Orbilii plagosi, illustretur. Optandum est, ut fabula semel atque iterum a discipulis diebus sollemnibus agatur. Sit in omnibus bibliothecis scholaris Bruehlii «Cottalus».

W. Bubbe

Varia

An omnino et quando interpretationibus utendum

Vetus est aliquorum opinio, eorum praesertim, qui se praeter ceteros sapere arbitrantur, disciplinas artesque omnes, quae ingenuis adolescentibus tradi solent, vernacula cuiusque provinciae lingua explicari oportere, ne florentissima aetas latininitatis addiscendae labore frangatur, quae geometricis et geographicis studiis multo gravioribus opportunissima esset. Quodsi quis latina monumenta cognoscere velit, tam multas esse interpretationes aiunt, tam certas, tam fideles, tam ornatas, ut nihil melius ex ipso latinorum scriptorum ore, si quando ex suis

tumulis excitentur, accipi possit. Ac de disciplinis quidem sine latinis litteris addiscendis nihil aio, nihil nego: quod autem de latinis monumentis dicitur per interpretationes cognoscendis, si de aliquo genere dicitur facile patior, sin autem de genere moni, vereor ne homines isti non solum otio suo, sed etiam patientia nostra turpiter abutantur. Cum enim poetica et oratoria non tam rerum, quam verborum artificio constant et cuiusque sermonis figurae quaedam propriae sint, modo syllabarum sono, modo ipsa positione formatae, qui fieri potest, ut latina carmina et orationes suis verbis suaque constructione spoliatae non suam quoque naturam exuant? Utcumque tamen est, iuvat et oratorum et poe-

tarum opera in alias migrare linguas, ut bona pars hominum domesticis commodis et otio superfluentes desidiam legendo ponerent, et quandoquidem eruditione carerent, aliquam saltem eruditionis umbram consecarentur. At vero si quis est ad docendum vocatus, qui interpretationes huiusmodi impigrae iuventuti proponat et ad latinas exedras afferat, nae ille aut barbarus est, aut insanus aut pestis aliqua longe deterrima ad tenellas animas labefactandas scholis affusa. Jac. Facciolatus (1682—1769)

Responsorium

M. A.: ähnlich verhält es sich mit der Trunkenheit = similis est ratio ebrietatis; die welkenden Lorbeeren der Armee = senescens exercitus fama; ein Genie von einem Schurken = (homō) ingeniosissime nequam; doch gehören diese Dinge in das Gebiet der Naturwissenschaft = sed haec sunt physicorum; ich bin doch neugierig (will doch sehen), wie lange . . . = exspecto, quam mox . . .; aber auch im Glück soll(t)en wir keine Überhebung zeigen = sed in prosperis quoque rebus superbiam fugiamus; (unsere) Mitmenschen = quibuscum (vivimus) vivitur; sich vor Augen halten = in promptu habere. — Quos petis catalogos libentissime conquiremus.

Turell.: Im Gegenteil machen wir oft die Erfahrung, daß das Publikum geistlosen Schwätzern am aufmerksamsten lauscht = nos contra blaterones (nugatores) attentissime saepe audiri videmus; nicht sowohl durch die künstlerische Gestaltung des Inhalts als der Form ausgezeichnet = non tam rerum quam verborum artificio praestans. — Fac tuos meo quoque nomine salutes!

Libri libellique censurae causa missi:

Lectores sociosque nostros hisce paucis certiores volumus nos, quamquam partem librorum ab editoribus nobis traditorum certis quibusdam iudicibus censurae causa dare solemus, tamen libentissime, quem quis cupiverit librum, si scribere de eo paratus sit, esse missuros. Opus enim est viris in eo, quod professi sint, genere censurae versatissimis. Scribat igitur, qui de uno ex libris indicatis iudicare velit, ad redactorem.

A. Genau, Mathematische Uebersetzungen für Lehrer und Rechenfreunde. Arnsherg i. W., J. Stahl, 1913. 80. 1 M.

Th. Drück, Römische Inschriften und Bildwerke. Progr. Stuttgart 1912. 75.

G. Ferrero, Die Dichter Roms. Mit einem Bildnisse Ferreros und einem Nachwort von Walther Lohmeyer. Stuttgart, Jul. Hoffmann. 97. 1 (1.80) M.

Catalogi antiquarii:

B. Liebisch, Leipzig — Cat. 221: Klass. Phil. u. Altertumsk., pgg. 214 (Lat. Schriftst.

63—100, Philologen etc. 106—111, Lexikogr. etc. 148—165).

G. Fock, Leipzig — Cat. 458: Klass. Phil. I, 1—4440 (Lat. Schriftst. 2132—3366a, Neulat. 3427—3644).

Jos. Baer & Co., Frankfurt a. M. — Cat. 615: Philosophie, 1—4897 (Philosophie des Altertums 232 1301).

O. Rauthe, Berlin-Friedenau — Verzeichn. wissenschaftl. Werke aus allen Gebieten, pgg. 22.

Libri nostra aetate latine prodientes:


(Libri sine temporis indicatione ao. 1913 prodierunt. Numeri post titulum cancellis inclusi ad ampliorem illius indicationem revocant lectores, post pretium, quanti religatus constet liber, denotant.)

50. Zander, C., Eurhythmia vel compositio rhythmica prosae antiquae II: Numeri latini aetas integra vel rhythmicae leges antiquioris orationis latinae. Lps., Harrassowitz. XXVIII, 675. 12 M.
51. Dillmann, A., Chrestomathia aethiopica edita et glossario explanata. Lips. 1866. [Redimpres. anastat.] Lips., Tauchnitz, '14. XVI, 291. 14 M.
52. Dissertationes Philol. Halenses. Halis Sax., Niemeyer. Vol. XXIII, pars 3: Hübner, F., De Pluto. V, pag. 245—291. '14. 1.50 M.
53. Coleopterorum catalogus, auspiciis et auxilio W. Junk ed. a S. Schenkling. Berol. W. Junk. Pars 60. Silphidae: Subfam. Bathysciinae. Ed. R. Jeannel. 62. '14. 5.90 (pret. subscr. 3.90) M.
54. Aertnys, J., Compendium liturgiae sacrae juxta ritum romanum in missae celebratione et officii recitatione. Ed. VIII. Constitutioni „Divino afflatu“ ac recentiss. S. R. C. decretis accommodata. Paderbornae, Schönigh, '14. VIII, 190. 1.80 M.
55. Brehm, F., Conspectus pro officio divino juxta noviss. mutationes rite persolvendo. Ed. V aucta et emend. Ratisb., Pustet, '14: 188. 0.80 M.
56. Pesch, C., Compendium theologiae dogmaticae. Tom I: De Christo legato div. — De eccl. Chr. — De font. theolog. Frib. Brig., Herder. XII, 304. 4.80 (5.80) M.

Aenigmata

1. Saltus Equinus

Si recte saliet equus, eo ordine singulas areolas calcabit, ut ex syllabis inscriptis carmen exsistat tribus distichis constans.



2

3

Sit caput a: superos turis delectat odore;
Sit caput o: terram dividit atque mare.

Grata colore rubro quae nostris floret in hortis,
Huic ego fine carens addo suave decus.

Ex iis, qui recte solverint haec aenigmata, duo sortiti gratis accipient
Held, Malerische Winkel aus Alt-Eisleben (Chartulae imaginibus ornatae).

Eisleben, Karl Raeschke, 1914.

Praeconia Publica

Moderne Gespräche u. Briefe in d. alt. Sprach.
(mit gegenüberstehendem deutschen Text)
Sprechen Sie Lateinisch?
Von Dr. phil. Georg Capellanus. 5. Auflage.
Gebunden Mk. 2.—
Sprechen Sie Attisch?
Von Dr. phil. E. Joannides. 3. Auflage.
Gebunden Mk. 1.50.
Scribisne litterulas latinas?
Von K. Thleme. Geh. 1.60, gebd. Mk. 2.—
Lateinische Sprüche
(mit Uebersetzung)
Von Dr. Rudolf Dietrich. 2. Auflage.
Gehftet Mk. 1.60, gebunden Mk. 2.—
C. A. Koch's Verlag, Dresden 14.

Verlag d. Buchhandlung des Waisenhauses in Halle a. S.
Griechische Einakter für Haus u. Bühne verdeutscht
von Gustav Eskucho
Mit 5 Dichterbildnissen gr. 8. geh. M. 3.50, geb. M. 4.50
Inhalt: Aischylos: Salamis. — Sophokles: Der sterbende Oedipus, Die Spürhunde. — Euripides: Alkestis, Odysseus beim Riesen Polyphemos. — Aristophanes: Die Frösche oder ein Sängerstreit. — Platon: Sokrates im Gefängnis. — Menandros: Das Findelkind. — Plautus: Die lustigen Weiber. — Theokritos: Nächtliche Beschwörung. — Herondas: Beim Lehrer, Beim Schuster, Im Tempel. — Lukianos: Des Schusters Haushahn, Spukgeschichten, Frau Gicht.

Quid Docti De Scriptore Latino Judicent

DAS HUMANISTISCHE GYMNASIUM: . . . Die Zeitschrift bietet in jeder Nummer den Lesern Artikel, die teils durch ihren Inhalt, teils durch die Gewandtheit erfreuen, mit der die lateinische Sprache zur Besprechung modernster Dinge gebraucht wird.

WOCHENSCHRIFT FÜR KLASSISCHE PHILOLOGIE: . . . welche bereits hervorragende Beiträge namhafter Gelehrter gebracht . . . hat. Sie hat gewissermaßen internationale Bedeutung, aber es ist für Deutschland auch von nationalem Interesse, die Freude an der klassischen Literatur zu erhalten . . . Daß sie nicht enttäuscht sein werden, dafür bürgt nicht nur der Inhalt der früheren Jahrgänge, sondern auch dieses neue Heft. . . .

DER AKADEMIKER: . . . Ich habe das reichhaltige Heftchen mit zunehmender Freude gelesen; es herrscht ein frischer, froher, oft geradezu scherzhafter Ton darin . . . der Scriptor Latinus ist nicht langweilig, sondern unterhaltend, und man lernt dabei doch fein Latein. Noch kürzlich hatte ich Gelegenheit zu hören, wie ein Dozent der Universität die Zeitschrift seinen Hörern empfahl. Ich darf also allen, die sich mit der lateinischen Sprache beschäftigen müssen oder möchten, zum Scriptor Latinus raten. Sie werden ihn mit Genuß und Nutzen lesen.

PFARRHAUS: . . . Wir weisen gern auf diese gediegene, originelle Zeitschrift hin und bieten zum Beweis, wie genial sie den sermo latinus handhabt, eine kleine Probe ihres Inhalts . . .

BERLINER PHILOLOGISCHE WOCHENSCHRIFT: . . . Mit dem hochverdienten Herausgeber arbeiten Lehrer an Universitäten und Gymnasien in verschiedenen Ländern, Geistliche, ein ‚Rei vehic. praep. em.‘ u. a. nebst jüngeren Kräften zusammen. Alle ‚motis nituntur in aera pennis‘. Es ist gewiß kein Icarosflug, da schon für die klassisch oder wenigstens realgymnasial gebildete Jugend das Unternehmen bestens zu empfehlen ist.

HANNOVERSCHE PASTORAL-KORRESPONDENZ: Väter tun ihren Gymnasiasten-Söhnen durch Halten dieser Zeitschrift einen Dienst. Nach Erfahrungen der Lehrer wächst dadurch das Interesse, die Liebe und die Beherrschung der lateinischen Sprache. Die Zeitschrift enthält so mancherlei Stoff aus Vergangenheit wie Gegenwart, daß jeder des Lateinischen Kundige, auch der Nicht-Gymnasiast, dafür Interesse haben wird.

MONATSSCHRIFT FÜR HÖHERE SCHULEN: . . . wir wollen nicht länger zögern, auf das eigenartige Werk hinzuweisen, da es die Erwartungen, die man darauf zu setzen berechtigt ist, wirklich erfüllt. Der Inhalt und vor allem die Art, moderne Stoffe in zwanglosester Art, in oft verblüffender Sicherheit in die antike Form zu gießen, hat zumal für den Lateinschüler etwas ungemein Anziehendes. Wer ein Jahr lang sich von diesem Scriptor hat leiten lassen, wird seinen Cicero oder Virgil mit anderen Augen ansehen. . . . Dem Unternehmen ist weitere Verbreitung von Herzen zu wünschen; besonders erscheint die Zeitschrift auch für Schülerbüchereien geeignet. . . .

ZEITSCHRIFT FÜR DIE ÖSTERREICHISCHEN GYMNASIEN: . . . Der Referent hält somit den Gedanken, der dem Scriptor Latinus zugrunde liegt, für durchaus aktuell und wünscht daher dem Blatte eine möglichst große Verbreitung.

BLÄTTER FÜR HÖHERES SCHULWESEN: . . . zeigt die bekannten Vorzüge, wie sie in Besprechungen früherer Nummern gerühmt sind: eine leicht flüssige Sprache, in der auch moderne Stoffe einen leicht verständlichen Ausdruck finden . . .

LITERARISCHER HANDWEISER: . . . die sämtlich einen reichen und interessanten Inhalt haben. Außer klassisch schönen, in Stoff und Auffassung modernen Gedichten bietet jede Nummer . . . Übersetzungen deutscher Dichtungen in prächtige lateinische Verse. . . . Nicht zu vergessen sind die Übersetzungen moderner Literaturabschnitte in klassisches Latein, wodurch die Zeitschrift namentlich für Philologen — zünftige wie zukünftige — große Bedeutung gewinnt. . . . Das . . . Heft wird bald mit derselben Sehnsucht erwartet werden, wie die Hefte der wissenschaftlichen und belletristischen Zeitschriften.

PASTOR BONUS: . . . Mit Staunen wird man aus dieser Zeitschrift erschen, mit welcher Eleganz und Leichtigkeit sich alle Gedankengänge unserer Sprache in der lateinischen wiedergeben lassen. . . . Wir können sie daher den Freunden der lateinischen Sprache zur Anregung nur empfehlen.

LITERARISCHE RUNDSCHAU: . . . Ein Blick auf den letztjährigen Jahrgang bestätigt wiederum die früher gemachte Beobachtung, daß die Mitarbeit auch den größten Schwierigkeiten gewachsen, um die modernsten Begriffe und Einrichtungen in klassisches Latein zu kleiden. . . . Die Zeitschrift kann jedem, der sich Gewandtheit im lateinischen Ausdruck, vor allem für moderne Begriffe, verschaffen will, warm empfohlen werden. . . .

805
543



GENERAL CATALOGUE

MAR 5 1915

SCRIPTOR LATINUS

Commentarii Ad Linguae Latinae Humanitatisque
Studium Colendum Editi

Prodeunt decies in anno pretio 4 Mrum.

Annus X: Numerus VI

— Procurant negotia —

- in America:** G. E. Stechert & Co., New-York, 129-133 West, 20th Street;
- in Britannia:** D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C.,
57-59 Long Acre;
- in Italia:** Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via
Tornabuoni;
- in Nederlandia:** N.V. Boekhandel, voorh. Gebr. Belinfante, Den Haag, Kneuterdijk 3;
- in Russia:** K. L. Ricker, St. Petersburg, 14 Newsky Prospekt.



Summarium:

Lectoribus salutem!
Facciolatus, Latina lingua non
ex grammaticorum libris com-
paranda
Quid amici nostri de se ipsi
scribant: Lehmann Vratis-
laviensis
Lommatius, De Julio Thikötter
poeta

Lehmann, Duo Goethii carmina
Jocosum stili politici exemplum
— Varia — Responsorium —
Catalogi antiquarii — Libri
latine prodeuntes — Plura de
Scriptore iudicia — Nomina
conscriptorum

Redactor: Voldemarus Lommatzsch, Bremiportensis
Editor: Hans I. Lützenöder, Francofurti ad Moenum

Scriptor Latinus

Commentarii Ad Linguae Latinae
Humanitatisque Studium Colendum Editi

Ann. X Francofurti a. M., Mense Septembri MCMXIV Num. VI

LECTORIBUS SCRIPTOR LATINUS SALUTEM!

Bellum per totam fere Europam saeviens nosque ab omni earum, quibuscum pugnare coacti sumus, gentium commercio disiungens Scriptorem quoque, quominus suo prodiret tempore, impedivit. Nam praeterquam quod promissa quaedam manuscripta mitti non potuerunt, defecerunt nos, quod peius est, plagulae ab ipsis auctoribus emendatae. Quin etiam fasciculus scriptorum typographo per tabellarios traditus nescio quo errore deeravit itinere neque, quo perferri debuerat, pervenit. Adde difficultates ob operarios in exercitum delectos, ut aliis locis, ita in typographica quoque officina existentes — numquid pluribus opus est, ut tardior novi numeri adventus excusetur?

Sed quis nunc de huiusmodi rebus cogitet! Nihil sane videtur interesse, hocne an alio aliquo die commentarii edantur, ea tempestate, qua maximae neque ad unius tantum, sed plurimorum orbis terrarum populorum fata pertinentes res geruntur. Nam seu se defendunt illi seu inferunt bellum, prospere pugnant seu vincuntur — nimium unicuique eorum importatur damni, quam ut non omnium patriam suam amantium animi sollicitentur. Quis tali tempore se colligat, quis animum avertat ad res a magnis illis, quae tanquam ante oculos videmus, eventis alienas! — Tamen nos quoque, propositi nostri memores, quaequae e mundano quod vocant bello scitu digna videbuntur, diligentissime, licet brevissime, narrabimus, exceptis nimirum iis, quae mendacissimi quidam diurnorum scriptores solent nuntiare. Nam si verum esset, quod ipse a peregrinis scriptum legi, ut urbs nostra telis incendioque deleta esset, Russi cum Francogallis irruptione in Germaniam facta Hanoveram occupatam tenerent, Bremenses — risum teneatis, amici! — ceteris Germanis bellum indixissent — si haec omnia et sexcenta alia haud minus insane ementita vera essent, putatisne me tunc otiosum et tranquillum in studiolo meo sedere posse Scriptori Latino operam navantem?

Nihil ergo est, quod mihi aut Scriptori nostro metuatis. Ego, ut respondeam amice quaerentibus, valeo vosque eadem esse valetudin vehementer spero. Valet!

Red. S. L.

Latina Lingua Non Est Ex Grammaticorum Libris Comparanda

(Jac. Facciolati orationes et alia ad docendi artem pertinentia. Lipsiae MDCCLII)*)

Etsi omnes artes ac disciplinas in dies amplificari tam est rei literariae gloriosum atque utile, quam reipublicae augeri operibus et imperio, tamen quod reipublicae accidit, ut nimia crescendi libidine non raro decreseat, idem solet in hoc literarum quasi regno evenire. Nihil ego de Platonicae philosophiae, nihil de Peripateticae fati variaque fortuna disputo, quarum utraque tum demum vel corrui, vel certe plurimum detrimenti cepit, cum impotenti sectatorum studio altissime evecta in praecipiti stetit ac mole sua laboravit. Unum illud latinitatis tradendae artificium urgeo, quod grammaticen communiter appellant, opus suapte natura exiguum ac tenue, sed immodica hominum industria adeo amplificatum, ut volenti omnia percurrere nihil sit nisi grammaticum tota vita legendum. Conatus hos praestantium virorum si eo spectant, ut latini sermonis diligens quaedam historia exstet, non solum non reprehendo, sed etiam laudo; sin vero nobis latinitatis discendae gratia ostentantur, longissime abicio nulliusque esse momenti, nullius utilitatis contendo. Prima enim illa Guarini Veronensis rudimenta, ut corrigerent et illustrarent, boni praeceptores depravarunt; eoque res demum deducta est, ut qui velit latine scire, hunc sibi a grammaticorum insidiis cavere maxime oporteat. Quod ut evincam, cum mihi necesse sit de grammaticorum tricis et ambagibus aliquanto disputare liberius, quaeso vos, auditores, ne me honestissimo generi hominum infensum putetis, qui et natura ipsa ad benevolentiam comparatus omnem invidiae suspicionem diligentissime fugio et pro suscepto vitae institutorum in primis amore delector, qui de literis bene mereri pro virili parte conantur. Sunt enim eorum lucubrationes, etsi ad recte loquendum non necessariae, tamen ad cognoscendum non illiberales, neque ego — ita me Dii ament — industriam hanc magna cum eruditione coniunctam contemno, sed parum admodum ad latinae locutionis usum valere dico. Et sane, ubi puer singulas nominum ac verborum declinationes memoriae mandavit paucasque illas in universum regulas probe tenet, quibus tamquam cardinibus tota ver-

tatur latina lingua, quid est, cur statim non ad classicum scriptorem ducatur, quem sine intermissione verset, memoriae tradat habeatque veluti unum ex familia, quicum magistri ope et auxilio familiarissime loquatur ac vivat? Cum enim ille potissimum diei partem in scholis traducat, quid in causa esse dicamus, ut perpetua rerum latinarum tractatione latine tamen minime discat, domi vero minore multo exercitatione minusque accurata a parentibus, a nutricibus, a vernis domesticam linguam assequatur? Ego certe ita mihi persuadeo tenellos angustosque puerorum animos immensa illa regularum, appendicum, scholiorum farragine terreri atque opprimi, ut ne respirare quidem possint, nedum se explicare latineque interrogando ac respondendo naviter audere. Quemadmodum enim subitarius miles, si in confertissimam hostium aciem statim compellatur, periculi magnitudine atque insolentia despondet animum sui prorsus oblitus vix telum expedit, ita literariae palaestrae tirunculi ingentes grammaticorum commentationes aggredi iussi cogitatione ipsa difficultatis ac laboris exanimantur spemque omnem evadendi statim abiciunt. Hinc scholae taedium, hinc quaesiti saepe morbi, hinc impatiens vacationum desiderium, hinc denique commenta illa callidissime excogitata ad otium et ignaviam, si fieri potest, impune fovendam. Haec ego si probem, ad nuces profecto redire videar et pueris similia facere: sed tamen quoties animo colligo exsucca illa frugisque omnis ac delectationis expertia grammaticorum praecepta, quibus tot annos impalescere vivida ingenia coguntur, quadam quasi miseratione commoveor iustoque dolori libentissime parco. Quotus enim quisque vestrum — iuvat praeterita repetere et memoriam pueritiae renovare ultimam — ita fuit ad omnes literarum labores recte compositus, ut ante coeperit aequo animo frequentare scholas ac domestico carere otio, quam positis grammaticis latinis scriptores tractaret eorumque lectione et imitatione latine aliquid conaretur? Ego sane, ut de me dicam, obruebar infinita illa atque implicatissima regularum strue; nec pluribus votis adversa tempestate iactati nautae por-

*) Orthographia nonnullis locis ad nostrum morem mutata est. Red.

tum desiderant, quam ego inde me ut expedirem et improbi laboris terminum aliquando contingerem, deorum hominumque opem implorabam. Ut autem ad amoeniora paulo transivi coepique ex oratoribus ac poetis delibare aliquid, tum vero quasi in novum orbem repente translatus tanto animi ardore latinae linguae studium arripui, ut ludorum ac vacationis oblitus, magno etiam saepe cum valetudinis incommodo, libris diu noctuque inhaerem. Quodsi ardentissimae illi proficiendi voluntati aliquando respondisset ingenium, ut certe — magno cum dolore dico — numquam respondit, nec vos hoc tempore plebeio dicendi genere molestissime detinerem nec ullus esset hac aetate latinus orator, cui de orationis nitore, numero, perspicuitate ullo pacto concederem. Nunc vero in magna virium infirmitate si quid valeo, qui valeo sane minimum, totum Ciceroni, Terentio, Livio, Caesari, Virgilio, Horatio ceterisque eius aetatis scriptoribus elegantissimis debeo. Nihil a me repetundarum iure postulet Priscianus, nihil Donatus vindicet, nihil Valla, nihil Sanctius, nihil ille ipse, deliciae quondam nostrae, Emanuel Alvarus, quos omnes una cum crepundiis vel abieci vel deposui nec ex eo umquam in manus sumpsi, nisi per hosce dies, ut huic orationi materiam compararem. Excidere iamdiu animo eorum monita, excidere leges nihilque mihi potest ad stilum retardandum contingere infestius, quam tristis quaedam eorum recordatio ac metus, unde solent arida omnia, sicca, exsanguia proficisci. Quid enim est aliud grammaticae loqui, quam omnino latine non loqui, si credimus praeceptorum maximo Quintiliano? Nam ut omnia grammatici vere dicant, utrum aliud efficiunt, nisi ut sine barbarismis, sine soloecismis sit oratio? In quo si tota laus consistit latinitatis, iam ne ipse quidem Cicero Latinus est, cuius libri, si ad grammaticorum cavillationes exigantur, soloecismis non carent. Neque vero id ignorant, sed quae in aliis magnopere damnant, haec in Cicerone mutato nomine figuras appellant et veluti lumina variandae orationi accommodata valde commendant. Nituntur enim omnes latinum sermonem certis complecti legibus, quibus deinde contraria multa apud Latinos auctores cum inveniunt, ad schemata, metaplasmos, antiptoses, archaismos, hellenismos et id genus alia magnifica figurarum nomina confugiunt,

quorum ope non quidem eorum famam tueantur, qui sine piaculo reprehendi non possunt, sed nobis illudant, ne grammaticae praecepta cum illis ipsis pugnare scriptoribus, unde sumuntur, intellegamus. Fuit olim latina lingua, quemadmodum ceterae, iuris plane sui, ex colluvione multarum gentium Romae nata, populari convictu communique rerum tractatione aucta, denique usu ipso et sorte quadam inveniendi ligandique verba, non ratione et consilio ad hanc copiam propagata numerisque suis absoluta. Hanc proinde praeceptis coercere totam perinde est, ac de scientia, non de lingua disputare, quod Varro ipse, analogiae ceteroquin exactor molestissimus, aliquando cum dididisset, nullam esse observationem similium docuit et in omnibus paene verbis unam consuetudinem dominari. Id vero quam mirum videri debuit Alvaro nostro, qui de sola nominum, verborum ac participiorum constructione quingentas ferme regulas non sine multis praeterea observationibus concinnavit! Fuit ille certe magno ingenio, magna industria, magna latini sermonis peritia, cui ego de re tota libenter concedam, si suas regulas non dicam omnes, non plurimas, non aliquas, sed principem illam ac ceterarum caput de verbo *amo* adversus irruentem undique inimicorum impetum defendat sartamque tectam ab omni detrimento conservet. Quid enim primum discernis, Emanuel, de verbo *amo*? Num esse adiectivum et inter activa familiam ducere? At Ausonius ad neutra reiecit: Ut apud Deum fieri amat. Quid tum? Num esse primi ordinis nec alium postulare casum nisi quartum? At est qui secundi faciat eique genitivum apponat: Nolo Thaidem amare tanti. Quid postea? Visne esse primi et secundi? At Cicero ad quartum refert: Si quicquam me amas. Quid deinde? Esse etiam quartum? At idem in sextum conicit: De raudusculo multum te amo. Pro pudor! Eius rei artem efficitur ac venditamus, cuius fundamenta prima tam facile corruunt. Novi equidem, et qui analogiam summa ope defenderent, ab ipsa florentis Romae aetate fuisse nonnullos, sed nemo tamen cum hac nostrorum grammaticorum turba comparandus, qui ut nihil intentatum relinquunt, ab ipso mundi exordio et vetustissima Hebraeorum lingua romanarum vocum causas, similitudinem et originem petunt, petituri altius vel ab

Arcadibus, si Arcades, quod poetae eorum iactare consueverunt, ante lunam orti fuissent. Nihil novi affero apud eos, quibus est aliquis cum Martinio, cum Becmanno, cum Vossio usus. Cum his autem? Immo etiam cum viris nostrae huius aetatis praestantissimis, qui abrepti saeculi more gravissimum certamen de vocolae nescio cuius origine nuper instituerunt multasque ac reconditas eruditiones ex hebraeis codicibus, ex syriacis, ex arabicis, ex graecis ductas in tam leve negotium contulerunt. Quodsi, quam sunt ingeniosi ad haec excogitanda, tam essent unanimes in tradendis, fortasse vos aliquando fefelissent. Verum hoc percommode cadit, quod sibi invicem de rebus omnibus bella movent seque mutuis vulneribus conficiunt, quod ipsum argumento est nihil huic arti inesse certi, quae homines procaces efficit et novarum rerum nimio plus amatores. In ipso enim statim grammaticae limine nonne de partibus orationis principes in hac arte viri acerbissime pugnant? quodque ridiculum est, gravissimos totius antiquitatis scriptores, Aristotelem, Platonem, Plutarchum, divum

Augustinum pro se quisque stare iubent? Perge porro. De pronominum causa, numero ac natura, quam dubia, quam varia, quam sibi contraria decernunt Varro, Probus, Priscianus, Donatus, Quintilianus? Hi autem ipsi inter se cum casibus nomina ab officio fuisse indita consentiant, nonne Scalliger tamen negat? Valla castigat Priscianum, quod ficum morbum quartae declinationis fecerit, rursus in Vallam arma movet Petrus Ramus, quod ficum fructum masculo genere extulerit. Scaligero commune genus pessime a Graecis ἐπιθρονον, optime a Latinis promiscuum appellari videtur. Sanctius Latinos damnat, Graecos absolvit. Impersonalia dicit Alvarum decet, paenitet, pluit et similia, nulla esse impersonalia, testatus Deos hominesque, Scoppius affirmat. Si quis verborum modos statuatur esse quattuor, ecce tibi qui quinque, qui sex, qui octo, qui multo plures inducit. Est qui probet gerundia ac supina, non deest, qui pura puta grammaticorum deliramenta dicat.

(Proximo numero finietur)

Varia

An hispanice scierit Cicero?

Hoc sane credet, qui initium legerit cuiusdam epistolae ad Atticum scriptae. Quenam ista? quaeritis, amici, expectatione suspensi. Quarti libri octava.

Ibi enim Cicero, ut amico huius quoque scientiae det specimen, hispanice orditur epistolam neque vero, si forte alter imperitus sit linguae, peregrini verbi omittit translationem. Ita igitur scribendum erit initium:

Apenas (vix) discesserat, quum epistola L.

Typhetharum daemon sobrietati inimicus

Ferdinandus, episcopus St. Gallensis in litteris ad clerum suae dioeceseos datis verbis usus est Venerabilis Thomae a Kempis: „Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris.“ Typhetha ex „vim“ fecit „vini“, ut legendum esset: „Tantum proficies, quantum tibi vini intuleris.“ Fortasse arbitratus est ille episcopum punctum

omississe super extremam litteram ponendum. Hoc accidit episcopo eique abstinenti, uti dicunt. Opportune mendum illud in plagula de prelo emendanda deleri potuit. Quod ni contigisset, sobrietatis osoros haud parum nos irrisissent.

(Ex periodico: „Die Enthalttsamkeit“)

Fr. Fr.

Sententiae

Ille pusillus et degener est, qui de ordine mundi male existimat et emendare mavult deos quam se.

Seneca

Latus patet hominis animus quam artium ac disciplinarum provincia tota.

Facciolatus

Si vel praestantis ingenii vis vel inclitarum artium defecerit instrumentum, non confestim debemus ad otium et inertiam devolvi, sed quod sapienter speravimus, perseveranter consecrari. Summum enim culmen affectantes satis honeste vel in secundo fastigio conspiciemur.

Columella

Quid amici nostri de se ipsi scribant *)

3. Guilelmus Lehmann Vratislaviensis

Natus sum F. A. Guilelmus Lehmann anno 1848 in provincia Posnaniensis oppido, cui Rawitsch nomen. parentibus optimis et dilectissimis. Qui postquam Vratislaviam transmigrarunt, hac in urbe primis litterarum elementis imbutus puer

decem annorum gymnasium Elisabethanum,

quod tum Carolo Fickert viro illustrissimo rectore florebat, coepi frequentare.

Vere anni 1868 testimonium maturitatis

adeptus, quo citius quae ad victum suppeditarent mihi pararem meique iuris fierem, muneri publico me dedere constitui atque rem vehiculariam capessivi. Tirocinio absoluto mox, ut contingere solet officiariis publicis, „multorum

hominum vidi urbes et mores cognovi“ atque in diversissimis primum Silesiae, deinde totius fere Borussiae regionibus officioungebar duobus examinibus bene superatis in superiores ordines gradatim ascendens; etiam in Alsatia recuperata, Argentorati, in „urbe illa bellissima“, duos circiter annos stipendia feci, quod ministerii mei tempus iucundissimum iuvat appellare. Anno 1891 Sprembergae, in urbe Lusatiae, officii tabellarii administratio ad me delata est; ineunte anno 1896 pari

muneri praepositus sum Olsnae, Silesiae in urbe, ubi per septem annos negotiis operam navavi. Morbo coactus diuturno anno 1903 munere publico me abdicavi; otium primo Olsnae degi, tribus annis post penates Vratislaviam transtuli.

De privata vita mea haec liceat afferre: anno 1877 in matrimonium duxi coniugem dulcissimam et fidelissimam, pro qua adhuc mihi servata Deo maximas et habeo et ago gratias. Liberos suscepimus quatuor, e quibus filiolam in primo aetatis flore praematura morte nobis ereptam lugemus.

Atqui — credo et scio — sunt qui me, hominem ab omni doctrina alienum ac per tria decennia et



dimidium munere publico ad litteras artesque colendas parce tantum aut omnino non spectante detentum et aetate iam provectum, non solum non didicisse Latino uti sermone, verum etiam narratiunculas, commentationes, carmina Latine confecta foras dare audere satis demirentur. Quamquam publicis circumagebar rebus et conditionibus ac saepius curis gravabar negotiisque cum publicis tum domesticis iisque haud levibus, tamen etiam schola egressus quae in hac didiceram diligenter tractare ac retractare nun-

*) Cf. ann. IX num. V, ann. X num. III.

quam desii. Imprimis linguae Latinae, qua ut a magistris praeclarissimis erudirer mihi contigerat, libenti animo assidueque operam dare usque ad hunc diem consuevi. Quodsi in arte Latine versificandi, in qua superiorum classium discipuli illo quidem tempore exercebantur, quosdam — si dicere fas est — feci progressus, hoc duobus praecipue debeo praeceptoribus, quos per diu defunctos gratissima teneo memoria. Fuerunt hi: Carolus Fickert et Rudolfus Kuenstler (postea usque ad annum 1877 gymnasii Ratiborensis rector), qui propter singularem quandam artem poeticam verus artifex dici poterat. His ducibus iam discipulus eo perveni, ut conaminum metricorum amantissimus aut solus aut una cum condiscipulis versiculos scriberem, et subtilem legum prosodiacarum et metricarum scientiam mihi comparavi. Horum virorum eruditione, exemplo, consilio factum est, ut linguae Ausoniae amorem ad senium mihi servaverim et tempora in gymnasio peracta hodie quoque summa cum voluptate recorder. Inita tum est sempiterna mea cum Horatio amicitia: cuius carminum haud exigua

partem memoria complexus semper mecum portavi et portabo. Posterius accessit quod, ex quo in otium me contuli, plus etiam temporis et diligentiae consumere potui in cognoscendis Romanorum et Graecorum scriptis, e quibus simul cum filio meo — qui in studia philologica et philosophica incubuit et summis in philosophia honoribus impetratis facultatem in scholis superioribus docendi consecutus est — fructus largos cepi et oblectationes, praesertim in legendis comicis et elegiacis poetis. Paulatim Latine scribere nec non Germanorum, Francogallorum, Britannorum, Hungarorum poetarum carmina varia convertere vel transferendo imitari suscepi. Non sum nescius huiuscemodi studia a multis, imprimis recentioribus, derideri vel paene contemni; — habeant sibi, nihil hos moror. Non enim — id quod laetor — desunt neque viri doctissimi et spectatissimi, qui talia laudent, suadeant, commendent, ut iucundissima ita utilissima arbitrentur. His viris si mea quoque opuscula, quantulumcumque valent, arrident et probantur, gaudeo semperque gaudebo.

De Julio Thikötter, Poeta Latino

Procul negotiis merita laboriosae vitae fruens quiete superiore mense Novembri unum et octoginta annos natus diem vir supremum obiit, qui ob studia scriptaque sua magnam et domi et peregrini habebat famam. Julius Thikötter erat ei nomen parochiqueungebatur munere ad Bremensem, quae Unserer Lieben Frauen vocatur, ecclesiam. . .

Quis, qui eruditorum in numero vult haberi, huius non viri nomen audivit? Theologorum certe neminem esse opinor, cui, quis fuerit ille quaeque scripserit, sit ignotum. Nam quos edidit de liberali quam vocant theologia, de Alberto Ritschelio, de Luthero, de ratione religionem inter et philosophiam intercedente libros, ii, ut alii plures multa industria et doctrina insignes, optime Thikötterum literarum sanctarum scientibus commendave-

runt. Et qui eiusdem de Eginhardo et Imma, de Herimano, de Hildegarda, de Arnulpho et Julia fabulas, qui carmina eius Rhenana, qui orationes legerunt, mirantes intellegunt doctissimum illum pastorem Bremensem in poetico quoque — tam epico quam lyrico — genere feliciter versari eiusque opera digna esse, quae etiam qui imperiti sint theologiarum rerum, cognoscant. Qualis autem vir fuerit poeta, ipse dicit his verbis ex praefatione libelli, qui 'Neue Rheinlieder' inscribitur, desumptis: »Quod qui haec emittit carmina, parochus est atque theologus, admirari non poterunt, nisi qui austeritate, ut Lutheri utar verbo, vel, ut Amaliae de Lasaulx, iracundia quadam sanctos imitari studentes hilaritatem omnem animi et iucunditatem et quodquod ex Rheno eiusque donis haurimus gaudium prava atque turpia esse opinantur. Equidem me in pangendis hisce atque colligendis carminibus ha-

buisse fateor, quo ex factionum controversiis et rabie theologorum tamquam ex aridis vastisque in fertiliora paulo subinde confugerem loca.*)

Cur autem nobis potissimum hic vir videtur memorandus? Erat ex iis — et hi admodum pauci sunt — qui veteres linguas totius sibi vitae comites sumant, qui miram, quae illis inest, vim ipsi experti scientiam e scholae olim disciplina haustam augere inque ipsius aliorumque usum atque voluptatem convertere malint quam situ eam pati perire. Quanto gaudio illorum repetere solebat temporum memoriam, cum in schola urbana Barmensi latinae linguae elementis erudiebatur! Erat tum puer decem annorum et sicut ante, qua mentis erat alacritate, libros amaverat eosque, cum solus erat, carissimos secreti socios habebat, ita, cum Romanorum discere sermonem coepisset, huius praecipue studii amore tenebatur.

Barma postero anno a sorore vocatus Flamershemium ivit, qui amoenissimus pagus est prope Bonnam situs, ibique latine eum docuit pastor Kortzen, cui illa nupserat. Qua mortua quinque annis post traditus est praeceptoribus catholici gymnasii Münstereifelensis, quod est in priore collegio societatis Jesu. Hic iuvenis, qui unus ex discipulis Lutheranae sacrorum formulae erat addictus, latinum studia persequeretur ipso scholae rectore duce, sacerdote et aetate et scientia venerando, hic alterius quoque quid inesset confessionis praeceptis, intellegere hominibusque aliter de cultu divino sentientibus indulgere, ut ex posteris eius scriptis apparet, didicit.

Nec tamen diu illic est moratus. Nam anno post in Duisburgense re-

ceptus est gymnasium evangelicum, cui tunc temporis Carolus Eichhoff praeerat. Is vir erudiendi atque educandi arte pariter insignis literisque graecis atque romanis studiosissime deditus non, ut quidam his diebus, satis esse ducebat, ut patria lingua redderentur scriptorum veterum opera, sed contra pensis ad omne genus dictionis pertinentibus libero utriusque sermonis usu discipulos assuefecit. Qua assidua exercitatione ita mox Thikötter veteris verba linguae in potestate habebat tantumque eius studium coeperat adamare, ut provecta etiam aetate, quando a muneris ecclesiastici curis atque laboribus relaxare animum volebat, in latinis ex germanico conversiones aliaque huius generis opera secedere non sine fructu soleret.

»Papae et mihi latinae linguae peritia nemo par« sic saepenumero amici eum audiebant facta Leonis, pontificis laureati, significatione iocari. Et erat mira profecto latine vertendi in eo facultas. Testes sunt carmina eius duobus Bremae libellis edita, quorum alter anno 1888, alter 1902 prodiiit. Prior ille, qui, cum poeta eodem anno iam similia publicavisset, „Neue Rheinlieder“ inscriptus est, pauca continet eaque germanicis intermixta carmina latina, posterior, ut omnittam translationem unicuique poemati adiectam, totus latinus est. „Haec „Neue Hymnen“ inscribuntur carmina suntque longe prioribus praestantiora: apparet Thikötteri artem annis post primi libelli editionem elapsis mirum in modum maturuisse. Ac tantis et latina et quae his respondent patria verba insigniuntur virtutibus, ut illane ex germanico an haec ex illis conversa sint nescias. Est utrumque per se opus elegantissimum.

Quod non semel philologi quoque agnoverunt. In Classicae quidem quae vocatur Philologiae Hebdomadario qui de Thikötteri carminibus censuram fecit, scripsit Bremensem poetam cum Bernardo a Clara Valle et Thoma de Celano de palma contendere eiusque hymnos dignos existimavit, qui ab omnibus antiquitatis studia contentmentibus legerentur. Idem ali-

*) Dass ein Pfarrer und Theologe diese Rheinklänge aussendet, kann nur diejenigen befremden, die als saure (nach Luther) oder als zornige Heilige (nach Amalie von La-saulx) der Meinung sind. Frohsinn, Humor und Freude am Rhein und seinen Gaben seien arge Gesellen. Dem Verfasser ist das Dichten und Sammeln dieser Lieder eine Oase gewesen, in die er aus der Wüste des Parteihaders und der rabies theologorum sich zuweilen geflüchtet hat.

multi seu publice seu literis ad auctorem ipsum datis iudicaverunt. . .

Sed non sacra tantum Thikötter finxit carmina: sunt etiam, quae patria, alia, quae academica licet vocare. Ex patriis vel, ut nunc aiunt, patrioticis plurima in Bismarckium scripta sunt, quem summopere poeta admirabatur atque venerabatur, unum quoque in cancellarii uxorem. Illi vero quantum gaudium attulerint et fidelis Thikötteri animus et ingenium eius poeticum, satis apparet ex mul-

tis epistulis in appendice libelli anno 1902 editi publicatis. Non ultima vero, ut aiunt, laus est, viro vere magno placuisse.

Haec quidem pauca de poeta nostra eiusque operibus. Sequuntur nunc aliquot eorum specimina et primum quidem duo de patriis rebus carmina, quorum altero Bismarckio valedicitur civilibus negotiis renuntianti, altero laudes praedicantur classis germanicae.

Hymnus in honorem Principis de Bismarck

Lugent pagi Germanorum,
Tribus maerent Borussorum,
Tristis luget patria:
Qui imperium fundavit,
Mire exaedificavit,
Non iam obit munera!

Satis quis possit laudare,
Verbis digne enarrare
Bismarckiana merita?
Splendide lucente face
Et in bello et in pace
Summa cepit praemia.

Sicut quercus exornata
Vivis ramis, coronata
Frondebis et foliis,
Floret princeps in virtute
Juvenis, in senectute
Roboris in copiis.

Orbis stabat in stupore,
Captus animi vigore
Senis invincibilis,
Laudibus redundat mundus,
Mutus ipse fit facundus
In conspectu principis.

Lucido ab ortu solis
Ad occasum fama prolis
Persublimis resonat,
Afer in desertis vastis
Tecum ferox in vastis
Terris Scythes iubilat.

Usque, tum praeveniando,
Tum cunctando, tum audendo,
Fudit turmas hostium,
Sed in gloriae ornatu,
In triumphi apparatu
Praestitit se modicum.

Opes patriae augere,
Princeps, dedecus arcere
Judicasti gaudium,
Custos publicae salutis,
Cultor patriae virtutis,
Munivisti solium.

Navem quis nunc gubernabit?
Remiges quis conservabit
Tuta in custodia?
Heu, qui maris fluctus fregit,
Dulce onus non iam tegit
Procul a re publica!

Vale, princeps honorate,
Lauris summis decorate,
Vale, decus patriae,
In aeternum tu vigebis,
Germanorum permanebis
Amor et deliciae.

Silva, nemus, ager, pratum
Praestent tibi otium gratum,
Melle tibi dulcius,
Monumentum, quod fundasti,
Quod virtutibus ornasti,
Aere sit perennius!

Hymnus de classe Germanica

Guilhelmo rege duce
Fulget mox in nova luce
Classis nostrae gloria.
Sicut avus formationes
Novas finxit, ut legiones
Decoret victoria.

Ita nepos plenus curae,
Memor sortis profuturae
Gentium Germaniae,
Naves construit rostratas
Novas, optime armatas,
In tutelam patriae.

Sub vexillis Salvatoris
Dei, sub imperatoris
Signo ornatissimo,
Altae exstant officinae,
Lucent nauticae carinae
Decore in splendido.

Gaudet nobilis mercator,
Maris fluctuum arator,
Jubilant coloniae,
Ruribus in Africanis
Vastis et in campis planis
Consulantur incolae.

Quod in fabricis paravit
Faber, textor quod ornavit
Summa cum industria,
Classis firma sub tutela
Ferunt mercatoris vela
Turbida per maria.

Laudant gentes texta rara,
Arma vasaque praeclara,
Facta in Germania,
Superabunt Britannorum
Merces et Parisiorum
Vestimenta nitida.

Sperat fida urbs Bremensis,
Alta arx Hammoniensis,
Fore ut praesidio
Classis semper progressurum
Sit commercium in futurum
Tempus, ruri commodo.

Tum Germania florebit
Atque ordinem tenebit
Gentium in serie,
Meruit quem probitate
Culturaeque honestate
Pacis in certamine.

Ubi orbem per terrarum
Urbium Germanicarum
Inveniuntur filii:
Gaudent valde copiarum
Rerumque maritimarum
Apparatu nobili.

Oras nostras custodimus,
Portus patriae munimus
Et tuemur litora,
Hostis quisque aggressurus
Patriam est inventurus
Tuta in custodia.

Jo! clamat sociorum
Acrius vox maritimorum,
Jo! clamant milites,
Velis iam in altum datis,
Telis bene praeparatis,
Nos inflammat vis et spes.

Prodeant pleni vapores,
Capiamus ut honores
Exornatos fructibus,
Ecce, lucida vexilla
Praemii praebent sigilla
Nautis nobis fortibus.

Ergo iam, tribuni plebis
Atque consultores legis
Regni in consiliis,
Classi nostrae faveatis
Atque sumptus impendatis
Rebus his in prosperis.

Convocati in salutem
Patriae vestram virtutem
Ostendatis validam,
Videamus ut paratam,
Lauris novis decoratam,
Classem mox Germanicam.

Salve, summe imperator,
Classis nostrae restaurator,
Tutorque Germaniae,
Patria, te curatore,
Stet pulcherrimo in flore,
Culmine in gloriae!

Ex sacris vel ecclesiasticis Thiköt- | am et in Sanctum Franciscum hym-
teri carminibus pulcherrimos in Mari- | nos elegimus.

Hymnus de beata virgine

Virginem quis non laudaret?
Quis Mariam non amaret,
Genetricem Domini?
Deus quam praedestinavit,
Spiritus quam obumbravit,
Nobis fons est gaudii.

Audi matrem iubilantem,
Dominum magnificantem,
Hymno in mirabili.
Vide feminam beatam,
Virgam floribus ornatam,
Fidam servam filii.

Quando mulier aequalem
Prolem peperit regalem
Stirpe ex Davidica?
Quem concepit, educavit,
Redemptorem invocavit
Plena verecundia.

Evangelium audivit,
Regnum gloriae petivit
Regia fiducia,
Acerbissima in cruce
Splenduit in clara luce
Cordis patientia.

Virgo casta et beata,
Caritatis decorata
Sempiternis fructibus,
Canticis te salutamus,
Hymnis piis honoramus,
Psalmis te nobilibus.

Filium quem peperisti,
Lacte matris nutritivisti,
Christum, regem caelitum,
Tecum fide amplexuri
Sumus et adoraturi
Salvatorem regium.

Tecum caute ambulemus,
Mundum tecum superemus
Saeculi pericula,
Trahat nos in sacrum templum
Tuum lucidum exemplum,
Fana in sanctissima.

Ave, mater benedicta,
Crucis onere afflicta,
Digna crucis gloria.
Tibi graviter tentatae,
Dei manu coronatae
Sonat sacra cithara.

Hymnus de Sancto Francisco

Non in mentis officina
Gloriosa emicas,
Neque splendida doctrina
Caros fratres superas;
Novam non instituisti
Scholam theologicam,
Non subtilem laudavisti
Artem dialecticam.

Sed quis cordis pietate
Tibi in ecclesia
Similis, quis caritate
Atque innocentia?
Vitam humilem secutus
Salvatoris regii
Stabas luctibus solutus
In tutela Domini.

Ecce precibus redundant
Pia tua labia,
Aeque laudibus abundant
Gratiae plenissima,
Stricta regula, quam dedit
Dominus discipulis,
Totam tuam vitam regit,
Clara lux in tenebris.

Laeto corde praedicasti
Sanctum evangelium
Et virtutibus ornasti
Redemptoris atrium,
Mutae quoque creaturae
Obtulisti gratiam,
Claritatis nam futurae
Tenes spem firmissimam.

Sancto spiritu rectore
 Superasti saeculum,
 Paracletoque tutore
 Imminens periculum,
 Memor semper vocationis
 Regni immutabilis
 Omnis gravis tentationis
 Victor splendes nobilis.

Laudent alii doctores
 Claros in ecclesia,
 Aut subtiles praeceptores
 Aula in scholastica,
 Ego sum praedicaturus
 Te Franciscum humilem
 Et ex corde amaturus
 Dei servum pauperem.

Qui probavit pietate
 Vires evangelii,
 Qui defendit caritate
 Veritatem Domini,
 Floret viridis ut vitis
 Semper in ecclesia,
 Manet saeculis finitis
 Dei in custodia.

Prodeant tua vexilla
 Fratribus minoribus,
 Teneant tua sigilla
 Integris in manibus,
 Ut sequantur caritatem
 Conditoris ordinis
 Serventque simplicitatem
 Ducis venerabilis.

Sed, ut supra dictum est, festi-
 vitate quoque et iocositate seria poeta
 noster mutare atque variare amabat
 neque in ullam tamen petulantiam
 procedebat. Nam ut olim, cum in a-
 cademia Bonnensi theologiae daret
 operam, studiosorum more laute, quan-
 tum poterat, ac iucunde vivebat, ita de-
 coris et honestatis nunquam obliviscens
 harum virtutum luculentum semper so-
 dalibus praebebat exemplum. Rheni-

gratam usque ad ultimum diem memori-
 am servavit illaque ut sibi redderetur
 regio pulcherrima, senex adhuc versi-
 bus ardentissime desiderabat. Quod ei
 fortuna negavit, nam quinquaginta fere
 annos Bremae moratus hic quoque
 acquievit. Carmen, quod sequitur,
 naturam moresque huius viri, qui, ut
 quodam Scheffelii verbo utar, totam
 per vitam studiosus manserat, optime
 illustrabit.

Asperula Odorata

Inter veris grata dona,
 Fructuosa, laeta, bona,
 Primo stat in ordine
 Certe herba odorata,
 Quae „Asperula“ vocata
 Florum est in serie.

Forma quidem non famosa,
 Species non generosa,
 Decolor Asperula;
 Quaeris: unde ortum nomen?
 Quid vult sibi mirum omen?
 Audi herbae merita!

Maior duce Nymphae choros
 Amant nobiles, decoros,
 Una cum Dryadibus,
 Silva, nemus, campus, pratium
 Praebent nitidum ornatum,
 Folia cum floribus.

Tamen sine Baccho friget
 Venus, valde pulchras piget
 Miserae penuriae,
 Bacchus vero generosus
 Semper et ingenuosus
 Labia complet amphorae.

Miscet vini claros fluctus
 Herbis, desinat ut luctus
 Asperae inopiae:
 Ecce Nymphae iam saltantes
 Siccant fundum iubilantes
 Amphorae nectareae.

Inde herba odorata
 Et „Asperula“ vocata,
 Tollens sitim „asperam“.
 Salve ergo, flos tu florum,
 Fons salubris gaudiorum,
 Semper serves gloriam.

Pulchrae violae et rosae
 Primulaeque generosae
 Cedunt tibi praemium,
 Ornas viridi corona
 Utique uvarum dona,
 Ornas veris solium!

Bacchus olim quod paravit
 Nymphis, bene imitavit
 Studiosus iuvenis,
 Grata si cratera plena
 Vi Asperulae serena
 Cantat in commerciis:

Vivat ver, quod tanta dona
 Laeta, pulchra, sana, bona
 Obtulit sodalibus,
 Vivat mensis Maius gratus,
 Vi „Asperulae“ paratus
 Potus academicus!

Emite igitur et legite, neolatinae | vobis decerpsi, libellos. Vos emisse
 poesis amatores, hos, e quibus pauca | eos nunquam paenitebit.

Goethii carmina duo lepidissima

latine convertit

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis

Nachgefühl

Sacra cum vitis revirescit, urget
 In cado vinum; rosa cum refulget
 Floribus rubris, nequeo videre
 Quid mihi fiat.

Per genas manant lacrimae dolore,
 Quidquid intendo facere aut omitto:
 Nescio quali crucientur usta
 Pectora voto.

Atque postremum misere recordeo
 Colligens mentem reputansque mecum:
 Luce tam pulchra caluisse nobis
 Dorida quondam.

Philine *)

Nolite noctem ceu viduam queri,
 Dulces puellae, flebilibus modis!
 Quin apta nox est et parata,
 Credite mi, socialitati.
 Velut marito dimidium data est
 Serena coniux, pulchrius id quidem,
 Ornata sic est vita nocte,
 Dimidio, puto, pulchriore.
 An vos diei longa iuvat mora
 Sodalitatis gaudia dirimens?
 Ut occupemur curat ille,
 Nil aliud potis est patrare.
 At nocte caeca, cum leve praenitet
 Lumen lucernae nubila mitigans,
 Et cum petunt et dant amores
 Atque iocos socii vicissim;

Celer Cupido cum, petulans puer,
 Cursu volucris qui properare amat,
 Munusculum nactus frequenter
 Lusibus in teneris moratur;
 Quando canorum luscinae melos
 Permucet aures dulce calentium, —
 Quod tristibus captisque tantum
 Maestitias sonat et querelas —:
 Lenissime tum nonne movemini
 Aes audientes, quod mediam vocat
 Noctem daturam mox quietes
 Sollicitudinibus carentes?
 Ergo diei per miseram moram
 Hoc tu memento noscere, cor meum:
 Suas dies fert quisque curas,
 Gaudia nox sua quaeque praebet.

*) Cf.: „Wilhelm Meisters Lehrjahre“, 5. Buch, 10. Kap.

Jocosum Stili Latini Politici Exemplum

Sunt textus, qui prima specie latine scripti videntur, quos tamen, si accuratius inspexeris, e syllabis verbisve alius cuiuslibet linguae videbis constare. Unum huius generis exemplum iam in Cive Romano publicavimus,*) aliud lectoribus hodierno offerimus numero. Scripsit carmen non sine artificio confectum, ut Ludovicus Goldstein narravit in actis publicis Vossianis,**) J. F. D. Thiesen, parochus olim Regimontanus et postea Dubeningkensis, qui ibidem ao. 1830

mortuus est. Sicut multi post primam pacem d. 30 Maii 1814 Parisiis factam procacibus Napoleonem diffamare scriptis studebant, ita ille quoque rusticis, ut ita dicam, et agrestibus versibus imperatorem principatu Europae deiectum cavillatur. Interpretationem inferioris Germaniae sermone conscriptam an ipse addiderit poeta nescio: ego eandem quam Goldstein apposuit eamque amicis nostris dialecti illius peritis voluptati fore non dubito.

En Caesar nae saevies!
quam dabis ut paris;
sine sol date quarte:
tum die vel bona parte,
crepere sol de vos,
dum is hae viae os.

Se lete sic fer fere;
et quam tum ut Mars haere —
caput sol sin de rus!
dat sede se tum grus.
Se stolae datum posse
de perde unde osse.

De Caesar quam, unda
manem bis mos causa;
da mordet hae sic sat
unquam bis inde stat,
Quum sede rus hora!
haud hoede finde da.

Da lege se hi alae
vi inde musae falle,
dat fele da fer recte,
sic en dem heu fers tecte,
fer saepe en dem vah ter,
as ver et emte ater.

De nae se unde ora
habe seda fer lora;
dat det de finde vae.
Vi velve fretre se
da de fer recte perde,
de de canone fer de.

De rus quam bis paris,
Hae haud dem nae saevies,
dat hac an miserere
sol da par tu crepere.
Da sol sic nudat en de
dem rus tum bes te vende!

En Cäsar näsewies
Kam da bis ut Paris.
Siene Soldate quarrte:
„Tum Diewel, Bonaparte,
Krepeere soll de Voß,
Dumm is he wie, e Os!“

Se laete sich verführe.
Et kam tum Utmarscheere —
„Kaput soll sien de Russ!“
Dat säde se tum Gruf.
Se stohle da tum Posse
De Perde un de Osse.

De Caesar kam, un da
Man em bis Moskau sah;
Da mordet he sick satt
Un kam bis in de Stadt.
Kum säd de Russ' „Hurra!“
Haut' he de Fiende da.

Da lege se hie alle
Wie in de Musefalle,
Dat vele da verreckte,
Sick in dem Heu versteckte,
Versäpe en dem Water,
As wär' et' em Theater.

De Näsē unde Ohre
Habe se da verlore —
Dat dhät de Fiende weh.
Wie Wölfe fretre se
Da de verreckte Perde,
De de Kanone fährde.

De Russ' kam bis Paris.
He haut' dem Näsēwies,
Dat he ahn' Miserere
Soll da partout krepere.
Da soll sick nu dat Ende
Dem Russ' tum beste wende!

*) IV, 12 **) L Goldstein, Napoleon und die Volksstimmung vor hundert Jahren, Voss. Ztg., 18. 10. 1913

Responsorium

R. T. Apud Alvarum, qui an aliunde sum-
perit eam nescio, regula a te memorata haec est:
Praeterita assumunt primam dissyllaba longam:
Sto, do, scindo, fero, sisto, bibo, findo reducunt.

C. D. Pretium libri a Jacobelli editi nu-
meroque quarto inter censurae causa missos indi-
cati est 2.40 Mk.

F. W. Memento illius Claudianei:
Quem, precor, inter deos habitura silentia finem?
Quando dabit caras litera grata vices?

U. M. Recte mones Hölty poetae nomen non,
ut in pag. 52 legitur, per th esse scribendum; me
tamen error ille fugerat.

G. Z. Quod discipulis tuis Scriptorem com-
mendavisti iique te suadente commentariis nostris
communiter utuntur legentes, valde probo atque
gaudeo. Non tamen tam rara, ut aiunt, avis es
quam suspicari videris. Nam et alii non sine magno
fructu libellos nostros adhibent ad discendum do-
cendumque, immo crescit in dies numerus eorum,
qui quantae illi sint utilitati, non cognoscunt solum,
sed aperte etiam profitentur. Vale.

J. B. Carmina correctae nonne ad te per-
nerunt? Exspecto plura.

M. A. ich möchte nur wissen, woher er
die Kühnheit nimmt (wie er sich unterstehen
kann), das zu behaupten = cupio videre, qui id
audeat dicere; . . . wurde lebhaft ventilirt =
vehementer agitabatur; daraus geht doch her-
vor, . . . = ex quo intellegitur . . . ; wenn sie
nur ihre Absicht(en) erreichen = dum quod
velint consequantur; ich will nicht (das Odium)
auf mich nehmen, als Ankläger genannt zu
werden = non committam, ut accusator nominer;
Geld kann mich nicht reizen (rühren) = non
moveor pecunia; umsatteln (einen anderen Beruf
ergreifen, den Beruf wechseln) = genus vitae com-
mutare. — Jos. Ponten, Griechische Land-
schaften. Ein Versuch künstlerischen Erdbe-
schreibens. Mit Zeichnungen, Farben und Licht-
bildern von Julia Ponten v. Broich. Stutt-
gart (Berlin), Deutsche Verlagsanstalt, 1914. 2 voll.

C. O. denn ihm (seinem tatkräftigen Eingreifen)
war es zu verdanken, daß die Feinde geschlagen
wurden (war er es doch, durch dessen tatkräftiges
. . .) = nam(que) huius (huius enim) opera hostium
copiae profligatae sunt; ihm ist es mit zu ver-
danken . . . = huius auxilio (hoc adiuvante) . . . ;
er traut ihm nicht recht = parum ei confidit.

H. E. Mira sane est latini sermonis per
Britannorum literas significatio. Evacuatus Phip-
son, amicus noster et impigerimus orthographiae
linguae suae reformandae propugnator, ut demon-
straret, quam non sit idonea illa ad sonos romanos
utrumque tolerabiliter exprimendos, in commenta-
riolo suo 'The Herald' inscripto, notissimum Bern-
nardi a Clara Valle hymnum usitata hac reddidit
transcriptione:

Jay-soo dool-keess may-maw-reeh-ah,
Dahnss way-rah kawrr-dee gow-dee-ah;
Sayd soo-payrr mayl ayt awm-nee-ah
Ay-yoos dool-kees prey-sayn-tee-ah.

Hoc est latine:

Jesu dulcis memoria,
Dans vera cordi gaudia,
Sed super mel et omnia
Eius dulcis praesentia.

Nunc ipse restitue secundae strophae verba ex ob-
scura hac inscriptione:

Neel kah-nee-toopr soo-ah-wee-oos,
Neel dee-kee-toorr yoo-koon-dee-ooss,
Neel kaw-ghee-tah-toorr dool-kee-ooss
Kwahm Yay-sooss, Day-ee Fee-lee-ooss.

Cetera, quamvis pulchrum sit carmen, non addam;
timeo enim, ne taedium tibi aliiuque afferat ista
transcribendi ratio. Dic vero num hymnum tibi
notus sit: ego libenter eum cum conversione aliqua
britannica vel germanica publicabo.

Norimb. Textum vetustate deletum multi
sunt variisque scilicet lectionibus restituere conati.
Neque id mirum. Nam quid illo genere ludi ap-
tius ad philologi animum alliciendum, quid quo
iucundius vires ingenii exercentur? Tamen hoc
quoque exemplum indicio est, quam multis saepe
coniecturis opus sit, ut rectus paucorum verborum
sensus indagetur.

N. R. Respondi tibi in anni IX num. IV;
ibidem nuntios tuos politicos vides translatos. Nonne
illos invenisti? Quos nuper miseras, emendavi
et, cum aliis quoque gratos esse existimarem, supposui.
Berolino nuntiatur principem heredem Germaniae
administrationis belli discendae causa summo con-
silio militari attributum post finita ab ipso Caesare
commissa proelia primae cohorti praetorianae prae-
fectum iri. — Parisiis duo erronei russici com-
prehensi sunt, qui pyrobolos secum tulisse dicuntur
ad Imperatorum Russorum necandum. — Acta di-
urna francogallica gubernio inimica acris in
dies Lyautium insectantur, bello Mauretaniensi prae-
positum. Poscut, ut novae ex indigenis cohortes
efficiantur. — Affertur Durrachio principis
Guilelmi uxorem navi austriaca e portu profectam
esse nunquam in terram bellicis turbis infestam re-
dituram. Creditur ea in Rumaniam se conferre velle. —
Russi rebus inter Serbos et Austriacos agendis sese
non immiscere promittunt. — Afferuntur Londinio
nuntii Britannos medio fere mense Julio periculum
facturos esse in classe bellica quam celerrime ad
proelium paranda. Quingentae circiter naves inter-
erunt probationi. — De regis Albaniae uxore
Roma nuntiatur illam liberos tantum suos in locum
tutum transferre statuisse, ipsam vero a coniugis
latere discedere minime velle. — Custodes publici
Berolinensis, ut compierent, num austriaci prin-
cipis interfectores cum exteris quoque idem sen-
tentium globis consilia iunxissent, apud complures
Serbos literarum studiosos liberos scriptaque quae-
siverunt. — Johannistal: Linnekogel, inter aerinautas
facile princeps, altitudine volandi superavit Lega-
gneux, Francogallum infelici casu paucis ante die-
bus mortuum. Hic 6100 fere metra assecutus erat,
ille monoplano suo Rumpleram ad 6600 metro-
rum pervenit altitudinem.

Catalogi antiquarii:

G. Fock, Leipzig — Cat. 445: Klass. Phil. II,
3964 — 8123 (Griech. u. lat. Sprachwissensch.
3964 — 4497).

G. Fock, Leipzig — Cat. 449: Bill. Werke
aus all. Wiss., pgg. 23 (Klass. Phil. 5 — 9).

Rhein. Buch- u. Kunstantiquariat —
Cat. 66: Klass. Phil. u. Altertumsk., 1 — 2595
(Script. lat. 970 — 1890, Neulat. 1891 — 2017a).

Mayer & Müller, Berlin — Cat. 284: Klass. Phil. II, pgg. 79 (Lat. Aut. 1—51, Neulat. 51—59).

Mayer & Müller, Berlin — Cat. 286: Klass. Phil. III, pgg. 55 (Kunstarchäol.: Rom 33—44).

Süddeutsches Antiquar., München — Cat. 163: Klass. Phil. u. Altertumsk. 1—2159 (Griech. u. lat. Schriftst. f—1218).

J. J. Lentner, München — Cat. 17: Rara et Curiosa II, 869—1287 (Illustr. Bücher des 15. und 16. Jahrh., Lat. Klass., Neulat. etc.) Pr. 1 M (c. 101 imagg. 5 M).

List u. Franke, Leipzig — Verz. mehr. Büchersamml., 1—3677 (Klass. Phil. 1—504).

List u. Franke, Leipzig — Cat. 446: Bibl. Phil. Class. et Archaeol., 1—3405 (Mittellat., Neulat. 372—758).

Libri nostra aetate latine prodeun'es:

(Libri sine temporis indicatione ao. 1913 prodierunt. Numeri post titulum cancellis inclusi ad ampliorem illius indicationem revocant lectores, post pretium, quanti religatus constet liber, denotant.)

57. Bibliotheca iuridica medii aevi. Ed. Aug. Gaudentius. Scripta anecdota glossatorum. Ed. II emend. cur. I. B. Palmerio. Bononiae, Beltrami di Capelli. Vol. I: Ugonis summula de pugna. Wernerii formularium tabellionum. Rogerii summa codicis. Quaestiones dominorum bononiensium (Collectio parisiensis). VI, 266. 60 M.

58. — — — Vol. I: Additiones. Wernerii summa institutionum cum glossis Martini, Bulgari, Alberici aliorumve. Quaestiones dominorum bononiensium (Collectio Gratianopolitana). Abbrevisatio codicis. III, 287. '14. 60 M.
59. Ordo divini officii recitandi missaeque celebrandae iuxta kalendar. ecclesiae universalis nuperrime reformatum et ad tramitem novar. rubricarum pro a. 1915 Paschate recurrente die 4. 4. Romae, Pustet, '14. 127. 0.60 M.
60. Ordo divini officii recitandi missaeque celebrandae iuxta nov. kalendar. pro clero almae urbis a.S.R.C. adprobatum die 10. 12. 1913 et ad tramitem novar. rubricarum pro a. 1915 Paschate recurrente die 4. 4. Romae. Pustet, '14. 134. 0.60 M.
61. Rossum, G. M. von, De essentia sacramenti ordinis. Disquis. historico-theologica. Herder, 200. 2(2.60)M.
62. Egger, F., Enchiridion theologiae dogmaticae generalis. Ed. V. Brixinae, Weger. VI, 732. 8 M.

Corrigenda:

- Pag. 67 infra pro quae lege: qui,
 .. 75¹ lin. 10 pro canis lege: ignis,
 .. 77² .. 47 pro moni lege: omni.

Plura De Scriptore Latino Judicia:

BRESLAUER HOCHSCHUL-RUNDSCHAU: . . . Der Scriptor Latinus zeigt uns die fast unbegrenzten Möglichkeiten des Ausdrucks, deren die lateinische Sprache fähig ist, ohne dem inneren Wesen der Sprache Gewalt anzutun. Letzteres können eben nur die behaupten, die nicht in der Sprache selbst leben, sondern deren Kenntnisse sich aus Kompendien und Schulgrammatiken herleiten. . . . Der Scriptor Latinus zählt ganz hervorragende Stilisten zu seinen Mitarbeitern, die sich in jahrzehntelanger eingehender Beschäftigung mit der lateinischen Literatur eine souveräne Herrschaft über die Sprache erworben haben. Neben einer Reihe deutscher Gelehrter sind es besonders Niederländer, Italiener und Ungarn, die es bisweilen zu einer ganz erstaunlichen Meisterschaft des Stiles gebracht haben, die sich nicht nur in den elegantesten Darlegungen über Tagesfragen, Literatur, Kunst, Technik zeigt, sondern auch im poetischen Gewande selbst dem Gegner Bewunderung abzwingt. . . . Der Scriptor Latinus will ein Organ der spezifisch humanistischen Studien sein; er verdient daher die Beachtung aller Freunde humanistischer Bildung.

MONATSBLATT DES GOSLARER C.-V.: . . . Diese Monatsschrift, welche das Lateinische neuzeitlichem Bedürfnis anpassen will, sei allen Freunden dieser klassischen Sprache bestens empfohlen. . . . Nach Einsicht in die vorliegende Nummer . . . glauben wir sagen zu können, daß wirklich die totgeglaubte Sprache der Römer hier weiterlebt und noch manche Blüten am alten Stamme erzeugen wird.

AUSITANIA: . . . Esta insigne Revista cuenta con gran número de lectores y amigos en todo el Orbe de la Tierra (menos en España por vergüenza nuestra), principalmente entre catedráticos, eclesiásticos, juriconsultos, profesores, discípulos. Escriben en ella sobre asuntos de todo género . . . hombres de todas las naciones; entre éstos, celeberrimos latinistas . . . Muchos editores de varias efemérides han tributado a dicha Revista los más grandes elogios y alabanza por la pureza y elegancia de su lenguaje. . . .

DEUTSCHES PHILOLOGEN-BLATT: . . . Freunde der lateinischen Sprache — und deren gibt es außerhalb der zünftigen Kreise noch mehr als mancher denkt und manchem lieb ist — werden es mit Vergnügen lesen und vielleicht auch Mitarbeiter werden. . . . Viel gelungene Übertragungen deutscher Gedichte, Abhandlungen, Reden, Erzählungen, Denkprüche, Rätsel, sogar Zeitungsnachrichten im lateinischen Gewande bringen die Hefte in bunter Abwechslung. Auch Primaner, meine ich, darf man unbedenklich für die Sache interessieren. . . . Das Unternehmen ist wirklich keine bloße Spielerei.

Nomina et domicilia eorum, qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

- | | |
|--|---|
| Dr. E. Arens, Praec. Gymn., Aachen | W. Lehmann, Rei Vehic. Praep. em.,
Breslau |
| A. Behrsing, Praec. Gymn., Reval | Dr. L. Laurand, Canterbury |
| H. Bigot, Prof. Institut. Carthag., Tunis | Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn., Stuttgart |
| Dr. H. Brand, Prof. Gymn., Hagen | A. Nardis, Prorect. Sem., Aquila |
| Dr. W. Bubbe, Halle | F. Palata, Prof. Gymn., Prossnitz |
| T. Chave, B. A., Chicago | J. Pistner, Rect. Gymn. em., Tölz |
| Dr. P. H. Damsté, Prof. Univ., Utrecht | Dr. G. Pitacco, Prof. Gymn., Görz |
| Z. Dembitzer, Prof. Gymn., Stanislaw | L. L. Podobinski, Prof. Gymn., Neu-
Sandec |
| Dr. E. Dieckhöfer, Praec. Gymn., Aachen | J. Ramorino, Prof. Univ., Firenze |
| J. Dole, Rect. Schol. Lat. em., Kaisersesch | P. Recanatesi, Prof., Osimo |
| Dr. J. Dr. heim, Prof. Gymn., Friedenau | J. Roberti, Rect. Gymn., Cesena |
| Dr. Th. Elsaesser, Maredsous | Dr. W. H. D. Rouse, Prof. Univ.,
Cambridge |
| L. Fischer, Dr. med., Heidelberg | W. Rösch, Prof. Gymn. em., Heilbronn |
| J. Fonts, Presbyter, Vich | Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., Giessen |
| Dr. H. Geist, Prof. Gymn. em., Darmstadt | Dr. P. Schmid, a cons. stud., Dresden |
| F. Gustafsson, Prof. Univ., Helsingfors | R. Schmidtmayer, Prof. Gymn., Budweis |
| Dr. W. Günther, Praec. Gymn., Jena | H. Schöttle, Prof. Gymn., Stuttgart |
| H. Hansen, Parochus, Pellworm | J. Steinbauer, Rect. Progymn., Winds-
bach |
| J. J. Hartman, Prof. Univ., Leiden | Dr. St. Székely, Prof. Gymn., Budapest |
| Dr. E. Heikel, Helsingfors | J. Tasset, Tonnerre |
| V. Hertel, Parochus, Friedelshausen | Dr. H. Weller, Ellwangen |
| Dr. J. M. Hoogvliet, Doc. priv., Haag | Dr. H. Werner, Praec. Gymn., Düren |
| E. Hora, Prof. Gymn., Wien | P. Worms, Prof. Gymn., Meldorf |
| C. Hultgren, Prof. Gymn. em., Leipzig-
Schleussig | |
| J. E. Kenny, Prof. Gymn., St. Paul | |
| Dr. K. Kunst, Prof. Gymn., Wien | |

SCRIPTOR LATINUS

quinta quaque prodit hebdomade mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Hungaria, Luciburgo 4 M (4.80 Cor.), in ceteris terris 4.25 M; singuli constant numeri 0.40 M.

Epistulae, manuscripta, libri et libelli, de quibus censurae fiant, aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur ad Voldemarum Lommatzsch, Bremiportu (Bremerhaven), pecuniae vero epistulaeque negotiorum causa missa edirigendae erunt ad operis redemptorem, Bibliopolam Lüstenöder, Francofurti a. M., Baustrasse 10.

SCRIPTOR LATINUS

Commentarii Ad Linguae Latinae Humanitatisque
Studium Colendum Editi

Prodeunt decies in anno pretio 4 M^{rum}.

Annus X: Numerus VII

— Procurant negotia —

in America: G. E. Stechert & Co., New-York, New-York, 129—133 West, 20th Street;
in Britannia: D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C.,
57—59 Long Acre;
in Italia: Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via
Tornabuoni;
in Nederiandia: N.V. Boekhandel, voorh. Gebr. Belinfante, Den Haag, Kneuterdijk 3;
in Russia: K. L. Ricker, St. Petersburg, 14 Newsky Prospekt.

Summarium:

Thikötter, Salve Sancta nox
Beata!

Facciolatus, Latina lingua non
ex grammaticorum libris com-
paranda (II)

Fischer, De hymno quodam
iocoso ab Henrico Zoepfl com-
posito

Varia (Fischer, Epistula ex
balneis missa; Arens, Anus
et onus; Pii Pp. X ad catho-
licos hostatio etc.)

Lehmann, Uhlandi de rege
caeco carmen

Lehmann, Moorii de camponis
vespertinis carmen

Lommatius, Res minutulae —
Textus latine redditi — Ex epis-
tulario redactoris — Libri latine
prodeutes — De Scriptore
iudicia — Sententiae latine
reddendae — Sententiae —
Acuigmata

Redactor: Voldemarus Lommatzsch, Bremiportensis
Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum

Scriptor Latinus

Commentarii Ad Linguae Latinae
Humanitatisque Studium Colendum Editi

Ann. X Francofurti a. M., Mense Decembri MCMXIV Num. VII

SALVE SANCTA NOX BEATA!

Carmen

Dr̄is Thikötter, parochi quondam Bremensis

Salve sancta nox beata,
Nox natalis Domini,
Benedicta et sacrata,
Testis evangelii,
Hymni laeti angelorum,
In excelsis gloriam
Deo, cordibus pastorum
Summam dant laetitiam.

Clara lux ex oriente
Tollit omnes tenebras,
Deo ipso producente
Lucet summa claritas,
Quod prophetis praedicavit,
Quondam sanctus spiritus,
Patribus quod revelavit,
Praebet unigenitus.

Porta caeli est aperta
Maestis viatoribus,
Patet vasta post deserta
Paradisi aditus,
Summa caritas inclusa
Divo in infantulo
Est salutem prolatura
Vili ex praesepio.

Salve Christe, rex honorum,
Tuum immutabile,
Regnum altum peccatorum
Fit heredium nobile,
Culpa non abhinc terrebit
Perditorum animam,
Sceptrum tuum qui tenebit,
Capiet clementiam.

Pater ipse te sacravit
Redemptorem gentium,
Te elegit, te ornavit
Nostrum in solacium;
Qui in te est crediturus,
Patris stat in gratia,
Salvus erit et securus
In tutelae copia.

Christe, domine sincere,
Mitis atque humilis,
Fac nos honorare vere
Te cum sanctis angelis,
Venerari, adorare
Te dilectum filium,
Te laudare, te amare,
Munus sit gratissimum.

Currite ad contiones,
 Aedes ad fidelium,
 Inde consolationes
 Sumite et gaudium,
 Cereos iam incendamus
 Altis in abietibus
 Et cum parvulis canamus
 Christi sub arboribus.

Quaeque domus fiat templum,
 Ara quaeque anima,
 Lucidumque ornamentum
 Sit piorum gratia,
 Donum gratum et aeternum
 Domini de tabula
 Capiamus: hodiernum
 Diem signent saecula!

Salve sancta nox beata,
 Nox natalis Domini,
 Benedicta et sacrata,
 Testis evangelii,
 Psalmis, Christe, te cantamus,
 Tympanis cantantibus,
 Cymbalis te praedicamus,
 Qui venisti coelitus.

Latina Lingua Non Est Ex Grammaticorum Libris Comparanda

(Jac. Facciolati orationes et alia ad docendi artem pertinentia. Lipsiae MDCCLL.)

(Pergitur et absolvitur)

Alii verbis in or praeterita tribuunt, alii adimunt. Quibusdam placent verba neutra ac deponentia, quidam toto Latio exulare iubent. Denique in tanta scriptorum multitudine neminem unum invenias, qui malit aliorum vestigiis insistere, quam nova comminisci ceterosque omnes allatrare. Nolo vos, auditores, per singulas partes ducere omnesque de orthographia, de prosodia, de etymologia, de syntaxi controversias hoc loco explicare, ne gravissimo officio, ne tempore, ne patientia vestra nimium abuti videar. Percurrite, si vacat, quae solent homines libellorum suorum initio longissime praefari, ubi ceteris, qui ante se de re grammatica scripsere, diem dicunt, eorum lucubrationes mendosas, nugaces, sordidas, cloacinas — sit verbo Scioppiano venia — audacissime appellant seque ex deorum immortalium sede quasi delapsos allaturos optima pollicentur. Cumque singuli et universi eadem recinant, quo se vertant miseri adolescentes? Cui se tamquam duci tradant germana latinitate instituendos? Numquid Varroni? At literarum porcus dicitur a Palaemone. Num Prisciano? At graecum hominem latinae linguae fucum fecisse existimat Alvarus. Num Vallae? At eius Elegantias Ramirezius de Prado inelegantes appellat. Num Donato, num Probo, num Servio, num Charisio? At hos omnes passim

labi et monstra effutire contendit Scioppius. Num denique Scioppio ipsi? At miserabilis literator dicitur ab Hornio, vir desultoriae levitatis a Labbeo, canis grammaticus a Lambecio. Indignamini ad haec, auditores, sed artis, mihi credite, seu vitio, seu fato quodam fieri solet, ut nec sua quisquam afferre possit, nisi carpat aliena, nec aliena carpere, nisi modum excedat. Quam indecorae, quam pudendae, quam probe insanae fuere contentiones illae Poggii cum Valla, Politiani cum Merula, Scaligeri cum Erasmo de rebus his minutissimis, quasi de aris ac focus? Quam illa ridicula Francisci Philelphi cum Timotheo quodam Graeco, qui de vi syllabae pugnaturi ea lege in aciem ex composito descenderent, ut victus barba mulctaretur! O magnas nugas magno conatu actas! O vos miseros, quicumque ab his tamquam ex tripode de latinae linguae ratione responsa petitis! Quos aestus, quas tenebras vobis offundent grammaticae illae philosophicae, Minervae, Aristarchi, Mercurii thesauri, in quibus ad criticam eruditionem multa quidem sunt acute ac subtiliter excogitata, ad locutionis vero latinae usum propemodum nihil! Est illustre quiddam latinus sermo, ingenuum, perspicuum, tricus et ambagibus carens, quod nemo umquam ex his hominibus pugnacissimis consecutus est, nec vero intelligo, scriptis suis quo pacto fidem concient,

quibus ipsi, quae praecipunt, praestare non possunt. Polycletum accepimus statuarum artificem totius Graeciae peritissimum non ante celebrem illum recte fingendi canona in lucem edidisse, quam publica proposita statua, velut artis exemplo, suas ipse regulas egregie praestando confirmasset. Ita se mihi grammatici probent: tum vero fatebor non invitus latine loquendi facultatem eorum praeceptionibus tamquam canone probandam esse. Sed profecto, quod Carneades apud Ciceronem aiebat, oratoriae artis scriptorem ne mediocriter quidem disertum fuisse ullum, idem de grammaticis affirmare licet, neminem adhuc artem, quam traderet, latine loquendi ne mediocriter quidem calluisse. Non est huius temporis aut loci, multo vero minus mearum virium, singulorum vitia commemorare, verumtamen, ne quid gratis ad invidiam afferre videar, prodeant in medium hinc Terentius Varro, veterum grammaticorum, hinc Julius Scaliger, nostrorum sine controversia princeps, quorum alter aurea aetate deorum beneficio natus, Ciceronis aequalis et amicus, ita tamen scripsit, ut cum Livio Andronico romanae linguae incunabulis exceptus videatur, alter vero Josepho filio communi omnium consensu primas cedit, illi inquam Josepho, cuius peregrinationes, barbarismos, soloecismos nec unos nec leves Scioppius collegit et in suo de stilo historico libro posteritati mandavit. Tametsi latinae linguae laudem, ut ante dixi, neque totam neque praecipuam in soloecismis vitandis collocari puto, quod est emendate loqui, sed in ipsa potius plena ac tereti compositione verborum, in colore et habitu quodam, ut nihil claudicet, nihil diffluet, nihil fluctuet, sed tota permista et temperata numeris, aequabiliter constanterque feratur oratio, quod unum est, si recte sentis, latine loqui. Numerosa haec et concinna verborum comprehensio nulla definiri arte potest, nullis grammaticorum praeceptis concludi, cuius vel maximum vitium est, si de industria quaesita ad certas leges operose exigatur. In auribus est singulorum tota et ad aurium sensum iudicanda, quod fortasse olim praestare non fuit valde difficile audientibus ac loquentibus nihil nisi latine, at vero his temporibus, nisi quis se totum veteribus scriptis dedat et in eorum lectione et imitatione dies noctesque versetur, nec tolerabile quippiam latine conabitur nec nisi insipienter iudicabit. Hinc fatuae passim orationes, in quibus tam est

perspicuus grammaticus labor, ut omnia macra sint, meticulosa, hiulca, sine numero, sine veneribus, sine gratiis; quae tamen auditori misero laudandae sunt, quod nequeat barbarismos et soloecismos ex grammaticorum regulis designare. O te dementem, M. Tulli, qui cum Varronis de re grammatica libros haberes, linguae tamen nitorem ex perpetua Catonis, Plauti atque in primis Terentii lectione hauriendum tibi existimabas! Te levem, Demosthenes, qui Thucydidis historias cum saepe legisses, octies insuper descripsisti! Tantumne tibi a foro et a curia supererat otii, ut non te potius grammatico homini traderes, unde atticam illam sermonis elegantiam ocuis arriperes? Itane igitur, auditores? Ne vivam, si quis ex nostris, qui se Tullianus profitentur, unam Tulli orationem aut semel in vita descripsit aut octies lectitavit! Vel igitur Cicero, in quo esset latini sermonis ratio, Demosthenes, in quo graeci, non satis intelligebant, vel nos in grammatico ludo aliud agentes quam oporteat frustra laboramus. Valeant Prisciani, valeant Servii, valeant Donati, vel eos consulamus eatenus, ut ab aliquo Pomponio Marcello de soloecismo postulati respondere possimus.

Ergo, ut extremum aliquid habeat oratio mea, quo tota huius generis ratio concludatur, traditus mihi ad institutionem adolescens norit linguam esse quamdam, quae latina dicatur, italicae parentem, eique magna parte similem. Huius sciat esse nomina, esse verba; nominumque ac verborum ordines certis obstringi legibus, quae sint memoriter ante omnia discendae, summa constructionis capita altissime infigat animo calleatque probe velut ungues digitosque suos. In prosodia versetur aliquanto magis, quod ratio condendi carminis certior est magisque definita quam solutae orationis. Ad extremum paucis ex etymologia et orthographia delibatis grammaticos longissime ableget sibi que valde persuadeat non latinum sermonem ex grammatica, sed grammaticam ex latino sermone natam esse.

Quid ita? Nimirum ut aquas ex ipso fonte hauriat, hoc est latinos scriptores legendi scribendique exercitatione numquam intermissa in succum et sanguinem suum convertat, inde ille existit orationis ambitus ac nitida circumscriptio, quae supra grammaticorum vires posita auribus longa disciplina exercitatus iudicari potest, verbis explicari

non potest. Id unum in hac palaestra arduum est ac difficile, quod et liberale ingenium postulat et morum conformationem quamdam ingenio similem et illam extremo loco diligentiam, quae sola in hac arte minimum valet, ceteris tamen adiuncta naturae praesidiis Tullianum illud dicendi genus efficere potest, quod tantopere commendatur. Hoc scilicet ab hominibus non tam miti sidere natis aut excultis frustra requirimus, qui, ut carmina edant saepe optima, orationem tamen, cuius non est nisi aurium sensu definitus modus ac numerus, ostendent fortasse nullam, quae latina dici possit.

Vos igitur, adolescentes, quibus in Italia natis atque altis illud insuper accedit, quod in Italiae parte nobilissima et ad animi cultum opportunissima erudimini, pergite strenue in hoc curriculo, ut maiorum vestrorum laudem retineatis. De bellica Italorum

virtute nihil sane ausim pronuntiare, sed literas quidem certe non amisimus. Commigrant ad nos quotidie callidi homines pecunia instructissimi et praeclearam illam Musarum suppellectilem, optima volumina, nobis abripiunt, artes etiam ac disciplinas paullatim abducturi alio, nisi studio ac diligentia resistitis. Vestrum est communis patriae famam ac splendorem ex tanto periculo eripere, vestrum luctuosam calamitatem ab hoc solo, a nobis, a vobis ipsis prohibere, ut omnes intelligant romanum imperium Italis auferri potuisse, romanas litteras non posse. In vos coniecere oculos, vos hortantur atque impellunt parentes pro familiae honestate, cives pro reipublicae gloria, magistri pro scholae fama, sed in primis Antistes Eminentissimus pro religionis caussa, quae cum literarum caussa coniunctissima est.

Textus Latine Reddendi Exempla

Francogallice et latine

Le parleur prétentieux

Que dites-vous? comment? Je n'y suis pas; vous plairait-il de recommencer? J'y suis encore moins; je devine enfin: vous voulez, Acis, me dire qu'il fait froid; que ne disiez-vous: Il fait froid? Vous voulez m'apprendre qu'il pleut ou qu'il neige; dites: Il pleut, il neige. Vous me trouvez bon visage et vous désirez m'en féliciter; dites: Je vous trouve bon visage. — Mais, répondez-vous, cela est bien uni et bien claire; et d'ailleurs qui ne pourrait pas en dire autant? — Qu'importe, Acis? est-ce un si grand mal d'être entendu quand on parle, et de parler comme tout le monde? Une chose vous manque, Acis, à vous et à vos semblables, les diseurs de phèbus; vous ne vous en défiez point, et je vais vous jeter dans l'étonnement. Une chose vous manque, c'est l'esprit; ce n'est pas tout, il y a en vous une chose de trop, qui est l'opinion d'en avoir plus que les autres; voilà la source de votre pompeux galimatias, de vos phrases embrouillées et de vos grands mots qui ne signifient rien. Vous abordez cet homme, ou vous entrez dans cette chambre; je vous tire par votre habit et je vous dis à l'oreille: Ne songez pas à avoir de l'esprit, n'en ayez point, c'est votre rôle; ayez, si vous pouvez, un langage simple, et tel que l'ont ceux en qui vous ne trouvez aucun esprit; peut-être alors croira-t-on que vous en avez.

La Bruyère

Loquendi affectans elegantiam

Quid dicis? qui, cedo? Rem non assequor; libeatne iterare? Minus etiam assequor; coniectura tandem intelligo: frigus esse, Acis, vis mihi dicere; quidni diceres: frigus est? Vis pluere aut ningere me monere; dic: pluit, ningit. Vultus meus tibi videtur laetus, qua de re vis mihi gratulari; dic: laetus tuus mihi videtur vultus. — Sat planum est id, inquis, nimis et perspicuum; quis porro talia non possit dicere? — Quid refert, Acis? num intelligi, quum loqueris, et sicut omnes loqui, adeo miserum est? Deest aliquid, Acis, tibi tuique similibus, inaniter grandiloquis; id non cavetis, et vos in admirationem iniuciam. Id vobis, inquam, deest; imo etiam in vobis redundat aliquid, illius scilicet plus, quam ceteri habent, opinio habendi; ecce magnificarum vestrarum fons ambagum, impeditarum sententiarum, grandiumque verborum nihil significantium. Hunc adis, aut in hoc conclave ingrediere; veste tua te retineo, dicoque tibi ad aurem: omitte salis habendi cogitationem, ne habeas, tuas ecce partes; planus sit tibi, si poteris, sermo, utque eorum est, in quibus saleem nullum esse putas; tum in te forsitan inesse opinabuntur.

J. Fasset

— — — Ich hatte hier die Feder schon abgesetzt, als ich mich besann, dass ich zum Überflusse Ihnen auch Autoritäten entgegensetzen müsse. Bei einem Manne, wie Sie, pflegen diese immer am besten anzuschlagen. Hier haben Sie einige, die mir nachzusehen die wenigste Mühe gekostet haben. Lambinus schreibt *laeves*. Mancinellus erklärt dieses Wort durch *splendentes*, Landinus durch *politae* und setzt mit ausdrücklichen Worten hinzu: *leve cum prima syllaba correpta sine pondere significat: sin autem prima syllaba producta profertur significat politum*. Beruht dieser Unterschied nun noch bloß auf meinem Befehle? Hermannus Figulus umschreibt die streitige Stelle also: *qui horrendo militum concurrentium fremitu et formidabili armorum strepitu ac fulgore delectatur*. Lassen Sie uns noch sehen, wie es Dacier übersetzt; er, der so oft Ihr Schild und Schutz sein muss; *qui n'aimez à voir que l'éclat de casques*. In der Anmerkung leitet er *levis* von *λεως* her und erklärt es durch *polies* und *luisantes*. Habe ich nun noch nicht recht? O zischt den Starrkopf aus!

G. E. Lessing

Jam hic pennam ducere desieram, cum mihi in mentem venit tibi insuper auctoritates summorum virorum opponendas esse. Quibus Langii maxime semper commoveri solent. En habes nonnullas, quas ut indagarem minimam consumpsi operam. Nam Lambinus scribit *laeves*, Mancinellus quidem interpretatur hanc vocem voce *splendentes*, Landinus voce *politae* atque expressis verbis addit: *leve cum prima syllaba correpta sine pondere significat: sin autem prima syllaba producta profertur, significat politum*. Quo de discrimine sic censuerunt hi viri docti num a me iussi? Hermannus Figulus hunc locum (qui est in controversia) his verbis circumit: *qui horrendo militum concurrentium fremitu et formidabili armorum strepitu ac fulgore delectatur*. Postremo videamus, quomodo Dacier hanc vocem vertat, qui tibi saepe est scuto atque praesidio. Jis in verbis, quae subiungit textui, deducit vocem *levis* voce *λεως* et explicat vocibus et *polies* et *luisentes*. Quid ergo? Me recte censere nondum existimas? Eia exhibilate hominem pertinacem!

Henricus Roese, cand. phil.,
seminarii Gissensis sodalis

Varia

Epistula ex balneis missa

Dem. Piscator, medicus, Guillelmo W.,
medico amico, s. d. pl.

Secundum ordinationem tuam ante hos quindecim dies huc profectus aquarum calidarum, quas Kraenchen et Kesselbrunnen nominant, pocula permulta poto, gargarismata adhibeo sicuti balnea mineralia magnam copiam acidi carbonici continentia itaque spumantia et Sprudelbaeder nominata, nec postremo in camera separata solus sedens, indutus vestimento lineo, aerem motum et sale soluto oleoque resinoso e pinis extracto gravidum inhalare gaudeo. — Ceterum edendo, bibendo, ambulando, musicam curativam audiendo, cogitando de bonis et malis, de rebus saecularibus et aeternis, item requiescendo et ephemerides legendo, dormiendo denique, ne obliviscar, — tempus suavem utilemque in modum peragere studeo. Mox

revertar ad meos et ad morbosos a me sanandos: ipse, ut spero, sanus! — Cum tam multa, ut vides, tibi habuissem scribenda, charta imagine ornata uti non potui.

Valeas tuaeque valeant!

Datum Amisiae ad Lahn fluvium,
a. d. VII. Kal. Oct. MCMXI.

Anus et onus

Historiola, quae Script. Lat. ann. IX p. 30 narratur atque Schopenhauero philosopho tribuitur, nuper perlecta in mentem mihi venerunt versiculi quidam, quos multos abhinc annos in actis quibusdam nescio quo loco olim offendi memoriae teneo; quibus, si recte iudico, comprobari posse mihi videtur narratiunculam istam multo antiquiorem esse Schopenhaueri aetate. Atque haud scio aris, cum illam vocem iactaret, ipse ini-

tium horum versuum meminerit. Inter eas enim nugae et ludicra numerandi sunt, quibus pastores monachi magistrelli olim delectabantur, quas 'Pastorum fabellas' (sive Pastorenwitze) nominare solemus. At, utut haec res se habet, iuvat versiculos ipsos proponere, quorum unaquaqueque linea permutatis inter se litteris artificiose effingitur.

,Obit anus,
Abit onus.
Tua nobis
Sunto; abi,
Ubi sonat
Tuba Sion.
Ita bonus
Tobianus.

E. Arens

Novi te!

Ad puellulam caecam in spatium annum in valetudinario collocatam die quodam mater venit visendi causa; nullum omnino verbum faciens conclave, in quo filiola commorabatur, intravit et tacens prope eam assedit; paulatim propius accedens denique leniter imposuit manum puellulae capiti. Apprehensa manu „o, novi te, mater,“ illa exclamavit „novi te!“

Guil. Lhm.

Breve decretum

Sub Friderico Wurtembergae duce (1593—1608) anno quodam vinum eximie acidum, quod vix quisquam bibere potuit, procreatum est. Qua re commoti sacerdotes ex omnibus cancellis praedicare coeperunt verbis castigantibus illam calamitatem poenam iudicandam esse a deo civibus ingratis contumacibusque constitutam. Illis temporibus plerique parochi vinum accipiebant tamquam salarium: ex quibus nonnulli ducem per litteras adierunt petentes, ut sibi daretur vinum superiore quodam anno genitum, quia illud acidissimum stomachi recusarent. Sed dux preces repudiavit breviter rescribens: „Non ita! simul peccastis, simul multamini!“

Guil. Lhm.

Psittacus et phonographus quemadmodum mitigent dolores

In Britanniae oppido quodam medicus, qui dentibus curandis operam navat, miram sane commentus esse fertur laborantibus dentes quantum fieri potest sine dolore extrahendi rationem; qua in re scilicet suggestioni primores tribuuntur partes. Ubi igitur quis consedit in sella operaria, medicus aperit phonographum, qui decantandis modulaminibus laetis ridiculisque animum avertat a rebus ad dentem extrahendum necessariis. Deinde psittacus suum adit ministerium: quae avis docilis innumerabiles sententias memoria complexa aegrotanti inclamat perpetuo: „Noli timere! Non dolet! Jam iamque rem peregero! Bonum habeas animum quaeso!“ Atque extracto dente psittacus ingentes tollere incipit cachinnos et alas concutere et vociferari: „Actum est, actum, actum!“

Guil. Lhm.

Pii Papae X

ad universos orbis catholicos hortatio

Dum Europa fere omnis in anfractus abripitur funestissimi belli, cuius quae pericula, quas clades, quem exitum qui paullulum reputaverit, is profecto luctu atque horrore se confici sentiat, non possumus non gravissime et Ipsi affici, non angi animo moerore acerbissimo, quum simus de tot civium, de tot populorum salute ac vita solliciti. In tanta rerum omnium perturbatione ac discrimine plane sentimus atque intelligimus hoc a Nobis paternam caritatem, hoc apostolicum ministerium postulare, ut christifidelium omnium animos eo convertamus impensius unde venit auxilium, ad Christum, dicimus, principem pacis et Dei atque hominum mediatorem potentissimum. Huius igitur thronum gratiae ac misericordiae adeant omnes, hortamur, quotquot sunt per orbem catholici in primisque viri e clero; quorum insuper erit, iussu Episcoporum, in unaquaque paroecia publicas peragere supplicationes, ut misericors Deus, quasi piorum precibus defatigatus, funestas

belli faces amoveat quantocius detque benignus iis qui publicae rei praesunt cogitare cogitationes pacis et non afflictionis.

Ex Aedibus Vaticanis
di II Augusti MCMXIV

PIUS PAPA X

Carmen in fossa militum compositum

Quos hic publicamus versiculi, ad editorem actorum diurnorum, quae München-Augsburger Abendzeitung dicuntur, missi sunt a milite quodam in acie occidentali pugnante, aequae mentis, ut ait Horatius, arduis in rebus servatae non minus quam literarum amoris studiique documentum. Est igitur poeta unus ex illis barbaris, qui, si quibusdam calamo fortique lingua res omnes gerentibus credas, ut Velleii verbis utar, nihil praeter vocem membraque habent hominum. Credant isti, quid velint — inter Scriptoris lectores neminem puto fore, quin, quae scripserit miles ille festivissimus, eadem festivitate legat libenterque ignoscat latinitati vagantium carmina imitanti, praesertim

si sciat poetam, dum civili fungitur munere, non philologiae, sed iurisprudentiae dare operam. „Aquila“, ut ipsa cetera docent, nomen cauponae est, „Anna“ famulae hospitiibus ibi ministrantis.

Sic desertus sedeo
Ab amicis meis.
Nulla rident pocula
Mihi in tabernis:
Dira fames sitisque
Vexant me magnopere.
Apud vos adessem!

Semper nos obruimur
Gramine telorum.
Nihil autem angimur
Plumbo hoc Gallorum.
Humi erunt mox prostrati
Et devicti et fugati
Hi protervi Galli.

Vos amicos praedico
Aquila sedentes,
Atque summo studio
Permultum bibentes!
Quando Anna hauriet
Ridens mihi unum?
Quando miles revertet
In desertam domum?

Sententiae

Est omnino iniquum, sed usu receptum, quod honesta consilia vel turpia, prout male aut prospere cedunt, ita vel probantur vel reprehenduntur. Inde plerumque eadem facta modo diligentiae, modo vanitatis, modo libertatis, modo furoris nomen accipiunt.

Plinius

Similem raro natura praestat, frequenter imitatio.

Quintilianus

Omnis vitae ratio sic constat, ut quae probamus in aliis, facere ipsi velimus.

Quintilianus

Pigri est ingenii contentum esse iis, quae sint ab aliis inventa.

Quintilianus

Oportet privatis utilitatibus publicas, mortalibus aeternas anteferre.

Plinius

Ego optimum et emendatissimum existimo, qui ceteris ita ignoscit, tanquam ipse quotidie peccet, ita peccatis abstinet, tanquam nemini ignoscat. Proinde hoc domi, hoc foris, hoc in omni vitae genere teneamus, ut nobis implacabiles simus, exorabiles istis etiam, qui dare veniam, nisi sibi, nesciunt.

Plinius

Male vim suam potestas aliorum contumeliis experitur, male terrore veneratio acquiritur longeque valentior amor ad obtinendum, quod velis, quam timor. Nam timor abit, si recedas, manet amor, ac sic, ut ille in odium, hic in reverentiam vertitur.

Plinius

Non eadem omnibus sunt honesta atque turpia, sed omnia maiorum institutis iudicantur.

Nepos

Non ulli patientius reprehenduntur,
quam qui maxime laudari merentur.

Plinius

Ut corpori ferrum, sic oratio animo
non ictu magis quam mora imprimitur.

Plinius

Confessio Goetheana

Justa, quae feci—neque pauca cerno—
Pectori nullos generant dolores;
Prava, quae gessi, velut atra mentem
Monstra pererrant.

Saravinus

Hymnus iocosus belli Germano-Gallici tempore (1870—71) ab Henrico Zoepfl compositus

Edidit et commentatus est

Leopoldus Fischer Heidelbergensis

Auctor huiusce hymni neolatinus adhuc typis non impressi, *Henricus Zoepfl*, erat doctor iuris et professor publicus ordinarius iuris publici in universitate literarum Ruperto-Carola Heidelbergensi. Natus anno 1807 Bambergae, docuit ex anno 1828 Heidelbergae iuris disciplinam usque ad mortem, quam obiit anno 1877, inter professores, qui tum almae matri illi decori erant, doctissimorum et celeberrimorum unus.

Item is, in quem hymnus compositus est, vir peritissimus et clarissimus erat: *Joannes Nepomuc de Nussbaum*, doctor medicinae et professor publicus ordinarius chirurgiae in universitate Ludovico-Maximiliana Monacensi, qui bello Germano-Gallico protomedicus militaris — nos „Generalstabsarzt“ dicimus — exercitui Bavarico attributus erat.

Ortum est carmen ex laudibus permultis et permagnis, quae medico illi recte quidem ac merito, sed nonnunquam nimis abunde blandeque dicebantur et scribebantur. Id in primis in ephemeride illis temporibus pervulgata, cui nomen „Nürnberger Correspondent“ („Gazetta Norica“) erat, factum est.

Hymnus tunc, manu scriptus, in Francogalliam ad medicos militares Bavaricos, inter quos etiam gener auctoris et multi discipuli *Nussbaumii* erant, pervenit et ab iis, de manu in manum quasi migrans, maximo gaudio legebatur.

Deerant autem hymno posteriores duae strophae: ex ea, ut opinor, causa, ne iis *Nussbaum*, si carmen forte cognovisset, laederetur. In manu-

scripto sane originali, quod duas illas strophas continet, super eas legitur haec solum notula: „superflua, non adiungenda!“ Ut res se habet, — *nostra* aetate, postquam „saeculum futurum“ *praesens* factum est et vir hymno facetissime celebratus ante quinque lustra „ad caelum venit“ (anno 1890; natus erat anno 1829), nulla iam mihi videtur causa esse, strophas illas non una cum ceteris evulgare, praesertim quod *Nussbaum*, quem ipse me cognovisse, plurimi aestimavisse, amavisse gloriatur, nec iocum nec leporem aspernabatur et, ut credo, vel totam cantilenam sine animi offensione legisset.

Nonnulla verba ab auctore — iocosum in modum — novata explicentur a me, sic: *Iuglandus* = nomen latinisatum — ut ita, ipse novator, dicam —, e verbo *iuglans* fictum; *a suitticis* = à la suite; *caressare* = blandiri; *mille sapramentum* = tausendsapperment! — In versu *laesi mox fuere* „mox“ pro „modo“ = „eben erst“ — more post classicorum aetatem scribentium — adhibitum est. — „*Ancillas faciles*“ quoque laudes *Nussbaumii* in carmine praedicare poeta fingit ob eam rem, quod ille in commentario quodam pro ancillis edito leges et suasus ad salubritatem pertinentes — „hygienicos“, ut aiunt, — conscripserat.

Hymnus denique, cuius edendi duae ex filiabus auctoris adhuc vita gaudentes, domina *Guilelmina Quitzmänn* et domina *Augusta Zoepfl*, libentissime mihi licentiam dederunt, pro qua permagnas iis gratias ago, hic est:

Cantilena triumphalis:

Laudes, Iuglandi,
protomedici a sulticis celeberrimi

Te Iuglandum canimus
Medici obscuri:
 Celebramus gloriam
 Tuam in memoriam
Saeculi futuri.

Tu es doctor unicus,
Nemo talis, qualis:
 Paracelsi qui Bombasti
 Mira facta superasti:
Tibi quis aequalis?

Nuntiant discipuli
 Urbes per et castra
 Novae artis detectorem,
 Mortuorum refectorem:
Tolleris ad astra!

Est gazetta Norica
 Meritorum pignus.
 Iam in antecameris
 Magna cruce diceris
Ante omnes dignus.

Caressanti militi
 Faciles ancillae,
 Fontes, en, cum hauriunt,
 Laudibus te efferunt
Nobiles Sybillae.

Umbra tua sufficit,
Si aegrotos tangit:
 Coeci saltant, claudi rident,
 Docti stupent, stulti vident,
Nemo ultra plangit!

Ossa fracta resecano
 Doces professores.
 Vulneratis grande numen,
 Quis negabit tuum lumen?
Pereant ossores!

Eheu si te ceperit
 Hostis furiosus!
 Quantus tremor fuerit,
 Nobis si defecerit
Doctor gloriosus.

Te magistrum sequimur
 Horridis in bellis. —
 Tecti loco firmamentum,
 Scala mensae supplementum —
Grassamur cultellis.

Ubi sunt, qui globulis
 Laesi mox fuere?
 Vivat ambulancia,
 Quaelibet hospitia
Nostrum est explere.

Gaudeamus igitur,
 Dum collegae sumus!
 Vivant tua studia,
 Crescat tua gloria,
Dum te teget humus!

Quum ad coelum veneris,
 Jubilabunt chori
 Exsulum corporibus
 Laetabundis oribus:
„Non est ultra mori!“

Rumor Petrum excitat:
 Currit portas ante,
 Clamans: „Mille sapumentum!
 Meum quoque complimentum,
 „Ave, Don Iuglande!“

Res minutulae

Paucos ante menses collega quidam praeceptoris Geestemundi in urbe munere fungens scripsit unum de discipulis suis ex tempore vernaculam in linguam vertentem haec verba:

»Achilles, cum Agamemnoni suscenseret, diu bello abstinuit«
sic reddidisse germanice:

»Da Achill dem Agamemnon zürnte, hielt sich der Kriegsgott fern.« *)

Alios eodem fere tempore a Fridolino nostro Nissensi accepi flores. Hi quoque ex scholastico, ut ait, hortulo decerpti sunt:

„Mons altissimus“ „der älteste Berg“, „genus humanum“ „das menschliche Knie“ et,

qui cumulus mihi videtur artificii:

»Totum regnum occupavit« = »Er beschlagnahmte den toten König.«

Num quae alia est lingua, cuius vocabula tam commodas praebeant ad vertendum ansas? Ac tamen difficilem esse illam haud pauci affirmant...

*) Notum esse opinor apud Germanos Ziu vel Tiu nomen dei bellorum fuisse.

S. P. D. literas quis non novit? Nam vix ulla scribitur epistula, cui non illae salutandi causa praemittantur. Sed et aliae sunt, si Behrsingio nostro credendum est, interpretationes:

Sum denique potus.
Sine disciplina pernicies.
Securitas detur publica!
Similes deo potentes.
Sus dat pernam.

Ecquis plures inveniet?

In actis quibusdam publicis Lipsiensibus hoc aliquando vidi praeconium:

Jung. Seemann, stud. navigare, viel im Auslande, wünscht die Bekanntschaft e. jungen Dame zwecks Ansichtskartenaustausch. Offert. u. M. 2004 an Johannes Nootbaar, Ann.-Exp., Hamburg.

Miratus ego verba legi relegique. Nam quamquam satis superque, in Germania imprimis, habemus titulorum, tamen hic, quem iuvenis ille sibi asseruerat, plane mihi ignotus videbatur. Quae erat origo ornamentum istius parum latini? . . . Multum diuque cogitabam. Tandem me rem tetigisse credidi. Nauta noster, quem navigationis discendae causa scholam puto frequentasse, a professore suo audiverit proverbium esse

»Navigare necesse est,
vivere non necesse«

idque germanice dici:

»Die Schiffahrt (Seefahrt) ist nötig,
das Leben nicht.«

Quid vetabat eum, quem „Studiosus der Seefahrt“ nominamus, „studiosum navigare“ appellari?

Thomae Moore carmen „The Evening Bells“

in latinum convertit

Guillelmus Lehmann Vratislavlensis

Those evening bells, those evening bells,
How many a tale their music tells
Of youth, and home, and that sweet time,
When last I heard their soothing chime.

Those joyous hours are passed away;
And many a heart that then was gay,
Within the tomb now darkly dwells,
And hears no more those evening bells.

And so't will be when I am gone:
That tuneful peal will still ring on,
While other bards shall walk these dells,
And sing your praise, sweet evening bells.

Illae campanae, campanae vesperis illae
Quot referunt casus vocibus altisonis
De pueri patria, de dulci tempore, quando
Postremum blandi mi sonuere modi!

Praeteriere hilares illae velociter horae,
Multaque, quae quondam pectora laetitia
Gestivere, cubant maestis nunc tecta cupressis
Nec iam percipiunt, aera quid illa canant.

Non aliter fiet, cum me nigra Tartara habebunt;
Protenus hic suavis finnet usque sonus,
Haec cum cantores alii per rura meabunt
Et laudes vestras, vesperis aera, canent.

Ex Epistulario Redactoris

Roscius *) Lommatio S. D. P.

Postquam vitae curriculum typis expressum et imagine ornatum accepi, non praetermittendum putavi quin Tibi gratias agam maximas, quod vivum me voluisti si non immortalitati, at posterorum memoriae et orbis terrarum notitiae commendare. Poenitet me errorem in corrigendo omi-

sisse: in pagina enim 67 media 1867 legendum est pro 69. Vale etiam atque etiam.

Mille meas grates pro missis mitto libellis,

Etsi post festum, vir venerande, Tibi.
Lipsiae, 2/3 14. **)

*) Prof. Roesch Heilbronnensis; cf. IX, 5.

**) Scrips. prof. Hultgren Lipsiensis; cf. X, 3.

Parisiis, d. 21. Oct. 13

De "Loyot" pictore, cujus ipsum nomen ignorabam, nihil inveni in historicis repertoriis. Quod nomen, sicut scriptum est, valde insolitum et paene barbarum sonat. Pictor tamen quidam parisiensis, cui nomen non idem sed proximum "Eugène Loyot", minusculas, ut fertur, imagines in porcellana pingere solebat, quas proposuit in publico annis 1864,

1865, 1878. Sed quid istis cum illa pictura rustica et credibiliter magna! Iste "Loyot" plerumque manebat in pago "Saint-Mammès, Seine et Marne", et magistrum habuit pictorem non multo minus ignobilem, nomine „Sabbourin". Vivitne an mortuus fuerit? nescio.

Me poenitet quod nec tibi nec Bremiportensi doctori satisfacere poterim. Salve et vale. Paul Jamot

De Rege Caeco

Ludovici Uhlandii carmen „Der blinde König"
latine convertit

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis

Armigeri borei quid stant in margine ponti?
Crineque quid cano rex ibi caecus agit?
Innixus baculo maeroreque captus acerbo
Clamat, uti reboent saxa subluta salo:
„E latebris, praedo, natam mihi redde! beabat
Haec cantu dulci me fidibusque senem.
Litore saltantem rapuisti: dedecet id te
Tempus in omne, mihi flectitur inde caput."
Spelaeo prodit praedo praegrans et atrox,
Attollit gladium trux clipeumque quatit:
„Custodes tot habes: cur non vetuere rapinam?
Quin pro stirpe tua dimicat unus eques?"
Muti stant comites, procedit ab ordine nemo;
At rex se vertens: „Sum, rogo, solus ego?"
Tum natus iuvenis dextram patris arripit ardens:
„Me sine luctari! praevalent haecce manus." —
„Est ingens nimium, mi fili, viribus hostis;
Non armis illi restitit ullus adhuc;
Attamen est in te, fateor, generosa medulla,
Quod pressu forti me docet ista manus.
Accipe iam vetus hoc, Scaldorum praemia, ferrum:
Si cadis, infelix aequore mergar ego."
Audin? per fluctus strepitatque natatque phaselus;
Auscultans caecus rex stat, et omne silet,
Ultra dum gladii crepuerunt pulsaque scuta,
Pugnantum rumor, clamor et ira ferox.
Tum sperans metuensque senex: „Quid cernitis? acre
Vox sonuit ferri, mi bene nota, mei!" —
„En, cecidit praedo persolvens sanguine poenas!
Egredie fortis, regie macte puer!"
Omne silet rursus; stat rex intentus et audit:
„Trans mare nescio quid remigat atque strepit!" —
„Advecti veniunt cum scuto natus et ense
Aureolisque comis nata Gunilda tua!"
„O salvete!" senex alto de litore clamat,
„Nunc senio laeto, post ego laude fruar.
Tu, fili, functum me cinges ense canoro;
Funebre mi carmen tu, mea nata, canes."

Lin. 1. in ‚borei' syllabam ‚re' corripui auctore Prisciano perieg.
271 et al.

Responsorium

M. A. du bist gar nicht dumm — haud stulte sapis — die Rechnung versteht sich inklusive (quidni • einschließlich •) aller Baukosten — inest computationi sumptus aedificationis (aedificii) — für die gesamten Kosten aufkommen wollen — omnem sumptum polliceri — wenn man ihn genauer kennen lernt — si propius (eum) inspexeris — das darf (braucht) dich durchaus nicht (zu) wundern — hoc tibi minime mirum debet videri — halte dich nur recht gesund — valetudinem tuam cura diligenter.

F. B. Quaeis versus, quos munusculo festo Christi dando inscribas? En quae Sannazarius cantat in libro II carminis epici *Parthenias*:

Candida adest Virgo, nunc sunt coelestia regna,
Nunc nova progenies coelo descendit ab alto,
Progenies, per quam toto gens aurea mundo
Surget et in mediis palmes florebit aristis.

Qua duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras.

Praeclusa et magni pandentur limina coeli.

Recognoscine Vergilium? Primum, secundum, ultimum versus paululum immutavi ad nomina mythologica delenda. At cur non prius hac de re ad me scripsisti? Serius allatae sunt literae, quam ut respondere in tempore possem.

G. M. Noli timere, ne tibi irascar. Nam quamquam communis studii amore coniuncti sumus, tamen ego meae patriae fidus maneo, tu tuae. Magnorum autem virorum admiratio non distat natione: illi quae fecerunt, universi generis humani sunt eruntque. Quae memoras diplomata, ut recte suspicaris, latina his scripta sunt verbis:

1) Viro illustrissimo Paulo de Beneckendorff et de Hindenburg, regis militum summo duci ac marescaldo, in arte belli gerendi, quae scientiae politicae praecipua pars recte nominata est, summo ingenio excellenti, qui dei optimi fiducia munitus Pharaonis septentrionalis exercitu in Lacus Masuricos quasi in Mare Rubrum submerso Borussia orientali liberata, duorum imperatorum milites fortissimos gloriose gubernando nuper Silesiam a crudelissimis hostibus feliciter defendit, sine quo studia Vratislaviensia non possent hoc tempore florere, inter Germaniae filios carissimo.

2) Viro illustrissimo Friderico Guiljelmo Erico Ludendorff, regi a ducibus militum excellentissimo, viro doctissimo, consiliis tam sapienter, quam audacter excogitatis summorum gubernatorum militum adiutori felicissimo, praecipuae Hindenburgii gloriae atque victoriarum socio, universitati huic pacem, sine qua esse non potest, hoc tempore praestanti.

3) Viro illustrissimo Paulo de Breitenbach, regi a ministris excellentissimo, viis ferreis et regni et imperii praefecto, urbis Vratislaviae, ubi officiis publicis optime fungebatur, quondam civi, qui opus ad hoc tempus inauditum perfecit, ingentes exercitus per longissima spatia celerrime tranvehendo, qua re victorias militum optime praeparavit, artis civitatis administrandae peritissimum se praestitit.

4) Viro illustrissimo Sven de Hedin, illustrissimo orbis terrarum exploratori, qui itineribus periculosissimis fortiter et feliciter factis omnium scientiarum cognitionem maxime auxit, veritatis strenuo defensori, amico Germaniae fidelissimo, qui novissime iustitiae amore impulsus contra errores, mendacia, fallacias hostium alacriter dimicando iuris

gentium non tantum notitiam, sed etiam scientiam aperte probavit.

Primi tres scientiae politicae vel, ut vulgo dicunt, cameralium rerum doctores facti sunt, quartus doctor iuris. Praeter Vratislaviensem Regimontana quoque universitas primos duo summa inter academicos dignitate honoris causa ornavit.

R. H. Ut Duisburgensis gymnasii rector mihi scripsit, in programme illius scholae a. 1882 edito carmina vel alia ab Eichhoffio translata non reperiuntur.

Libri latini nostra aetate prodeuntes

Prudentissimum Lucasculi nostri consilium secuti hac sub inscriptione omnium librorum titulos indicamus latine scriptorum. Qua in enumeratione ut certus, a quo ordiamur, terminus ponatur, retrogradimur usque at initium anni 1913: ante hoc tempus editi libri omittuntur. Omittuntur etiam veterum scriptorum opera, nisi commentario vel praefatione saltem latina sint instructa; novae tamen editiones cuiuslibet libri secundum has conditiones in indicem recipiendi publicantur.

Non sumus nescii rem a nobis susceptam haud parvae esse difficultatis. Speramus autem lectores nostros, qua sunt fueruntque erga nos benevolentia, nos, quam maxime possint, esse adiuturos, idque ut faciant, peregrinos imprimis amicos vehementer rogamus atque oramus.

Ed. et Red.

63. Poetae latini minores. Post Aemil. Baehrens iter. rec. F. Vollmer. Vol. II, fasc. 3: Homerus latinus. Teubner. IX, 65. 1.20 (1.50) M.
64. Epitome e vespertalis romani ed. Ratisbonensi. Ratisb., Pustet. XIX, 332, 142, 29 c. imagg. 3 (4.80) M.
65. Bibliotheca ascetica. Ratis., Pustet. VII: Bona, Ioa., De sacrificio missae tractatus asceticus. Continens praxim attente, devote et reverenter celebrandi. Cum 3 append. XII, 451 c. imagg. 1.50 (2, 3) M.
66. Bibl. Script. Graec. et Rom. Teubner. Sallustii in Ciceronem et invicem invectivae. Rec. A. Kurfess. '14. XVI, 27. 0.90 (1.20) M.
67. — — — Scholia in Theocritum vetera. Rec. C. Wendel. Adiecta sunt scholia in technopaegnia scripta. '14. XL, 408. 12 (12.80) M.
68. — — — Sexti Empirici opera. Rec. H. Mutschmann. Vol. II: Adversus dogmaticos ll. V. (adv. mathem. VII—XI) contin. '14. XIX, 429. 9 M.

69. — — — Marcus Antonius Imperator: In semet ipsum II. XII. *Recogn. H. Schenkl. Ed. maior. XL, 267, 4.80 (5.40) M.*
 — — — *Ed. minor. X, 168. 2 (2.40) M.*
70. — — — Demosthenis orationes, ed. C. Fuhr. *Ed. maior. Vol. I, Pars 3: Orationes XIX contin. '14. Pg. 396—535. 1.60 (2) M.*
71. Springer, M., *Psalmi vesperarum et completorii pro omnibus dominicis et festis duplicibus ac pro officio defunctorum. Juxta ed. typic. vaticanam in quibus concordantiae verbor. et melodiae in clausulis (mediationibus et terminationibus) diligenter providit Sp. Ed. II. Ratisb., Pustet, '14. IV, 235. 1.20 (1.80) M.*
72. *Vesperale parvum continens summa festa necnon vespas de dominica cum completorio excerpta e vesperalis romani ed. Ratisbonensi. Ed. II. Ratisb., Pustet, '14. III, 172, 8, c. imagg. 1.20 (1.80) M.*
73. Cohen, C., *Cantuale exhibens vespas et completorium de dominica necnon vespas de praecip. anni festis adjectis litanis, hymnis et orationibus expositionis XL et XIII horar. et adorationis perpet. cantari solitis. Jussu et auctor. reverendiss. et illustriss. dom. Felicis, archiep. Colon., ed. Ed. V. Ratisb., Pustet, '14. VII, 204. 1.50 (2) M.*
74. *Florilegium patristicum. Dig., vert., adnot. Rauschen. Fasc. III: Monumenta minora saeculi secundi. Ed. II. emendata. Bonnae, Hanstein, '14. IV, 122. 2.20 (2.40) M.*
75. — — — *Fasc. IX: Textus antenicaeni. 60. 1.30 M.*
76. Naumann, E., *De Taciti et Suetonii in Othonis rebus componendis ratione. Progr. Berol., Weidmann, '14. 28. 1 M.*
77. *Biblia Sacra vulgatae editionis Sixti V jussu recogn. et Clementis VIII auctor. edita. Ratisb., Pustet. XX, 1284. 9.60 (11) M.*
78. *Bonnaccorsi, J., Psalterium Latinum cum Graeco et Hebraeo comparatum. Lib. I. Florentiae, Librar. editr. 112. 3.50 l.*
79. Coghlan, D., *De sanctissima eucharistia. Dublin, Gill. VIII, 524. 10 sh.*
80. *Gredt, J., De cognitione sensuum externorum. Inquis. psychologico-critereologica circa realismum critic. et objectivitatem qualitatum sensibulum. Romae, Desclée. VIII, 98. 1.25 fr.*
81. *Monaco, N., Praelectiones methaphysicae generalis. Prati, Giachetti. XIV, 350. 5.50 fr.*
82. *Zoepfl, F., Didymi Alexandrini in epistolas canonicas brevis enarratio. Monasterii, Aschendorff, '14. VIII, 48*, 148. 5.70 M.*
83. *Bibliophoros decurrentis literaturae scientiae catholicae praecipuos in hoc genere libros exhibens, quos omnis natio in dies affert una cum de operibus judicis ex clarioribus periodicis excerptis vel a peculiaris disciplinae professoribus prolatis — Dr. E. Schmitz et Prof. Dr. Sestili studio collato compilationem recensentibus. Romae, Bretschneider. Pret. ann. subnotat. in Italia: 2.50 l., ubique extra 2.50 M.*
84. *Ephemerides liturgicae. Publicatio mensilis. Cura et studio presbyter. Congregationis Missionis. Directio et administratio: Via della Missione 2. Romae, Desclée soc. Pret. subnot. ann.: pro Italia 10 l., pro exter. region. 11 l.*
85. *Forcellini, A., Lexicon totius latinitatis etc. (20) Tom. I, fasc. 2. Pgg. 81—152. 3 M.*
86. *Fischer, F., Thucydidis reliquiae in papyris et embranis aegyptiacis servatae. Diss. Lips. Teubner. V, 75. 3 (4.20) M.*
87. *Hulákovský, I. M., Abbreviaturae vocabulorum usitatae in scripturis praecipue latinis medii aevi, tum etiam slavici et germanici, collectae, et ad potiore usum archivariorum, diplomatorum, bibliothecariorum aliorumque vetustatis indagatorum ed. [Redimpr. anast.] Praegae, Taussig & Taussig, [1852]. XIV, 78. 5 M.*
88. *Pesch, C., Praelectiones dogmaticae, quas in collegio Dittons Hall habebat. Tom. II: De deo uno secundum naturam. De deo trino secundum personas. Tractatus dog-*

- matici. Ed. IV. Herder, '14. XII, 421. 6.60 (8.20) M.
89. Zander, C., *Eurhythmia vel compositio rhythmica prosae antiquae. III: Eurhythmia Ciceronis.* Lps., Harrassowitz, '14. XII, 272. 8 M.
90. Pesch, C., *Compendium theologiae dogmaticae. Tom. II: De Deo uno — De D. trino — De D. creante et relev. — De D. fine ult. et de noviss.* Herder. VIII, 286. 4.80 (5.80) M.
91. *Manuale precum in usum theologorum.* Edit. III. Herder, '14. (XVI, 512) 4.20 (6.30) M.
92. Reinstadler, S., *Elementa philosophiae scholasticae.* Ed. V. et VI. ab auct. recogn. 2 voll. Herder, '14. XLVIII, 996. 6 (7.40) M.
93. Denzinger, H., *Enchiridion symbolorum definitionum declarationum de rebus fidei et morum.* Ed. XII, quam par. Cl. Bannwart. Herder, '14. XXVIII, 656. 5 (6) M.
94. Kirsch, C., *Enchiridion fontium historiae ecclesiasticae antiquae, in us. scholar.* Herder, '14. XXX, 636. 8 (9) M.
95. *Tabulae fontium traditionis christianae (ad ann. 1536), quas in us. scholar. coll. J. Creussen.* Herder, '14. VIII et VIII tabulae. 1.40 M.
96. Lehmkühl, A., *Casus conscientiae ad usum confessoriorum compositi et soluti.* Ed. IV. corr. et aucta. 2 voll. Herder. XVIII, 1192. 16 M.
97. Maximilianus, Princ. Sax., *Praelectiones de liturgiis orientalibus habitae in Universitate Friburgensi Helvetiae. Tom. II: contin. liturgias eucharisticas Graecorum (exceptis aegyptiacis).* Herder. VIII, 362. 8 (9.60) M.
98. *Fontes rerum Transylvanicarum. I: Epistulae et acta Jesuitarum Transylvaniae temporibus principum Bathory.* Coll. et ed. A. Veress. Vindob., Hölder. VIII, 316. 8.50 M.
99. — — — III: *Possevinus, A., Transsylvania.* Ed. A. Veress. XXIV, 298. 8.50 M.
100. *Officium majoris hebdomadae* Torino, Marietti, '14. 468. 4.50 fr.
101. *Telch, Epitome theologiae moralis universae per definit., divis. et summaria principia pro recollectione doctrinae moral. et ad immediat. usum confessorii et parochi excerpta e Summa theol. mor. R. P. Hier. Noldin, S. J. Ed. II emend. Oeniponte, F. Rauch. XXXII, 553. 3.40 M.*
102. *Monumenta Germaniae Historica inde ab a. Chr. D usque ad a. MD.* Ed. societas aperiendis fontibus rer. germanic. medii aevi. (Ed. nova quatern.) Auctor. antiquiss. tom. XV pars 1: *Aldelmi opera.* Ed. Ehwald. Fasc. 1. Berolini, Weidmann. 323, 2 tab. 14 M. (in charta scriptor. 21 M).
103. — — — *Legum sectio IV: Constitutiones et acta publica imperatorum et regum. Tom. V. Inde ab a. MCCCXIII usque ad a. MCCCXXIV.* Ed. Iac. Schwalm. Pars III. Hanoverae, Hahn. XXXVI, 810. 4 (in charta opt. 6 M).
104. *Dissertationes Philol. Halenses. Halis Sax. Niemeyer. Vol. XXI, pars 3: Mueller, B., Μέγας θεός. III, V, pg. 281—411. 4 M.*
105. — — — Vol. XXII, pars. 2. *Poerner, Io., De Curetibus et Corybantibus. III, VII, pg. 245—428. 5.60 M.*
106. — — — Vol. XXIII, pars. 1: *Geiger, E., De sacerdotibus Augustorum municipalibus. VI, 145. 4.80 M.*
107. — — — Vol. XXIV, pars. 1: *Bubbe, Gu., De metamorphosis Graecorum capita selecta. VIII, 84. 2.80 M.*
108. *Auer, L., De moralitate actuum humanorum in genere secundum mentem S. Thomae Aquinatis. Ratisbonae, G. J. Manz, '14. 6.60 M.*
109. *Kyriale sive ordinarium missae. Missa pro defunctis, toni comm. missae necnon mod. cant. alleluja temp. pasch. cum cantu Gregoriano ed. vaticanae. Ed. II ster. Graecii Styr., V, 132. 0.90 (1.30) M.*
110. *Pesch, Chr., Compendium theologiae dogmaticae. (56) Frib. Brig., Herder. Tom. III: De verbo*

incarnato. — De beata virg. Maria et de cultu sanctor. — De gratia de virtut. theologicis. VIII, 303. 4.80 (5.80) M.

111. Palmieri, Theologia dogmatica orthodoxa (ecclesiae graecorussicae) ad lumen catholicae doctrinae examinata et discussa. Tom. II: Prolegomena. Florentiae, Libr. Editr. Florent. III, 198.

Addenda: 33. Cod. Sangall. 193. Contin. fragm. plur. prophetar. secund. transl. S. Hieronymi. 153 tab., 16 pg.

Nota Redactoris

Carmen huius numeri primum excerptum est ex Thikötteri libello, qui sub titulo: Neue Hymnen produüt Bremae ao. 1902.

Corrigenda:

Pg. 83 ² l. 16	lege	didicisset	pro:	<i>dididisset.</i>
.. 88 ² l. 6	..	nostro	..	<i>nostra.</i>
.. 94 ¹ l. 4	..	dyessyllaba	..	<i>dyssyllaba.</i>
.. .. l. 34	..	nehmen	..	<i>nehmcn.</i>
.. .. l. 63	..	pray	..	<i>prye.</i>
.. 94 ² l. 30	..	Imperatorem	..	<i>Imperatorum.</i>
.. .. l. 47	..	Berolinenses	..	<i>Berolinensis.</i>

Sententiae latine reddendae:

Soll man grüssen?

(Ein Erlebnis im Eisenbahnabteil)

Ich sass zuerst im Abteil. Dann stieg ein Herr mit einem Zylinder ein. „Ich will sehen, ob der grüsst“, dachte ich. Nein, er grüsste nicht.

Dann kam ein Geschäftsreisender herein, sah uns mit einem leeren Blick an und grüsste nicht.

Ein Leutnant in Zivil war der nächste. Man sah es an der Haltung. Ein Gruss? Fiel ihm nicht ein.

Dann kam eine halbe Stunde Schweigen, nichts als Schweigen. Aus unseren Augen stieg es kältenebelnd in die Höhe und hing in dicken Wolken an der Decke. . . .

Auf einmal kam ein Gespräch zustande. Es betraf das Grüssen: Soll man grüssen, wenn man in ein Abteil tritt?

Alle waren einig: Nein, man grüsst nicht.

„Es wäre Beleidigung“, sagte der Herr, dessen Zylinder leicht im Netz oben schaukelte.

„Es gehört sich nicht“, sagte der Leutnant in Zivil.

„Man grüsst nur Leute, die man kennt“, sagte der Reisende.

Und dann sahen sie alle auf mich.

„Und Ihre Meinung?“ fragte der Reisende

Da stieg ein Mädchen ein. Es sah frisch und fröhlich aus, sah uns unbefangen an und sagte: „Guten Tag“.

Worauf der Zylindermann, der Leutnant, der Geschäftsreisende und ich freundlich nickten und aus einem Munde sagten: „Guten Tag“.

F. M. (DBK)

Huic penso qui satisfecerit optime, gratis accipiet librum:

Vernulaeus, Rhetorum Collegii Porcensis inclitae Academiae Lovaniensis orationum partis secundae decades duae. Col. Agr. 1657.

Plura De Scriptore Latino Judicia:

Die Zeitschrift gefällt mir sehr gut und ich beglückwünsche Sie zu diesem so nutzbringenden Unternehmen; ich werde es mir angelegen sein lassen, dieselbe unseren Gymnasiasten zu empfehlen und auch unter den Fachgenossen bekannt zu machen. Prof. L. M., G.

. . . daß wir, um Ihr uns sehr sympathisches Unternehmen zu unterstützen, selbst für die Lehrerbibliothek darauf abonniert haben. Dir. Gymn. B.

. . . Selbstverständlich werde ich die interessante Monatsschrift in meinen Bekanntenkreisen zu verbreiten suchen. J. P., Gymn.-Rekt. em.

Ich wünsche Ihrem verdienstvollen Unternehmen guten Erfolg. Prof. Dr. M. W., St.

Ich bringe Ihrer Zeitschrift reges Interesse entgegen, hoffentlich findet dieselbe besonders in den Kreisen, für die sie bestimmt ist, die Anerkennung und Unterstützung, die sie verdient. L., Rektor, H.

Ich finde, daß es für die Liebhaber der lateinischen Sprache ein sehr lehrreiches und anregendes Blatt ist. Dr. Th. E., M.

Priores commentarii huius anni
 praeter primum et secundum venales prostant

===== apud redactorem his pretiis: =====

III	5 M		V	4 M
IV (18 num.)	6 „		VI	4 „
	VII		2.50 M,	

===== apud editorem: =====

VIII	5 M		IX	5 M
----------------	-----	--	--------------	-----

Pauca cum supersint exemplaria, nemo mandare illos cunctetur!

===== **Aenigmata** =====

Divisiones mysticae

(Cf. M. H. Vail, Div-a-let or Division by Letters Newark (New-Jersey), Revell Company Press 1913.)

1

TIURN TFF : FRU = ATNSG
 TGGT

ITN
FRU

RGUT
RSOG

AFAF
ATAS

SOTF
SOTF.

OOOO

2

AOUIERT : CPN = PCAAU
 CPN

PIUI
PUCN

RRIE
RNAN

REER
RNAN

RIRT
RCUN

EUT

Unaquaque litera certus quidam -- et unus tantum -- numerus significatur, qui ipse rursus indicat, quo loco illa stet litera in verbo quodam inveniendo. Hoc, cum ad quamvis calculationem praeter zero qui vocatur numerum novem aliis opus sit, decem ex literis constare debet, ita tamen, ut unaquaeque earum semel tantummodo occurrat. Exempla sunt ex latina lingua: considerat, mensuratio, omnicarpus, ex britannica: mendacious, favourites al. Zero, germanice Null, verborum semper ultimam designat literam. In solvendo problemate praecipuum est, ut memor sis quarundam, quas omnis sequitur subtractio, legum; sic unum ex altero prudenter concludens lento quidem, sed certo gradu pervenies ad aenigmati, quod initio difficillimum videtur, solutionem. Primae divisionis literae latinum vocabulum exhibebunt, alterius britannicum; haec ex libello supra dicto sumpta est, illam ipse proposui.

Qui utrumque problema recte solverit, si sortitus erit, gratis piet. librum: J. Hall, **Mundus alter et idem**. Edited by H. J. Anderson. London, Bell & Sons, 1908.

===== **Pretio incredibiliter minuto** =====

libri nunc illi comparari possunt, quibus tituli: **M. Duncker, Geschichte des Altertums. 9 voll. Leipz. 1878-86, non 74, ut ante, sed 20 M et M. Duncker, Griechische Geschichte. 5 voll. Leipz. 1888, non 34, sed 12,50 M inclusa vectura, quoad suppetet copia, venales apud me ipsum!**

H. LÜSTENODER, FRANCOFURTI A. M., BAUSTR. 10

805
543

SCRIPTOR LATINUS

Commentarii Ad Linguae Latinae Humanitatisque
Studium Colendum Editi

Prodeunt decies in anno pretio 4 M^{rum}.

Annus X: Numerus VIII

— Procurant negotia —

in America: G. E. Stechert & Co., New-York, 129—133 West, 20th Street;
in Britannia: D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C.,
57—59 Long Acre;
in Italia: Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via
Tornabuoni;
in Nederlandia: N.V. Boekhandel, voorh. Gebr. Belinfante, Den Haag, Kneuterdijk 3;
in Russia: K. L. Ricker, St. Petersburg, 14 Newsky Prospekt.



Summarium:

Dole, De quaestione quam vo-
cant sociali
Reuss, In hodiernum progres-
sum carmen
Lommatius, Ex Holzeri scriptis
Bubbe, Num principes Europae
germanice loquantur
Lehmann, Carmina duo ger-
manica
Palata, Horae subsecivae

Lommatius, Fossae sagittariae
a quo sint inventae
Certaminis Hoeufftiani pro-
gramma
Ex epistolario redactoris — Va-
ria — Responsorium — Sen-
tentiae — Catalogi antiquarii —
Libri censurae causa missi —
Aenigmata — Praeconia pu-
blica

Redactor: Voldemarus Lommatzsch, Bremiportensie
Editor: Hans Lützenöder, Francofurti ad Moenum

Nomina et domicilia eorum, qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

Dr. E. Arens, Praec. Gymn., Aachen
A. Behrsing, Praec. Gymn., Reval
H. Bigot, Prof. Instit. Carthag., Tunis
Dr. H. Brand, Prof. Gymn., Hagen
Dr. W. Bubbe, Halle
T. Chave, B. A., Chicago
Dr. P. H. Damsté, Prof. Univ., Utrecht
Z. Dembitzer, Prof. Gymn., Stanislaw
Dr. E. Diedkhöfer, Praec. Gymn., Aachen
J. Dole, Rect. Schol. Lat. em., Kaisersesch
Dr. J. Draheim, Prof. Gymn., Friedenau
Dr. Th. Elsaesser, Maredsous
Dr. L. Fischer, Medicus, Heidelberg
J. Fonts, Presbyter, Vich
Dr. H. Geist, Prof. Gymn. em., Darmstadt
F. Gustafsson, Prof. Univ., Helsingfors
Dr. W. Günther, Praec. Gymn., Jena
H. Hansen, Parochus, Pellworm
J. J. Hartman, Prof. Univ., Leiden
Dr. E. Heikel, Helsingfors
V. Hertel, Parochus, Friedelshausen
Dr. J. M. Hoogvliet, Doc. priv., Haag
E. Hora, Prof. Gymn., Wien
C. Hultgren, Prof. Gymn. em., Leipzig
J. E. Kenny, Prof. Gymn., St. Paul
Dr. K. Kunst, Prof. Gymn., Wien
W. Lehmann, Rei Vehic. Praep. em.,
Breslau

Dr. L. Laurand, Canterbury
Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn., Stuttgart
A. Nardis, Prorect. Sem., Aquila
F. Palata, Prof. Gymn., Prossnitz
J. Pistner, Rect. Gymn. em., Tölz
Dr. G. Pifacco, Prof. Gymn., Görz
L. L. Podobinski, Prof. Gymn., Neu-
Sandec
J. Ramorino, Prof. Univ., Firenze
P. Recanatesi, Prof., Osimo
J. Roberti, Rect. Gymn., Cesena
Dr. W. H. D. Rouse, Prof. Univ.,
Cambridge
W. Rösch, Prof. Gymn. em., Heilbronn
Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., Giessen
Dr. P. Schmid, a cons. stud., Dresden
R. Schmidmayer, Prof. Gymn., Budweis
H. Schöttle, Prof. Gymn., Stuttgart
J. Steinbauer, Rect. Progymn., Winds-
bach
Dr. St. Székely, Prof. Gymn., Budapest
J. Tasset, Tonnerre
Dr. H. Weller, Ellwangen
Dr. H. Werner, Praec. Gymn., Düren
Dr. A. van Wessem, Ictus, Tiel (†)
P. Worms, Prof. Gymn., Meldorf

SCRIPTOR LATINUS

quinta quaque prodit hebdomade mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Hungaria, Luciburgo 4 M (4.80 Cor.), in ceteris terris 4.25 M; singuli constant numeri 0.40 M.

Epistulae, manuscripta, libri et libelli, de quibus censurae fiant, aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur ad Voldemarum Lommatzsch, Bremiportu (Bremerhaven), pecuniae vero epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem, Bibliopolam Lüstenöder, Francofurti a. M., Baustrasse 10.

Scriptor Latinus

Commentarii Ad Linguae Latinae
Humanitatisque Studium Colendum Editi

Ann. X

Francofurti a. M., Mense Iunio MCMXV

Num. VIII

PRO DOMO



amicus noster ac socius, Dr. I. M. Hoogvliet Hagensis, existumans versiculis militis superiore numero publicatis inesse, quo francogallici omnesque omnino peregrini lectores offenderentur, externos suos in conscribendo Scriptorum collegas adiit, ut intercederent, ne tale quidquam imposterum commentariis nostris insereretur. Qua de re quid ipse sentiam, quamvis libenter hisce paginis exposuissem, tamen, cum nimis multa expectent prelum, typographus plura ne typis adderentur compositis recusavit. Edam igitur, quae de intercessione illa sociorumque nostrorum responsis scripsi, proximo numero, quem, cum melius se habere res incipiant, brevior nos quam antea intervallo emittere posse speramus. Lommatius

De quaestione quam vocant sociali

nonnulla affert

J. Dole, rector scholae latinae em.

I. Quid est quaestio socialis?

Si quando, nunc maxime sociales quae dicuntur res agitantur. Nam non solum viros rationum civilium, politicarum, oeconomicarum peritos nostra aetate saepissime his de rebus invenimus loquentes, disserentes, scribentes, sed mercatores quoque, operarios, agricolas. Nec ullum in dissertationibus talibus et colloquiis frequentius legitur aut auditur vocabulum vel, ut ita dicam, terminus technicus quam: quaestio socialis. Qui quid sibi velit, quaerenti responderi solet quaestionem socialem imprimis spectare ad res oeconomicas earumque miserias et mala in societate humana existentia. Maxime autem — id quod sine dubio cardo totius rei est — ejus esse inquirere, quomodo illae socialis vitae calamitates et invidia odiumque plurimorum ex eis exorta amoveri, quomodo deauro res sanae et animorum tranquillitas adduci possint, ut homi-

nes acerbissimis saltem curis temporalibus depositis vitam quam possint beatissimam degant finemque aeternum appetant.

Sunt qui hanc quaestionem non pertinere putent nisi ad operarios. Et sane quidem hujus ordinis homines praeter ceteros angere premique molestiis ideoque vehementissimam apud eos apparuisse indignationem negari non potest. Attamen omnes fere nostris temporibus queruntur et suam quisque miseriam prae se fert. Queritur agricola, queruntur opifex et mercator, item magistratus et officiales ipsi, queritur propola, caupo, institor, queruntur, qui industriam amplam, qui exiguum exercent. Et omnes quidem de nimis vectigalibus solvendis, de oneribus militaribus supportandis, de damnis oeconomicis, quae alii ab alio afferuntur, de aemulatione negotiatoria maximos emittunt clamores. Itaque quaevis de quaestione sociali dissertatio non solum mi-

serias earumque causas deteget, sed etiam remedia inquireret, quibus mala socialia et indignatio, quae in quolibet ordine plusve minusve sunt conspicua, aut sanentur aut tollantur.

Sunt quoque sociologi, qui non disserant nisi de parte materiali nostrae quaestionis, tranquillitas autem animorum, morale solvendae quaestionis momentum, quomodo appetatur et efficiatur, non curent. Hos mea quidem sententia parum sufficere operi a se suscepto, brevi hac dissertatione demonstrare conabor.

II. Estne re vera quaestio socialis?

Esse re vera, quoad magna pars hominum sua sorte contenti non sunt, quaestionem socialem, quis est qui dubitet concedere! Nam, ut dixi, audimus quae felas et lamentationes hominum cujusvis ordinis. Quaerendum ergo nobis erit, utrum his questibus causa insit vera et justa necne. Jure autem homo queri solet, si aliqua re naturae suae conveniente carere debet. Malum ex quovis defectu!

Nunc vero natura hominum ex parte vitae socialis, quam hic solam respicimus, haec exigit tria:

- 1) vitam familiarem bene dispositam atque tranquillam,
- 2) condicionem idoneam et tutam,
- 3) satis, quoad fieri potest, libertatis et juris.

Quibus postulatis ex natura humana profluentibus in hodierna societate omnino non satisfieri quis neget!

Probemus et perquiramus singula!

Vitam familiarem apud multos non esse bene dispositam, immo vero saepe corruptam plus plusque in dies cognoscere possumus: Inspiciamus vitam familiarem operarii!

Patrem familias prorsus saepe a familia alienatum invenimus, quia domi esse non potest nisi nocte. Prima enim luce, dum uxor et liberi adhuc dormiunt, surgere et ad fabricam ire debet, meridie redire nequit, vespere demum aut nocte lassus fatigatusque domum revertit. Mox quietem quaerit, quia cras mane rursus ad opus est abeundum. Die autem Dominica, cum merito frui otio licet, ex laboribus totius hebdomadis ita fessus est, ut — non raro fit — per majorem partem diei dormiat.

Quid mirum, si reliquis horis, cum abhorreat animus a domesticae vitae similitudine, alibi voluptates quaerens cauponas

frequentat ibique cum sociis manupretium in liquida vertit?

Uxor ergo saepe per dies, per hebdomades integras tutela mariti privatur. Nam multi eorum, qui mercede operas suas locant, in oppido vicino in metallis, fodinis aut aliis locis occupati a vespere Dominicae usque ad sabbatum proximum, i. e. per totam hebdomadem absunt a suis. Sed etiam quibus per hebdomadem domi manere licet, et suam et familiae vitam accommodare debent negotii aut fabricae ordini. Certa hora sonitu campanulae ad laborem vocantur, prandent, cenant, finem laboris faciunt horis statutis. Non ipse operarius est herus domus suae, sed is qui cum in officinam recepit. Quot miseriae et mala ex hac rerum condicione oriuntur!

Pater, cui a Deo datum est, familiam regere eique praeesse, non adest, mater cum prole derelicta esse quodammodo videtur, nisi et ipsa fabricam adire sit coacta. Et pueri et puellae? Simulatque adolevit puer et ex schola dimissus est, sortem patris nactus tolerandae vitae causa ejusdem officii partes carpit variosque inter homines versari debet maximam diei partem. Quoties juvenes et puellae cum viris et mulieribus conjunctim officii fungi coguntur! Et quales sint sermones, qui his locis habentur, quam irreligiosi saepe et inhonesti, facile potest animo fingi. Diebus autem Dominicis? Natura juvenilis, per totam hebdomodem vi oppressa, defervescere vult libertate fruens. Sic exemplum patris et sociorum secutus juvenis idem facit quod ille aut adhuc pejora. Tantum abest, ut diem Domini sanctificet, ut — proh dolor! — profanet eum et violet et peccatis maculet. Corruptitur hoc modo tertia fere pars nostrae juventutis masculae.

Quid dicam de puellis?

Si munus ancillae suscipiunt in familia vere christiana et religiosa, quae suum esse putet, puellos custodire et defendere a periculis pietati, religioni, moribus imminentibus, res bene se habet. Saepe autem hae puellae, obedientiae et laboris domestici peritaesae, male et imperfecte educatae, ministerium relinquunt et meliorem, ut ipsis quidem videtur, ineunt quaestus faciendi rationem, fabricatoribus plerumque sese locantes, quibus si serviant, plus se mercedis accipere et libertate majore frui sciunt. Quales uxores et matres postea erunt hae!

Eadem, quae hic de familiis operariorum attulimus, de multis aliis hominibus exponere possumus. Quot patres a familia abesse coguntur per longissimum saepe temporis spatium! Quot mercatores et industriosi multis negotiis distenti et plane obruti liberorum aliis tradunt curam, quia ipsis tempus deest prolis bene ac pie educandae et observandae. Nimirum pater saepe officio suo ita est occupatus ut nihil aliud ejus esse videatur, nisi familiam nutrire necessariosque ei victus praestare.

Naturae vis inferri non potest impune. Ex legibus naturae et secundum ordinem christianum vir esto caput familiae, uxor adjutrix eius et liberi ei subditi sint. Sed quomodo hoc fieri potest, cum vincula fere omnia, quibus parentes inter se et cum filiis consociari debent, diruta ac paene disjecta sint? Hodiernis temporibus uxor, cum aut domi sibi sola commissa aut ipsa negotium quaerere coacta sit, ad alterius voluntatem se conformare vel opum eius indigere desueta viro, capiti familiae, non iam obedire vult, sed ejusdem atque ille juris esse cupit.

Paulus contra virum caput mulieris dicit sicut Christum ecclesiae.

Tantum autem abest, ut hae res insananae, quae in multis matrimoniis exstant, sanentur atque ad naturam reducantur, ut tamquam „jura mulieris“ legibus rigidis atque frigidis confirmantur. Itaque hodie, cum hae vitae conjugalis rationes a plurimis rectae et justae et consentaneae habentur, magna pars virginum matrimonium ineuntes pactum quodammodo sociale se cum marito contrahere eoque facto multa sibi jura data esse opinantur, quae ut observentur, gazetæ mulieribus scriptae, in primis eae, quae ex professo jura earum defendunt, monent atque hortantur. Non vult, quae moderatam se vocat, uxor esse pia, obediens, religiosa, fidelis, quae, adjutrix cum sit mariti, id cum eo studeat, ut familia bene beateque vivat et finem aeternum spectet. Et quid de iis, quae male aut insufficienter educatae et eruditae officii domus et culinae fungi non possunt? Quid aliud, nisi ut moleste ferant matrimonium et rem familiarem, quam jamjam neglegunt?

(Porro tractabitur)

IN HODIERNUM PROGRESSUM

Francisci Xaverii Reuss

Carmen Anno MCM In Certamine Hoeffftiano Magna Laude Ornatum

Progredi nostrum vehementer ardet
Sæculum, rerum sitiens novarum;
Devium, lassum tamen usque Porro
Clamat Eamus.

Progredi recte didicit viator,
Qui sibi metam posuit decoram,
Hucque per calles studet aptiores
Tendere cursum.

Sic tibi virtus, homo, prosequenda;
Sic fides, candor, pietas pudorque,
Caritas demum, sociata pulcro
Foedere juri.

Artium posthaec eris et bonarum,
Si placet, cultor; speculator idem
Virium, legum quibus, orbe toto,
Singula constant.

Hac via nostrum reliquis praeivit
Saeculis saeculum, latebrosa solers
Vela naturae penetrare, miram
Saepe per artem.

En vapor rhedas agit atque naves;
Jamque successit nova vis vaporis:
Fulgur, adstrictum, posito furore,
Volvere currus.

Fulgur et filo properat loquaci
Jussa longinquis tua ferre terris;
Reddit et cantum, rutilamque gaudet
Fundere lucem.

Phoebus ignito tibi penicillo
Pingit actutum nitidas tabellas:
Pingit, arcanis radiis, vel ima
Corporis ossa.

Astra, per discum vitreum reflexa,
Aspicias coram; petis ipse caelum,
Serica sphaera tumidaque vectus:
Icarus alter.

Cuncta jam tellus homini patescit:
Sinici regni cecidere valla;
Panditur Nili caput aestuosum,
Nixque polorum.

Quidquid Aegyptus sua per sepulcra,
 Quidquid inscripsit Ninive per udos,
 Abdita lingua, lateres: recenti
 Notuit aevo.

Omnis et mundi plaga jam ministrat
 Quae plagis desint aliis: metalla,
 Ligna, frumentum, tibi quodque sano
 Prosit et aegro.

Haurit ex ipsis medicina morbis
 Virus, et, diram domitura tabem,
 Tabe cognata, vacua venenis
 Imbuit artus.

Parque chirurgum juvat ars: salubri
 Qui stilo pungit cerebrum; cavumque
 Pectus incidens, lavat, ungit, aptat,
 Viscera sarcit.

Machinae tandem quod ab officinis
 Prodeunt, aevi monumenta nostri!
 Quae suunt, et nent, et arant, et arva
 Prataque tondent;

Quae, levi tactae digito, papyros
 Litteris ornant; vel ubi centur
 Axe, librorum pariunt repente
 Plena canistra;

Quae sinum terrae reserant, et imis
 Extrahunt stratis latices, opesque
 Fossiles, gressus ubi saeculorum
 Cernere fas est;

Quae maris siccant freta; quae, per
 [Alpes,
 Nunc iter caecum terebra recludunt;
 Nunc struunt turrim, Babylonis arce
 Altius actam;

Nunc minus rectam seriem domorum,
 Vix Atlanteis humeris movendam,
 Transvehunt, pastor sua sicut aufert
 Linea tecta.

His quidem nostrum merito superbit
 Saeculum gestis: nihil unde manat
 Noxii, vitae nisi negligatur
 Cura futurae.

Ast idem saeculum minime probandas
 Saepe res jactat, quibus heu! retrorsum
 (Turpis ut cancer) graditur, minaces
 Inter abyssos.

Aurei mores ubi sunt avorum?
 Quis sua vivit, per agros, per urbes,
 Sorte contentus? fieri nec ambit
 Celsior aequo?

Rusticis passim sua deseruntur
 Rura, pellectis specie dolosa
 Urbium, quarum vitiata pagos
 Inficit aura.

Cum fames auri genus omne nostrum
 Mordeat, pauci bona civitatis
 Possident cives; labor atque egestas
 Dos reliquorum.

Invidet pauper locupletiori
 Cuique; nec raro locuples egenum
 Opprimit: qui, spe viduus, ruinas
 Volvit atroces.

Grande vectical gravat et minutae
 Ordines plebis: nihil ut, tributo
 Caesari penso, miseris supersit
 Panis et aeris.

Quidquid in fiscum fluit aeris, illud
 Miles absorbet nimius, furorque
 Arma cudendi, paritura vastas
 Undique caedes.

Gens enim gentem superare certat
 Arte ferali citius necandi
 Hostium plures: rediisse credas
 Ferrea saecula.

Nec faces belli studiosa pacis
 Haga restinxit, truciora quae vix
 Tela damnavit, neque praeliorum
 Sustulit ansas.

Ista ne laudes fera gesta nostrae,
 Lector, aetatis: quibus antefertur
 Bruta vis juri, libitum decoro,
 Morsque saluti.

Vivis in terra peregrinus, aevo
 Natus aeterno: tibi cura princeps
 Haec sit, ad caelos pius ut viator
 Progrediare.

Fossae sagittariae a quo sint inventae

In fodiendis, quibus in praesenti bello milites utuntur, fossis longe aliud eos atque veteres sequi consilium nemo, credo, est qui ignoret. Nam illi, ut Romanorum Graecorumque docent scripta, ideo imprimis fossas fecerunt, ut terra inde egesta congereretur fieretque ita vallum, quod praesidio esset castris, naturali hoc muro undique cingendis. In his securi milites dies noctesque peragebant, etiamsi hostis obsideret, quasi, ut ait Vegetius, muratam civitatem viderentur secum ubique portare.

Haec murata civitas ipsa nostris militibus fossa est, quippe quae non, ut illo tempore, castra circumdet, sed, seu recessit pugnans seu progressus est exercitus, quantumcumque tenet occupatum, ab hostium finibus dividat eorumque ab irruptionibus defendat atque tueatur. Non singula ergo castra vallo hodie fossaque munita sunt, sed, cum statarium omne sit fere bellum, tota quodammodo belligerantis populi terra quaeque olim castra dicebantur, eorum nunc fossa praestat vicem. Nam, quamquam quae cibaria, quae tela, quae res ad milites missas vel ab iis mittendas aliosque comestus supportant vehicula paulum abesse oportet, tamen, si fieri ullo modo potest, tam frequens illa inter fossasque habetur commercium, ut qui, quod Plinius de textoribus narrat, sub terra opus agunt suum, nulla re ad vitam — militis scilicet — necessaria careant. Quantum enim ex quotidianis officiis superest otii, id, prout lubet, legendo scribendo, ludendo confabulando, dormiendo tabaci fumum sugendo licet consumere. Non multo aliter ergo nostrae aetatis miles in terrae, ut ita dicam, cavernis vivit, quam Romani vel Graeci in castris suis stativis. Ac nisi quis protervus hostis casulam paulo ante summo labore ex omnis generis materia exstructam et in villae speciem quoquo modo ornatam pyrobolo deleat vel, ut accidit, hostilis sclopeti glandes in ollam incidant cibo vixdum ex culina ambulatoria petito repletam, etsi maiora in dies pluribusque ex partibus imminent pericula, qui in Flandria nunc, in Francogallia, in Polonia pro patria sua dimicant milites, ii haud minus securos se tutosque in speluncis suis subterraneis sentiunt neque, ut ex literis domum scriptis apparet, minore iocantur hilaritate ac festivitate, quam qui olim in

Salaburgensi vel Vindonissensi castello impetus hostium exspectaverunt.

Quis autem invenit vel primus defossit has specus ad vitam militum in bello tutandam?

Narrant militarium rerum scriptores celeritate sui in terram infodiendi neminem parem esse Russis. Qui artem illam in Manduria bellum gerentes a Iaponiis didicisse eamque, cum utilissimum esse strategema intellexissent, summa mox diligentia exercuisse atque excoluisse dicuntur. Nec vero tam longe fuit illis doctrina repetenda, dummodo, quod antea in Turcarum bellis experti erant, melius in usum convertere scivissent. Nam quod novissimum fere hoc tempore putatur inventum, id, ut alia multa, diu iam in usu fuisse satis constat.

Nonne iam duodevicesimo saeculo Turcae magnum in hac belli gerendi ratione ponebant studium multumque fossis utebantur, ut, quoad fieri posset, tuti essent a telis tormentorum?

Hoc sane scriptum legimus in literis a Carolo Josepho principe de Ligne ad comitem de Ségur missis, ad quas breviter postea sum reversurus. Erat ille, ut notum esse opinor, summi et austriacarum et russicarum copiarum ducis titulo ornatus, quamobrem, cum Catharina, imperatrix Russorum, anno 1787 Turcis bellum indixisset, ei et ipse operam suam obtulit. Ad amplissimum statim in exercitu provectus gradum, cum initio falacis dolisque Potemkini impediretur, rebus feliciter procedentibus magis magisque, quid posset, aperuit annoque 1789 socius fuit Laudonis in urbe Singiduno expugnanda.

Quas omnes in expeditione turcica res gestas princeps de Ligne, vir utique literatus, describit in epistulis, quas supra memoravi. Haec autem in sexta earum kalendis Septembribus anno 1788 ex castris Otshakow datis inveniuntur:

„Duae sunt res, quibus optime in bello Turcae adjuvantur. Sciunt primum equitatus sui motibus mirabiliter, ubi sint, celare; deinde in aperto vel munitionibus scobes fodiunt, quibus se ab telis hostium tormentis missis tueantur. Suam quisque militum habet specum, in qua subsidentes exspectant, dum globi in se conici desiderunt.

Carmina Germanica

in latinum convertit

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis

Mori pro Patria

Friderici Hoelderlini carmen ‚Der Tod fürs Vaterland‘

O proelium, instas! iam iuvenum cohors
Ruit deorsum collibus e suis,
Sursumque grex sicariorum
Nititur arte manumque fretus.

In hos sed illi promptius incidunt:
Iusti potis sunt caedere ceu magi.
Et patriam laudante cantu
Debilitant genua improborum.

O vos, mihi concedite vos sequi,
Ne quando turpi dispeream nece!
Obire frustra non amo; sed
Marte mori cupio feroci

Pro patriaque effundere sanguinem,
Pro patria! — mox sic erit: ibimus,
Carissimi, qui nos amare
Atque mori docuistis, ad vos!

Quam saepe vivus vos, veteris duces
Vatesque saeculi, cernere gestii!
Nunc me salutatis minorem
Advenam et excipitis sodalem.

Eques Toggenburg

Friderici Schilleri carmen ‚Ritter Toggenburg‘

„Germanae nostrum cor, eques, tibi praestat amorem;
Ne poscas alium —, fit dolor inde mihi.
Aequo sis animo veniens aequoque recedens:
Quid lacrimae oculi nescio, crede, tui.“
Audit eques maerens, dat collo brachia mutus,
Percussus saevo vulnere scandit equum.
Convocat ad se quos Helvetia pascit amicos;
Iam cruce distincti sacra sepulcra petunt.
Illic magna gerunt heroes laudeque digna;
Per medios hostes flammea crista volat.
Ac Toggenburgi terretur nomine Turca;
Nec vero cordi convaluisse datur.
Annum quod tulerat, dux iam non sustinet ultra:
Non compos pacis deserit ille suos;
Et navi Ioppes in litore vela parante
Tendit, qua virgo spirat amata, domum.
Turris ibi celsae notam quatit advena portam,
Ex qua reclusa vox tonat horribilis:
„Ah, quam quaeris, eques, sumpto velamine caeli
Sponsa, est hesternae luce sacrata Deo.“
Iamque lares patrios miser aevum linquit in omne,
Spernit equum fidem nec videt arma sua;
Omnibus ignotus proavum descendit ab arce:
Membrorum speciem texta pilosa tegunt.
Exstruit atque casam, tiliis ubi subter opacis
Seria prospiciunt moenia coenobii;
Solutus in hac a mane manens ad vesperis ortum
Assidet; in muto spes nitet ore bona;
Coenobium contra multas spectatque per horas,
Donec dilectae parva fenestra crepat,

Donec spectatur dulcissima, donec imago
 Despicit in vallem cara, serena, pia.
 Denique decumbit suavi premiturque sopore
 Gaudia commentans cras reditura sibi.
 Sic multosque dies annosque dolore solutus
 Exspectat, donec parva fenestra crepat,
 Donec spectatur dulcissima, donec imago
 Despicit in vallem cara, serena, pia. —
 Sic funus sedit quodam mane ore fenestram
 Tunc etiam placido palliduloque tuens.

Num principes Europaei Germanice loquantur

Scripsit Gualterus Bubbe Halensis

Hac de re ad omnes nostrae linguae amatores seu ipsi Germani sunt, seu peregrini pertinente in actis publicis Hallecher Courier inscriptis haec fere invenimus disputata.

Paulo ante bellum unus ex iis quos *Immortels* appellant Parisii vehementer questus est linguam Francogallicam non diutius obtinere principatum, toto orbe terrarum in eius locum succedente Germanica. Hac aetate qui Germanice quae lingua esset virorum doctorum nesciret, fieri non posse ut is litterarum studiis se daret. Mercatores quoque magis magisque linguam Germanicam anteferre Francogallicae, quin etiam Anglicanae parem ponere neminem ignorare. In aulis principum solis, apud legatos vel rei publicae rectores et consilii publici auctores illam adhuc linguam aliquid valere.

Tamen quod attinet ad aulas principum Europaeorum, cum ubivis lingua nostra vernacula fieri incipiat sermo communis, ne haec quidem sententia omni ex parte vera est. Ut qui singulis praesunt civitatibus circumeamus, regis Britannici in aula ex quo princeps Albertus in matrimonium duxit reginam Victoriam, mos est, ut aulici purpuratique sciant Germanice. Quam linguam filii regis didicerunt et adhuc discunt; quin etiam Eduardus VII., quem favisse Germanis nemo qui aperto animo est affirmabit, sermonem conferens cum Germano eius lingua sola utebatur. Vindobonae in aula imperatoris linguam nostram plurimi aestimari consentaneum videtur. Item et Norvegorum et Suecorum reges amicissimos semper se Germanis praestiterunt. Memineris quaeso Oscarium II. regem Suecorum linguae nostrae tam intelligentissi-

um fuisse, ut quaecumque apud Goethium nostrum legerat, optime ipsius sermone posset reddere. Deinde Alfonsus rex Hispanorum studiosus est linguae Germanicae eaque commode atque expedite uti dicitur, quod ad studium a patre, quippe qui Vindobonae a magistris Germanicis educatus sit, incitatum esse iure licet conicere. Uxor autem illius sermone nostro non loquitur, ne Victor-Emanuel quidem rex Italarum, cum regina carmina aliaque scripta poetarum Germanorum magno cum gaudio legat atque admiratione. Hanc quoque nostrae amorem linguae a patre accepisse credendum est. Nam Nicita, qui in montibus nigris regnat, scientissimus intelligensque aestimator literarum patriae nostrae habetur. Solet quotidie acta diurna in Germania edita et libros Germanice scriptos legere suosque ipsius libros a quodam Germanice redditos accuratissime correxerit. Apud regem Bulgariae lingua Germanica, cum regina Eleonora non satis indigenarum sermonem noverit, ea est, qua omnes qui in aula sunt utuntur. At omnium nostratium animis magno sine dubio est dolori quod principes Germanici qui externarum gentium reges sunt creati, linguam vernaculam oblii indigenarum sermone solo utuntur. Carolus rex Romaniae, quamquam Carmen Sylva eius uxor lingua Germanica fabellas finxit quae ab omnibus laudantur, patrio tamen sermone parcissime solebat uti. Alexandra imperatrix Russia cuius patria est Chattorum regio itemque Militza coniux heredis regni Montenegrini quae nata est Meckelburgi, exemplum eius sequuntur. Imperator Russorum, cum in Germania erat, Germanice interdum colloquebatur.

Ex Ernesti Holzeri Scriptis Latinis

Ernestus Holzer, qui obiit anno 1910 cuiusque nomen, satis notum est in Virtembergia, erat professor veterum linguarum in gymnasio Ulmensi linguaeque latinae inter paucos peritus. Multi quidem amicos eius audiverunt narrantes eum iam philologiae studiosum sententias illas difficillimas, quae seminarii philologi Tubingensis proponuntur sodalibus, sine ulla haesitatione ex tempore in latinum convertisse. Nec doctissimum modo philologum se praestabat, sed etiam optimum magistrum. Nam quicumque disciplina huius viri usi sunt, laudas facilitatem eius docendi, miram in interpretando explicationem, summum ingenium atque iudicium, singularem erga discipulos comitatem. Sale et facetiis omnes vicit collegas et multa eius dicta hodie quoque in Suebia circumferuntur.

Artis musicae semper fuit amantissimus et de Wagnero quoque, nisi fallor, librum scripsit commendatissimum. Neque ergo dubium mihi videtur, quin, si in universitate his de rebus docere ei contigisset, eas cum fructu et voluptate audientium tractaturus fuerit.

Dignas Holzero laudes tribuit Elisabeth Foerster-Nietzsche, soror philosophi clarissimi, in commentario, qui *Zukunft* inscribitur. Erat enim ille cultor Nietzschei diligentissimus et in hoc quoque genere scientiae multum auctoritate valebat apud doctos. Edidit philologa Nietzschei scripta iamque de philosopho iuvene librum in manibus habebat, cum morte praematura absumptus est.

Haec fere Wellerus mihi noster scripsit quaedam de Holzero philologo petenti. Quod cur facerem, haec erat causa.

Sunt nescio quot menses, cum catalogum antiquarii cuiusdam bavarici perscrutans, Süpfli cum indicata viderem exercitia, in magnam miramque adductus sum exspectionem. Ad-diderat enim bibliopola se praeter ipsum librum latinam quoque conversionem venalem habere ab Holzero confectam, quem, etsi nil nisi nomen eius noveram, optime latine scivisse non ignorabam. Petivi statim, ut mihi mitterentur commentarii. Vix autem scripseram, cum Bavarus ille me certiore fecit alium iam eundem libellum emisse nullumque scilicet exemplum superesse. Iterum scripsi quaerens, quis emisset, tandemque rescivi praeceptorem quendam gymnasii Landsbergensis felicem esse translationis a me tantopere desideratae possessorem. Non oportet dicere me sine mora illum quoque per literas adisse isque, qua erat humanitate, precibus meis liberaliter obsecutus unum de exercitiis ipsius manu descriptum ad me remisit. Has per ambages contigit, ut etiam Scriptoris nostri lectoribus, quam comode Holzer usus sit lingua latina, uno scriptorum eius specimine possim demonstrare. Est autem, quod hic offero, in parte altera libri memorati et quidem editionis vigesimae secundae exercitium sexagesimum sextum; in tertia et vigesima editione frustra illum quaesivi.

Deutschlands Erhebung zur Wiedererlangung der Freiheit

Nachdem im Jahre 1812 jenes ungeheure Heer, welches der Kaiser der Franzosen nach Rußland geführt hatte, teils durch die Heftigkeit eines ungewöhnlich harten Winters, teils durch das Schwert der Feinde und durch andere Unfälle beinahe ganz aufgerieben und dadurch die Macht jenes Alleinherrschers so erschüttert worden war, daß sie sich nachher nie wieder erholte, so glaubten die meisten Völker Europas, daß der Tag gekommen

Anno 1812, quum ingens ille exercitus quo Francogallorum imperator Russiam petierat, partim frigore solito acriore, partim hostium ferro aliisque calamitatibus paene totus periisset eaque re principis opes adeo essent percussae, ut numquam postea refecta sint, pleraeque Europae gentes illuxisse existimabant diem eum, quo turpe servitutis jugum excutere et libertatem vindicare possent. Verum oportebat tale aliquid accidere, ut renovarentur ad spem li-

sei, wo sie das schmäbliche Joch der Knechtschaft abwerfen und ihre Freiheit zurückfordern könnten. Aber es mußte auch in der That ein Ereignis derart eintreten, um die Hoffnung auf Freiheit in den Herzen der Menschen wieder zu erwecken, da es den Anschein hatte, daß Napoleon, wenn er Rußland unterjocht hätte, durch keine menschliche Macht mehr überwunden werden könnte. Auch fehlte nicht viel, daß er seinen Plan, sich zum Herrn von ganz Europa zu machen, durchgesetzt hätte. Wenigstens schien nach der Einnahme von Moskau der letzte Hoffnungsstrahl der Freiheit geschwunden zu sein. Allein gerade in diesem Augenblicke ereilte den übermütigen Sieger das Schicksal. Und nun zeigte sich unter den Völkern Europas, und besonders im gesamten Deutschland, ein so großer Haß gegen die langjährige Knechtschaft, ein so einstimmiger Wunsch nach Wiedererlangung der Freiheit, daß alle voll Freudigkeit zu den Waffen eilten und keiner sich weigerte, für die allgemeine Rettung entweder die größten Anstrengungen und Gefahren zu ertragen oder sein Vermögen zum Opfer zu bringen oder (sogar) sein Leben einzusetzen.

bertatis hominum animi, si quidem Napoleo expugnata Russia nullis deinde humanis viribus superari posse videbatur. Nec multum aberat, quin perficeret id, quod ceperat consilium, totius Europae imperium capessendi. Moscovia certe capta ultima spes libertatis videbatur evanuisse. Tum vero maxime victor insolens fortunae vi oppressus est. Ac tantum jam cum inter ceteras Europae gentes, tum Germanos universos exstitit odium tot annorum (diutinae) servitutis, tantus populorum ad recuperandam libertatem consensus, ut omnes libentissimis animis ad arma concurrerent, neque abnueret quisquam omnium, quin pro communi salute vel maximos labores, maxima pericula perferret vel rei familiaris jacturam faceret vel vitae periculum adiret.

Sperandum est beneficio atque permissu eius, qui possidet libellum, paucas alias ex praestantissimis his commentatiunculis publicari posse. L.

Horae Subsecivae

Carmina recentioris aevi Latine reficta a Fr. Palata

In amicam absentem

[Göthe: So hab' ich wirklich dich verloren]

Tu-ne me liquisse potes, venusta?
Te carebo tempus in omne solus?
At tua dulci mihi adhuc loquela
tintinat auris.

Ut viator mane recente frustra
tollit adspectum superas in auras
nec tamen, cuius melos haurit aure,
cernit alaudam:

sic ego silvas, frutices et arva
anxius lustrō revocans fugacem
te meo cantu. Remeare tandem,
cara, memento!

Fidus commilito

[Uhla: d: Ich hatt' einea Kameraden]

Sincerus mihi erat comes
bellanti: dederat cum tuba classicum,
haerebat lateri meo
aëquabatque meis cum gradibus gradus.
Glans stridit prope plumbea:

quem nostrum feriet? Proh! socius cadit
 nostros saucius ad pedes.
 Dextram deficiens porgere mi studet,
 ictum quando paro. „Mihi
 dextram — da veniam! — prendere non vacat:
 oris in superis fide
 sincerus mihi sta iamque, puer, vale!

In fraxinum adveniente hieme

(Heyduk: Krátky cas a pusto vsecko)

Velox hora ruit: minax
 rus deforme subit cum glacie gelu
 et iam cana pruina te
 floccis innumeris, fraxine, contegit
 et sors dura Novembribus
 sensim frigoribus te exitio vocat.
 Velox nox ruit: aridos
 ramos aethereas porrigis in plagas
 poscens rite deos opem.
 Frustra! iam foliis exueris tuis,
 iam leto capëris, mihi
 extremumque refert silva tuum. Vale!

PROGRAMMA

Certaminis Poetici ab Academia Regia Disciplinarum Nederlandica
 ex Legato Hoeuftiano in annum MCMXVI indicti

Idibus Martiis in conventu Ordinis
 Literarii a iudicibus ita est relatum de
 XXIII carminibus, quae ad tempus iis erant
 tradita:

Statim reiectum est carmen c. t. *Titus
 Centurio*, quod vel propter gravissima quibus
 scatebat vitia metrica vix carminis nomine
 dignum videbatur.

Neque multo magis placuerunt septem
 haec: *De virtute bestiae non bestiali, Lu-
 minis expertes, Ad Pacem, Automaton, Belli
 vis, Erimi Jesu amores, Bellum.*

Praestabant his quinque, quae tamen
 post aliquam deliberationem parum digna
 visa sunt quae legati sumptibus in lucem
 ederentur: *De caede Serajewensi, Ev tosto
 vixa, Curialium, Iudithae Oloferne obtrun-
 cato Bethuliam reditus, In arcum quandam
 Augusti semirutum.*

Restant decem optima quae libenter
 publici iuris facimus, lectu iucundissima,
 vera verorum poetarum atque artificum
 vera. Eorum titulos sic enumeramus ut
 quodque est praestantius eo posterius
 ninetur (atque idem et eorum fuit ordo
 ae supra commemorata sunt): *Anticato,*

Sophronia, Pacis augurium, Satelles, Aquileia, Superstes sibi, De Margaritis, Planasia,
 denique duo quorum utri palma esset adiu-
 dicanda sententis iudicum numerandis effici
 debuit, quorum unus praeferebat carmen c.
 t. *Pueri Ludentes*, duo illud quod ΜΥΗΜΟΣΥΝΟΝ
 erat inscriptum. Hoc ergo aureo est or-
 natum praemio, atque aperta scidula pro-
 diit poetae nomen Franciscus Xaverius
 Reuss. Et carminis c. t. *Satelles* scidula,
 id quod petiverat poeta, statim est aperta:
 huius poetam esse apparuit Antonium
 Faverzani.

Reliqua illa octo: *Anticato, Sophro-
 nia, Pacis augurium, Aquileia, Superstes
 sibi, De Margaritis, Planasia, Pueri lu-
 dentes* sumptibus legati Hoeuftiani in lucem
 emittentur, si eorum poetae nobis ante Ka-
 lendas Iunias scidularum aperiendarum de-
 derint veniam.

Ad novum certamen cives et pere-
 grini invitantur his legibus ut carmina latina,
 non ex alio sermone versa nec prius edita
 argumentive privati, nec quinquaginta ver-
 sibus breviora nitide et ignota iudicibus
 manu scripta, sumptu suo ante Kal. Ian..

anni proximi mittant ad *Hermanum Thomam Karsten*, Ordinis literarii Academiae ab-actis, munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poetae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poetae in transscribendo portabile prelum Britannicum (typewriter) adhibebunt, et si, quemadmodum in *editionibus* poetarum latinorum fieri solet, inde a vs. 5 sextum quemque versum numero ornabunt.

Præmium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenum. Carmen præmio

ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur, eique subiungentur alia laude ornata, quando scidulae aperiendae venia dabitur. Hoc ante Kal. Iunias fieri debet.

Exitus certaminis in conventu Ordinis mense Martio pronuntiabitur; quo facto scidulae carminibus non probatis additæ Vulcano tradentur.

Amstelodami Ips. Kal. MCMXV

P. D. CHANTEPIE DE LA SAUSSAYE
Ordinis Praeses

Exitus certaminis hoc anno hic fuit: Aureum præmium reportavit FRANCISCUS XAVERIUS REUSS poeta carminis c. t. MNEMOSYNON. Praeterea novem carmina hoc ordine recipientur in volumen sumptibus legati edendum: *Pueri ludentes* CAMILLI MORELLI, *Planasia* ALOISII GALANTE, *De Margaritis* ALFREDI AUGIAS, *Superstes sibi* ALEXANDRI ZAPPATA, *Aquileia* IOANNIS CALDANA, *Satelles* ANTONII FAVERZANI, *Pacis Augurium* ALPHONSI M. CASOLI, *Sophronia* ALFREDI BARTOLI, *Anticato* PETRI ROSATI.

Ex Epistulario Redactoris

Videtur mihi Scriptor tuus, qui latinam eamque elegantem in quotidiana propaget vitam utendam, magnum atque utile opus suscepisse. Studet igitur eam explere lacunam, quae culpa magistrorum linguam viventem ut mortuum cadaver tractantium est effecta. Qui in scholis plerumque exercetur atque discitur sermo, is morti obnoxius sit necesse est, quia necessaria ad loquendum colloquendumque desunt exercitia omnisque verborum copia paucis paucorum scriptorum, qui supersunt, libris continetur. Hi vero nequaquam sufficiunt nostrae aetatis rationibus. Huc accedit, quod humanistae, parum intelligentes vitae linguarum, pro eo, qui tum temporis in omnium ore erat, sermone nulla nisi classica illa Ciceronis aliorumque oratione utendum esse contenderunt, unde fit, ut nunc difficillimum sit, tale colloquarium, ut ita dicam, componere. Tamen, si suas quisque vestrum susceperit partes singulisque Scriptoris

numeris aliquid erit publicatum, paucis annis manuale latinum confectum iri ego quidem vehementer confido. Vale.

Dr. N. O.

E fossa sagittaria Galiciae, pridie Kal. Maias XV.

Vir doctissime! — iam diu haec chartula latebat in capsula ad litteras accipiendas destinata; sed defuit tempus seu otium. Nunc, postquam e fossis Francogallicis, in quibus tam diu morati sumus, in Galicicas translatus sumus, nactus sum quod diu desiderabam. Accepistine chartulam, quam mense Ianuario e „Kloster Zinna“ Brandenburgensi ad te dedi? Optime valeo, quod tibi quoque ominor. Saluta, quaeso, meis verbis omnes „Scriptoris“ lectores, quos ne amicis nostrum a sociis desertum perire patiantur enixe rogatos velim. Equidem legendo solum te cumque adiuvare possum. Tu ipse vale atque salve!

Tibi addictissimus
Fr. Fridolinus

Sententiae

Est consuetudo regum, ut casus adversos hominibus tribuant, secundos fortunae suae.
Nepos

Qui stultis videri eruditi volunt, stultis eruditi videntur.

Varia

Latinitas castrensis

In actis diurnis Chemnitziae in Saxonia prodeuntibus et „Allgemeine Zeitung“ vocatis nonnulla nuper legantur vocabula latina ad vitam militum in fossis operibusque occupatorum spectantia. Sunt, quemadmodum qui miserat ea ex acie scripsit, particula ac tamquam adumbratio maioris lexi universam castrensis quae dicitur latinitatis copiam complectentis. Interpretationem germanicam ipse qui composuerat symbolas adiecit. Audite nunc, lectores carissimi, quae ex ephemeride illa vobis seleg:

lacus	der Schützengraben
cotidie	das Himmelbett
nervus rerum	der Feldküchenkaffee
maxima celeritas	die Feldpost
ubi terrarum?	das Paket
non plus ultra	die Ersatzreserve
olim	die Zahnbürste
ridiculum	das Fliegerschiessen

semper aliquid haeret
beatus ille homo
tristitia
ultima ratio
quam multa!

semper in via
box magna
horribile dictu
nolens volens
tardim
esperantia nostra

quousque tandem?
Jupiter tonans
homo
homo sapiens
sine ira et studio
siquis sequens!
suspicionem

der Anmarschweg
der **V**erpflegungsoffizier
die **F**ingernägel
der **S**andsack
das **L**iebesgaben-

müffchen
die Gefechtsordonnanz
das Maschinengewehr
das Drahtverhau
das Quartier
die Ablösung
upere „Schwere“ scil.
[Artillerie]

die Kommissstiefel
der Musikmeister
der Leutnant
der Adjutant
die Feldküche
der **B**lindgänger
die Liebesgabenzigarre

Est igitur res, ut exemplum ostendit, felicissime inchoata. Videat Teubnerus, ne quid ipsius Thesaurus detrimenti capiat ex novo opere tantum promittente, caveant quoque alii editores lexicographi huius ex infimo sua eruentis aemulationem! L.

Petit redactor,

ut, si quis lectorum habeat hos libros:

Sepp, Varia
Eichholz, Lateinische Zitate
Gossmann, 777 lateinische Sprüchwörter
Döderlein, Frustula
Abei, Versus memoriales
Bürger, Gedanken und Tatsachen
Büchler, Gnomologia
Knie, Geistesblitze
Allotria (Berlin, Denicke)

unum alterumve sibi commodet in paucos dies. Vecturam aliasque impensas libentissime se pollicetur praestaturum.

Responsorium

M. A. bei all ihrer Wildheit = in summa feritate; eam interpretantur sapientiam, quam . . . = verstehen unter Weisheit etwas, was . . . ; was für einen Sterblichen bisher unerreicher (noch keinem Sterblichen erreichbar) gewesen = quod nemo adhuc mortalis est consecutus; ahnungslos nihil periculi (insidiarum) suspicans, nullam per. (ins.) suspicionem habens, latentis peric. ignarus, imminentis mali nescius, imprudens; es ist für die Erörterung dieser ganzen Frage von Wichtigkeit, zu = pertinet ad hanc omnem quaestionem (inf.); da es (aber) bekanntlich zwei Arten von Rednern gibt = (sed) quoniam duo sunt oratorum genera; von rascher Überlegung (raschem Entschluß, r. Entschlußfähigkeit) = cogitatione celer; bei Erledigung seiner Korrespondenz = (in) literis dandis; aber nur, wenn

du nicht = ea tamen condicione, ne . . . ; das gehört zu seinen Familientraditionen = est hoc ei gentilicium (liegt bei ihm so in der Familie); alles, was ich (mit) erlebt hatte = omnia, quibus interfuera: die Sonne brennt direkt auf den Dachfirst sol ipsi culmini (domus, aedium) insistit; einen Separat(Sonder)frieden schließen cf. Caes., b. G., 7. 63, 9.

G M Varia belli fortuna est: quid miraris? Nec semper se recipere idem est atque fugere. Scisne quid Tacitus dicat de Germanis pugnantis? „Cedere loco, dummodo rursus in stes, consilii quam formidinis arbitrantur“ (Germ. 6). Acta diurna Mediolano accipi. Neapolitana exspecto. Valeas.

N. R. O te hominem festivissimum! Talia etiam conaris in latinum convertere idque severo hoc tempore? „Sie haben viel tausend Gemächer“: In animis virorum multae (sescentae) sunt latebrae multique recessus (cf. Cic. pro Marc. 7); „Maria

Theresia konnte den Verlust Schlesiens nicht verschmerzen": Angebot Mariam Theresiam Silesia amissa (cf. Liv. 21. 1. 5): „die Stützen der Gesellschaft": societatis praesidia (cf. Sall. generis pr.: difficile tamen hoc est ad vertendum). Ad primam sententiarum pg. 103 publicatarum cf. haec verba Frederici Magni: „Was sind wir doch für armselige Menschen! Nicht nach unseren Beweggründen urteilt die Welt, sondern nach dem Erfolg. Was bleibt uns übrig? Wir müssen Glück haben.“

B F. Num in carmine illo Thikötterano sonantibus legendum sit pro cantantibus, ego, cum libellum non possideam, nunc quidem diiudicare non possum. Ipse autem, ut primum eum accepero, videbo. Cetera in hocce numero correcta inveniuntur.

C. P. Pugnabit gens contra gentem et civitas contra civitatem (II. Chron. 15,6); Pugnabit civitas adversus civitatem, regnum adversus regnum (Ies. 19,2); Consurget gens in gentem et regnum in regnum (Matth. 24,7); Exsurget gens contra gentem et regnum super regnum (Mrc. 13,8). Plura mihi quidem ignota sunt.

Catalogi antiquarii:

Gustav Föck, Leipzig — Cat. 463: Klass. Phil. I. 1—3963 d (Auct. lat. 2132—3356 a, Neulat. 3427—3644).

E. Mussotter, Munderkingen — Cat. 97: Class. Altertumsk., 1—2973 (Griech. u. röm. Aut. 1—1455, Neulat. 1456—2030).

Libri censurae causa missi:

- I. Ph. Krebs, *Antibarbarus der Lateinischen Sprache*. 7. genau durchges. u. vielf. umgearb. Aufl. v. I. H. Schmalz. 2 Bd. Basel, Schwabe, 1905. VIII + 811 + 776 24 (28) M
- H. Menge, *Repetitorium der Lateinischen Syntax und Stilistik*. 10. verb. Aufl. Wolfenbüttel, Zwissler, 1914 XII + 579. 9 (10) M
- C. Kirchner, *Ausgewählte lateinische Gedichte von Paul Fleming*. Uebers. u. mit Einleit. vers. Mit d. Bilde d. Dicht. Halle, Hendel. 188. 075 (1.10, 2.25) M.
- A. R. Diebler, *Das Latein im täglichen Leben*. Leipzig, F. Hirt u. Sohn, 1915. 46. 0.60 M.
- B. Meissner, *Kurzgefasste Assyrische Grammatik*. Leipzig, I. C. Hinrichs, 1907. V + 80. 3,50 M.
- K. Heinemann, *Die klassische Dichtung der Römer*. Leipzig, Kröner. 245. 1,20 M.
- Lateinische Zitate*. (Miniatur-Bibliothek 698—700) Leipzig, Alb. Otto Paul. 128. 0,30 M.
- W. Suchier, *Hofgerichtsrat Dr. iur. Iohann Daniel Reyser (1640—1712) als lateinischer Dichter*. Borna, R. Noske, 1915. 67. 1.60 M.
- H. Menge, *Repetitorium der Griechischen Syntax*. 7. verb. Aufl. v. W. Schonack. Wolfenbüttel, Zwissler, 1914. 156. 4(4,80) M.
- M. Ioel, *Anleitung zur Erlernung der Polnischen Sprache*. 4. Aufl. Sorgfält. revid. u. teilw. umgearb. von W. Wicher-

kiewicz. Frankfurt a. M., Abendroth, 1887. XXII + 540. 4 M. [Schlüssel dazu 1.20 M.]

- A. Lwigrodzki, *Polnisch* (Metoula-Sprachführer). Berlin-Schöneberg, Langenscheidtsche Verlagsbuchhdlg. 170. [m. Karte d. poln. Sprachgeb.] 0.80 M.

Libri nostra aetate latine prodeuntes:

(Libri sine temporis indicatione ao. 1913 prodierunt. Numeri post titulum cancellis inclusi ad ampliorem illius indicationem revocant lectores, post pretium, quanti religatus constat liber, denotant.)

112. Dentella P., *Op. 74: Miserere*. Ad chor. trium vocum inaequ. org. vel harmon. comit. Bergamo, Carrara. 27.
113. Ferro, St., *Op. 16. In festo ss. Crucifixi: Vexilla regis*. Hymn. duab. voc. aequal., org. comit. Torino, Chenna. 9. 1.50 l.
114. Franco, C., *Laetatus sum*. Ad chor. duar. voc. inaequ., org. comit. Torino, Capra. 8.
115. Franco, C., *Psalmus CXXVI: Nisi Dominus*. Ad chor. duar. voc. inaequ., org. comit. Torino, Capra. 6.
116. Leoni, R., *Improperia Popule meus*. Ad chor. trium voc. viril. Torino, Capra. 5.
117. Mosso, I., *Missa pro defunctis*. Cum sequentia et exequiis, ad chor. duar. voc. aequ., org. vel harmon. comit. Torino, Capra. 32.
118. Mosso, I., *Psalmus 129: De profundis*. Ad chor. duar. voc. viril., org. vel harmon. comit. Torino, Capra. 5.
119. Napolitano, F. M., *Psalmus CXLV: Lauda anima mea*. Ad chor. duar. voc. viril., organo comitante. Torino, Capra. 5. 11.
120. Pagella, I., *In festo Ascensionis*. Proprium missae ad instar ed. vatican., org. vel harmon. comit. Torino, Capra. 5. 11.
121. Cereseto, Io. H., *Introductio generalis in sacros utriusque testamenti libros*. Vol. I p. I. Genua, I Padri della Chiesa. XXXI, 497. 5 l.
122. Cornelisse, E., *Supplementum ad tom. II Theologiae Moralis*. Ad Clar. Aquas, typ. Coll. S. Bonavent. 88. 1.50 l.
123. Micheletti, A. M., *Summula praelectionum paedagogiae ecclesiasticae specialis*. Ptes II,

- III. IV et VI (De rectore seminar. clericalium; De moderatore spiritus in sacr. seminariis; De vice-rectore semin. clericalium; De praefectis contubernior. in sacris seminar.) Romae, Pustet. XV, 534; 176; 235; 119. 13. 25 l.
124. Baggio, N., *Archaeologiae biblicae elementa ad scholar. us. accommodata*. Vicenae, Galla. 90, V. 1.50 l.
125. Euripides, *Hippolytus*. Cur. S. Rossi (Bibl. scriptor. graec. 5). Aug. Taur., Paravia & Soc. XV, 68. 1.20 l.
126. Monaco, N., *Praelectiones metaphysicae generalis*. Prati, Giachetti, fil. & soc. VIII, 350.
127. Belli, M., *Psalterium davidicum in us. scholar. et clericor. divin. officium recitant. breviter explanat., additis psalterii canticis*. Ed. II. Taurini, Marietti, '14. XV, 410. 3.50 l.
128. *Rituale Romanum. Pauli V pontif. max. iussu edit. et a Benedicto XIV auct. et castig., cui noviss. accedit benedictionum et instructionum appendix*. Ed. IV post typicam juxta constitut. Divino afflatu et noviss. s. r. c. decreta reformata. Aug. Taurin., Marietti, VIII, 531.
129. Hieronymus, *De viris illustribus liber singularis. Vitae S. Pauli primi eremitae, S. Hilarionis eremitae, Malchi monaci et epist. select., cum adnot. Io. Tamiettii (Lat. christ. script. in us. scholar. 1)*. Ed. XII. Torino, Libr. ed. Internaz. 260.
130. *Bibliorum sacrorum iuxta vulgatam clementinam nova editio, breviario perpet. et concordantiis aucta, adnot. etiam locis qui in monum. fidei sollemnioribus et in liturgia rom. usurpari consueverunt*. Cur. Al. Grammatica. Mediolani, Alegretti, '14. XVI, 1152, 21. 12 l.
131. *Factorum species et quaestiones a clero civit. et dioeces. Patavinae a. 1914 definiendae, quibus acced. factor. species ex theologia morali a. 1913 in urbana casuum congregat. definitae*. Patavii, typ. Seminarii. 31.
132. *Missale ambrosianum duplex (proprium de tempore) edit. puteo-*

- bonellianae et typicae (1751—1902), cum crit. commentar. continuo ex manuscr. schedis Ant. M. Ceriani*. Edid. A. Ratti et M. Magistretti (Monum. sacra et prof. opera collegii doctor. bibliothecae ambrosian., tom. IV). Mediolani, Ghirlanda. XXIV, 474.
133. Marinus, a Flor., *De viris illustribus ordinis minorum*. Romae, typ. Pontificia in instit. Pii IX. '14. XXIII, 296.
134. Brodmuehler, P., *De particulis interrogativis nonnullorum scriptorum aetatis argenteae*. Diss. Bonnae '14. 74.*)
135. Pagella, I., *Organum (harmonium) comitans facillimum ad miss. de S. Maria a Pentecoste usque ad Adventum*. Torino, Capra. 6. 1 l.
136. Amatucci, P., *Missae Virgo clemens, ad chor. trium voc. viril., organo vel harmon. comitante*. Torino, Capra. 32.
137. Bottazzo, A., *Quatuor hymni (Veni creat. spir.; Ave, maris stella; Infensus hostis gloriae; Iste confessor) ad chor. duar. voc. aequal. comitante organo vel harmonio*. Torino, Capra. 4.
138. Branchina, P., *Op. 12.: Missa brevis in honorem S. Nicolai Politi Adranensis, ad chor. unius vocis (alti), orgo. vel harmon. comitante*. Torino, Chenna. 18. 1.50 l.

*) Programmata scholarum, dissertationes aliaque similia emere cupientibus enixe commendari velim Gustavum Fock, bibliopolam Lipsiensem, qui cum is sit, ad quem omnia huius generis scripta confluant, aequis quaecunque desiderantur pretiis potest suppeditare. Red.

Corrigenda:

Multa reliquit typographus menda in operculi summario, quae tamen, cum non ipsi insint textui, hic praetermittuntur.

In latino carmine (pg. 94) britannicis sonis red-dito rectius legitur str. 1.1 yay, rec; 1.4 yooss, keeas, pry; 2.1 ooss.

Pg. 100 ¹	l. 28	lege: fait	pro: <i>faid.</i>
" "	1. 39	" phébus	" <i>phébus</i>
" 100 ²	1. 39	" Sal	" <i>Id</i>
" "	1. 44	" nihil	" <i>nihil</i>
" 101 ²	1. 6	" nonnullas	" <i>nonnullas</i>
" 101 ¹	l. 14	" pone comma	post <i>perfertur</i>
" 106 ¹	l. 10	melius: S. D. P. pro	<i>S. P. D. scribendum</i>

Aenigmata

composuit

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis

A	A	A	A	A	A	A
	A	A	A	A	A	
B	B	B	B	C	D	E
F	E	E	E	E	G	G
	G	G	H	I	I	
I	M	M	M	M	N	N
N	N	N	O	P	R	R
	S	S	S	S	T	
T	T	T	U	U	U	U

2

Lector, is es, quem significo; tamen is cavene sis,
 Quem mea vox sensu deteriore notat! —
 Scriptoris quoque Romani dico tibi nomen,
 Qui scripsit vitas gestaque magna ducum.

Ex his, qui recte solverint haec aenigmata, unus sortitus gratis accipiet libellum:
Preuss, Die Germanen in den Berichten der römischen Schriftsteller.
Bamberg, Buchner, 1915.

1

Litterae in areolis ita disponantur,
 ut libramenta significant urbes vel
 antiquas vel hodiernas: 1. Bavariae,
 2. Hispaniae, 3. Wurtembergae,
 4. Siciliae, 5. Bohemiae, 6. Italiae,
 7. Graeciae, 8. Italiae, 9. Galliae; —
 media linea perpendicularis urbem
 Abessyniae ostendat.

3

Me poscunt omnes vir, femina, — dives, egenus,
 Ac me laudabunt, commoda si fuero.
 Seu mea signa leges dextrorsum sive retrorsum,
 Res eadem semper, callide lector, ero.

Praeconia Publica

Benno Schwabe et Soc., Librarii Editores, Basileae (Helvet.)

**Antibarbarus
 der lateinischen Sprache**

Von J. Ph. Krebs

Siebente, genau durchgesehene und
 vielfach umgearbeitete Auflage von

J. H. Schmalz

2 Bände: 1. Band 811 Seiten, 2. Band
 776 Seiten, Lex. 8^o

Preis broschiert 24.— M.,
 solid und hübsch gebunden 28.— M

Der arme Heinrich

Herrn Hartmanns von Aue und zwei
 jüngere Prosalegenden verwandten Inhalts.
 Mit Anmerkungen und Abhandlungen von
 Wilhelm Wackernagel Neu heraus-
 gegeben von Ernst Stadler.

Preis 3.60 M., gebunden 4.40 M.

Libri parvo venales!

Ut, qui Wackernagel, Deutsches Lese-
 buch, et Wackernagel-Martin, Ge-
 schichte der deutschen Literatur, in-
 scribuntur libri, non solum literarum
 studiosis facilius praesto essent, sed ali-
 orum etiam quam plurimorum in manus
 pervenirent, nos illorum pretia dimidio
 minulmus eosque inde ab hoc tempore
 vendemus pretiis infra indicatis

Wackernagel, Wilh., Deutsches Lesebuch.
 5 Teile in 7 Bänden. Brosch. 33.60 M.
 Veneunt singulae:

- I. Teil. **Altdeutsches Lesebuch.** 5. Aufl. 1853.
 Brosch. 6.— M.
 - II. „ **Proben der deutschen Poesie,** seit d
 15. Jahrh. 3. Aufl. 1876. Brosch. 6 M.
 - III. „ **Proben der deutschen Prosa,** seit d.
 Jahre 1500. 3. Ausg. 2 Bände. 1876.
 Brosch. 6.— M.
 - IV. „ **Geschichte der deutschen Literatur.**
 2. Aufl., neu bearb. u. zu Ende gef.
 von E. Martin. 2 Bände. 1879 u. 1894.
 Brosch. 11.60 M., geb. 15 60 M.
- Altdeutsches Handwörterbuch.** 5. Aufl.
 1877. Brosch. 4.— M.

Omnibus seu studii seu voluptatis causa latinae linguae operam dantibus enixe commendantur:

1. Scriptor Latinus. Commentarii ad linguae latinae humanitatisque studium colendum editi.

Prodeunt quinta quaque hebdomade pretio annuo 4 M^{rum}.
Annus X. Specimina gratis mittuntur.

2. Juxicus, Der lustige Lateiner 0.90 M

(Collectio iocorum omnes, seu didicerunt seu discunt adhuc latine, mirum in modum exhilarantium)

3. Palata, Nugae Poeticae 1.80 M

(Haec qui latine reddidit, quasi alter poeta est, quaevis conversio alterum exemplum)

4. Reuss, Tentamina Poetica 2.50 M

(Praestantissima pulcherrimaque poetae, qui non semel laurea ornatus est, carmina)

5. Hansen, Lauda Sion Salvatorem! 1.50 M

(Cantica singulari quadam arte et elegantia in uno quoque versu apparente translata)

Priores commentarii huius anni

praeter primum et secundum venales prostant

apud redactorem his pretiis:

III	5 M		V	4 M
IV (18 num.)	6 "		VI	4 "
	VII		2.50 M,	

apud editorem:

VIII	5 M		IX	5 M
----------------	-----	--	--------------	-----

Pauca cum supersint exemplaria, nemo mandare illos cunctetur!



SCRIPTOR LATINUS

Commentarii Ad Linguae Latinae Humanitatisque
Studium Colendum Editi

Prodeunt decies in anno pretio 4 Mrum.

Annus X: Numerus IX

— Procurant negotia —

in America: G. E. Stechert & Co., New-York, 129—133 West, 20th Street;
in Britannia: D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C.,
57—59 Long Acre;
in Italia: Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via
Tornabuoni;
in Nederlandia: N.V. Boekhandel, voorh. Gebr. Belinfante, Den Haag, Kneuterdijk 3;
in Russia: K. L. Ricker, St. Petersburg, 14 Newsky Prospekt.



Summarium:

Benedictus Pp. XV. de mundi belli causis
Dole, De quaestione sociali
Lommatius, Res minutulae
Lehmann, Carmina militaria
Palata, Horae subsecivae
Stahl, Justini Kernerii carmen
Thiele, Latinitas castrensium
van Wessem, Duo Goethii et
Chamissonis carmina

Hansen, Barritus Lutheri sarsice et latine
Censura librorum — Responsum — Catalogi antiquarii
— Sententia — Nova de Scriptore iudicia — Certamen
Hoeufftianum — Aenigmata

Nomina et domicilia eorum, qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

Dr. E. Arens, Praec. Gymn., Aachen	Dr. L. Laurand, Canterbury
A. Behrsing, Praec. Gymn., Reval	Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn., Stuttgart
H. Bigot, Prof. Instit. Carthag., Tunis	A. Nardis, Prorect. Sem., Aquila
Dr. H. Brand, Prof. Gymn., Hagen	F. Palata, Prof. Gymn., Prossnitz
Dr. W. Bubbe, Halle	J. Pistner, Rect. Gymn. em., Tölz
T. Chave, B. A., Chicago	Dr. G. Pitacco, Prof. Gymn., Görz
Dr. P. H. Damsté, Prof. Univ., Utrecht	L. L. Podobinski, Prof. Gymn., Neu-Sandec
Z. Dembitzer, Prof. Gymn., Stanislaw	J. Ramorino, Prof. Univ., Firenze
Dr. E. Dieckhöfer, Praec. Gymn., Aachen	P. Recanatesi, Prof., Osimo
J. Dole, Rect. Schol. Lat. em., Kaisersesch	J. Roberti, Rect. Gymn., Cesena
Dr. J. Dr. heim, Prof. Gymn., Friedenau	Dr. W. H. D. Rouse, Prof. Univ., Cambridge
Dr. Th. Elsaesser, Maredsous	W. Rösch, Prof. Gymn. em., Heilbronn
Dr. L. Fischer, Medicus, Heidelberg	Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., Giessen
J. Fonts, Presbyter, Vich	Dr. P. Schmid, a cons. stud., Dresden
Dr. H. Geist, Prof. Gymn. em., Darmstadt	R. Schmidmayer, Prof. Gymn., Budweis
F. Gustafsson, Prof. Univ., Helsingfors	H. Schöttle, Prof. Gymn., Stuttgart
Dr. W. Günther, Praec. Gymn., Jena	M. Skutella, O. F. M., Neisse
H. Hansen, Parochus, Pellworm	A. Stahl, Parochus, Horb
J. J. Hartman, Prof. Univ., Leiden	J. Steinbauer, Rect. Progymn., Windsbach
Dr. E. Heikel, Helsingfors	Dr. St. Székely, Prof. Gymn., Budapest
V. Hertel, Parochus, Friedelshausen	J. Tasset, Tonnerre
Dr. J. M. Hoogvliet, Doc. priv., Haag	Dr. H. Weller, Ellwangen
E. Hora, Prof. Gymn., Wien	Dr. H. Werner, Praec. Gymn., Düren
C. Hultgren, Prof. Gymn. em., Leipzig	Dr. A. van Wessem, Ictus, Tiel (†)
J. E. Kenny, Prof. Gymn., St. Paul	P. Worms, Prof. Gymn., Meldorf
Dr. K. Kunst, Prof. Gymn., Wien	
W. Lehmann, Rei Vehic. Praep. em., Breslau	

SCRIPTOR LATINUS

quinta quaque prodit hebdomade mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Hungaria, Luciburgo 4 M (4.80 Cor.), in ceteris terris 4.25 M; singuli constant numeri 0.40 M.

Epistulae, manuscripta, libri et libelli, de quibus censurae fiant, aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur ad Voldemarum Lommatzsch, Bremiportu (Bremerhaven), pecuniae vero epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem, Bibliopolam Lüstenöder, Francofurti a. M., Baustrasse 10.

Scriptor Latinus

Commentarii Ad Linguae Latinae
Humanitatisque Studium Colendum Editi

Ann. X Francofurti a. M., Mense Februario MCMXVI Num. IX

EX BENEDICTI PP. XV.

DE MUNDANO BELLO LITERIS ENCYCLICIS

Ut primum licuit ex hac arce Apostolicae dignitatis rerum humanarum cursum uno quasi obtutu contemplari, cum lacrimabilis obversaretur Nobis ante oculos civilis societatis conditio, acri sane dolore affecti sumus. Quo enim pacto fieret, ut Nostrum communis omnium Patris animum non vehementissime sollicitaret hoc Europae atque adeo orbis terrae spectaculum, quo nullum fortasse nec atrocius post hominum memoriam fuit, nec luctuosius? Omnino illi advenisse dies videntur, de quibus Christus praenuntiavit: *Auditori . . . estis praelia, et opiniones praeliorum . . . Consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum. (Matth. XXIV, 6, 7)* Tristissima usquequaque dominatur imago belli; nec fere nunc est aliud quod hominum cogitationes occupet. Maximae sunt praestantissimaeque opulencia gentes quae dimicant: quamobrem quid mirum, si horrificis bene instructae praesidiis, quae novissime ars militaris invenit, conficere se mutuo exquisita quadam immanitate contendant? Nec ruinarum igitur nec caedis modus: quotidie novo redundat cruore terra, ac saucius completur exanimisque corporibus. Num, quos ita videris alteros alteris infestos, eos dixeris ab uno omnes prognatos, num eiusdem naturae, eiusdem societatis humanae participes? Num fratres agnoveris, quorum unus est Pater in caelis? Dum autem infinitis utrimque copiis furiose decernitur, interea doloribus et miseriis, quae bellis, tristis cohors, comitari solent, civitates, domus, singuli premuntur: crescit immensum in dies viduarum orborumque numerus:

languent, interceptis itineribus, commercia; vacant agri; silent artes; in angustiis locupletes, in squalore inopes, in luctu sunt omnes.

Hisce Nos tam extremis rebus permoti, in primo tamquam limine Pontificatus maximi, Nostrarum partium esse duximus, suprema illa Decessoris Nostrae, praeclarae sanctissimaeque memoriae Pontificis, revocare verba, iisque iterandis, Apostolicum officium auspicari; vehementerque eos, qui res regunt vel gubernant publicas, obsecravimus, ut, respicientes quantum effusum iam esset lacrimarum et sanguinis, alma pacis munera reddere populis maturarent. Atque utinam, Dei miserentis beneficio, fiat, ut, quem Angeli in ortu divini hominum Redemptoris faustum cecinere nuntium, idem, ineuntibus Nobis vicarium Ipsius munus, celeriter insonet: In terra pax hominibus bonae voluntatis. (Luc. II, 14.) Audiant Nos ii, rogamus, quorum in manibus fortuna civitatum sita est. Aliae profecto adsunt viae, rationes aliae, quibus, si qua sunt violata iura, sarciri possint. Has, positus interim armis, bona experiantur fide animisque volentibus. Ipsorum Nos universarumque gentium amore impulsus, nulla Nostra causa, sic loquimur. Ne sinant igitur haec amici et patris vocem in irritum cadere.

At vero, non solum huius cruenti dimicatio belli miserrimos habet populos, Nosque anxios et sollicitos. Alterum est. In ipsis medullis humanae societatis inhaerens, furiale malum; idque omnibus, quicumque sapiunt, est formidini, utpote quod,

cum alia iam attulerit et allaturum sit detrimenta civitatibus, tum huius luctuosissimi belli semen iure habeatur. Etenim ex quo christianae sapientiae praecepta atque instituta observari desita sunt in disciplina rei publicae, cum stabilitatem tranquillitatemque ordinis illa ipsa continerent, necessario nutare funditus coeperunt civitates, ac talis et mentium conversio et morum demutatio consecuta est, ut, nisi Deus mature adiuvet, impendere iam humanae consortionis videatur exitium. Itaque haec cernimus: abesse ab hominum cum hominibus coniunctione benevolentiam mutuam, despiciatui haberi eorum qui praesunt, auctoritatem; ordines cum ordinibus civium iniuriose contendere; fluxa et caduca ita sitienter appeti bona, quasi non alia sint, eaque multo potiora, homini proposita ad comparandum. His quidem quatuor capitibus causas totidem contineri arbitramur, cur societas humani generis adeo graviter perturbetur. Danda igitur communiter est opera, ut pellantur e medio, christianis nimirum principiis revocandis, si vere consilium est pacare communes res recteque componere.

Ac primum Christus Dominus, cum hanc ipsam ob causam de caelis descendisset, ut, quod invidia diaboli eversum fuerat, restitueret in hominibus regnum pacis, non alio illud voluit niti fundamento, nisi caritatis. Quare haec saepius: Mandatum novum do vobis: ut diligatis invicem (Ioan. XIII, 34); Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem (Ioan. XV, 12); Haec mando vobis, ut diligatis invicem (Ioan. XV, 17); tamquam si unum hoc suum esset officium et munus, adducere homines ut diligerent inter se. Atque huius rei gratia, quod non adhibuit argumentorum genus? Susplicere in caelum nos omnes iubet: Unus est enim Pater vester, qui in caelis est. (Matth. XXIII, 9) Omnes, nullo nationis aut linguae aut rationum discrimine, eandem docet formulam precandi: Pater Noster, qui es in caelis (Matth. VI, 9); quin etiam affirmat Patrem caelestem in beneficiis naturae dilargiendis, ne merita quidem singulorum discernere: Qui solem suum oriri facit super bonos et malos: et pluit super iustos et iniustos. (Matth. V, 45) Fratres etiam nos tum dicit inter nos esse, tum suos appellat: Omnes autem vos fratres estis (Matth. XXIII, 8) — Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. (Rom. VIII, 29) Quod vero ad

fraternum amorem excitandum, vel erga eos quos naturae superbia contemnit, valet plurimum, in infimo quoque suae ipse vult agnosci personae dignitatem: Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. (Matth. XXV, 40) Quid quod sub exitum vitae impensissime rogavit Patrem, ut quotquot in se ipsum essent credituri, omnes caritatis copulatione essent unum? Sicut tu Pater in me, et ego in te. (Ioan. XVII, 21) Denique e cruce pendens, suum sanguinem in nos omnes exhausit, unde quasi coagulati compactique in unum corpus, sic amaremur inter nos, quemadmodum inter membra eiusdem corporis summa amicitia est. — Verum longe aliter se habent mores horum temporum. Nunquam fortasse fraternitatis humanae tanta fuit, quanta hodie, praedicatio: quin imo non dubitant, Evangelii voce neglecta, operaque Christi et Ecclesiae posthabita, hoc fraternitatis studium efferre, tamquam unum e maximis muneribus, quae huius aetatis humanitas pepererit. Re tamen vera, numquam minus fraterne actum est inter homines, quam nunc. Crudelissima ob dissimilitudines generis sunt odia: gentem a gente potius simultates, quam regiones separant; eadem in civitate, eadem intra moenia flagrant mutua invidia ordines civium; inter privatos autem omnia amore sui, tamquam suprema lege, diriguntur.

Videtis, Venerabiles Fratres, quam necesse sit omni studio eniti, ut Iesu Christi caritas rursus in hominibus dominetur. Hoc certe semper Nobis propositum habituri sumus, velut proprium Nostri Pontificatus opus; hoc ipsum studete vos, hortamur. Ne desistamus vel inculcare auribus hominum vel re praestare illud Ioannis: Diligamur alterutrum. (I. Ioan. III, 23) Praeclara certe, valdeque commendanda sunt illa, quibus haec aetas abundat beneficentiae causa institutis: at enim, si quid ad veram Dei et aliorum caritatem in animis fovendam conferant, tum demum solidae utilitatis sunt; quod si nihil eo conferant, nulla sunt; nam qui non diligit, manet in morte. (Ibid. 14)

Alteram diximus communis perturbationis causam in eo consistere, quod iam non sancta vulgo sit eorum qui cum potestate praesunt, auctoritas. Ex quo enim placuit, omnis humanae potestatis non a Deo, rerum conditore et dominatore, sed a libera hominum voluntate deducere originem, vincula officii, quae eos inter qui praesunt et qui

subsunt, intercedere debeant, adeo extenuata sunt, ut propemodum evanuisse videantur. Immodicum enim studium libertatis cum contumacia coniunctum, paullatim usquequaque pervasit, idque ne domesticam quidem societatem, cuius potestatem luce clarius est a natura proficisci, intactam reliquit; quin etiam, quod magis dolendum est, in sacros usque recessus penetravit. Hinc contemptio nascitur legum; hinc motus multitudinum; hinc petulantia reprehendendi quidquid iussum sit; hinc sexcentae repertae viae ad disciplinae nervos elidendos; hinc immania illorum facinora, qui, quum se nulla teneri lege profiteantur, nec fortunas hominum verentur nec vitam perdere.

Ad hanc opinandi agendique pravitatem, qua societatis humanae constitutio pervertitur, Nobis quidem, quibus magisterium veritatis divinitus mandatum est, tacere non licet, populosque admonemus illius doctrinae, quam nulla hominum placita mutare possunt: Non est potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. (Rom. XIII, 1) Quisquis igitur inter homines praest, sive is princeps est sive infra principatum, eius divina est origo auctoritatis. Quare Paulus non quovis modo, sed religiose, id est ex conscientiae officio, obtemperandum iis esse edicit, qui pro potestate iubent, nisi quid iubeant divinis contrarium legibus: Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. (Ibid. 5) Congruit cum verbis Pauli, quod ipse Apostolorum Princeps docet: Subiecti igitur estote omni humanae creaturae propter Deum: sive regi, quasi praecellenti: sive ducibus, tamquam ab eo missis . . . (I. Petr. II, 13—14) Ex quo idem Gentium Apostolus colligit, eum qui homini legitime imperanti contumax obstat, Deo obistere ac sempiternas sibi parere poenas: Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. (Rom. XIII, 2)

Meminerint hoc principes rectoresque populorum, ac videant num prudens ac salutare consilium cum potestati publicae tum civitatibus sit a sancta Iesu Christi religione discedere, a qua tantum ipsa potestas habet roboris et firmamenti. Etiam atque etiam considerent, num doctrinam Evangelii et Ecclesiae velle a disciplina civitatis, a publica iuventutis institutione exclusam, civilis sapientiae sit. Nimis experiendo cognitum

est, ibi hominum iacere auctoritatem, unde exsulet religio. Quod enim primo nostri generis parenti, cum officium deseruisset, contigit, idem civitatibus usu venire solet. Ut in illo, vix voluntas a Deo defecerat effrenatae cupidines voluntatis repudiarunt, imperium; ita ubi qui res moderantur populorum, divinam contemnunt auctoritatem, ipsorum auctoritati illudere populi consueverunt. Relinquitur sane, quod assolet, ut ad turbidos motus comprimendos vis adhibetur: sed quo tandem fructu? Vi corpora quidem, non animi comprimuntur.

Sublata igitur aut debilitata illa duplici coniunctione, unde efficitur ut omne societatis corpus cohaereat, id est vel membrorum cum membris ob caritatem mutuam, vel eorundem cum capite ob auctoritatis obsequium, quisnam iure miretur, Venerabiles Fratres, hanc hominum societatem disperitam in duas tamquam acies videri, quae inter se acriter et assidue digladiantur? Stant contra eos quibus aliquam bonorum copiam aut fortuna tribuit aut peperit industria, proletarii et opifices, propterea flagrant malevolentia, quod cum eadem naturam participant, non tamen in eadem, ac ipsi, conditione versentur. Scilicet, ut semel infatuati sunt concitatorum fallaciis, quorum ad nutum solent se totos fingere, quis eis persuadeat, non ex eo, quod homines sunt pares natura, sequi ut parem omnes obtinere debeant in communitate locum, sed eam esse singulorum conditionem, quam sibi quisque suis moribus, nisi res obtulerint, comparavit? Ita, qui tenuiores cum copiosis depugnant, quasi alienas hi bonorum partes occuparint, non contra iustitiam caritatemque tantum, verum etiam contra rationem faciunt, praesertim cum et ipsi possint honesta laboris contentione meliorem sibi fortunam quaerere, si velint. — Quae vero quantaque hoc invidiosum certamen ordinum tum singularium communitati civium gignat incommoda, dicere nil attinet. Videmus omnes deploramusque crebras cessationes ab opere, quibus civilis publicaeque vitae cursus in ministeriis etiam apprime necessariis repente inhiberi solet: item minaces turbas et tumultus, in quibus non raro accidit, ut armis res geratur et humanus effluat cruor.

Non hic videtur Nobis argumenta repetere, quibus Socialistarum aliorumque in hoc genere errores manifesto convincuntur. Egit hoc ipsum sapientissime Leo XIII *Decessor*

Noster in Encyclicis Litteris sane memorandis: vosque, Venerabiles Fratres, pro vestra diligentia curabitis, ut gravissima illa praecepta ne unquam oblivioni dentur, imo in consociationibus ac coetibus catholicorum, in sacris concionibus, in publicis nostrorum scriptis illustrentur docte atque inculcentur, quamdocumque res postulaverit. Sed potissimum — neque enim hoc iterare dubitamus — omni argumentorum ope, quae vel Evangelium, vel ipsa hominis natura, vel publicae privataeque disciplinae ratio suppeditat, studeamus hortari omnes, ut, ex divina caritatis lege, fraternis animis inter se diligant. Cuius quidem amoris non ea certa vis est, ut conditionum, ideoque ordinum distinctionem amoveat, — quod non magis potest fieri, quam ut in corpore animantis una eademque membrorum omnium actio sit ac dignitas — sed tamen efficiet, ut qui loco superiores sunt demittant se quodammodo ad inferiores; et non solum iuste adversus eos, quod par est, sed benigne, comiter, patienter sese gerant: hi autem illorum et laetentur prosperitate et confidant auxilio; sic prorsus, uti ex familiae eiusdem filiis minor natu maioris patrocinio praesidioque nititur,

At enim, Venerabiles Fratres, quae hactenus deplorando persecuti sumus, ea radicem habent altiolem: ac, nisi ad ipsam evellendam studia bonorum incumbant, illud profectum, quod est in votis, id est rerum humanarum stabilis et mansura tranquillitas, non sequatur. Ea quae sit, monstrat Apostolus: Radix . . . omnium malorum est cupiditas. (I. Tim. VI, 10) Etenim, si quis recte consideret, mala, quibus nunc aegrotat humana societas, ex hac stirpe oriuntur omnia. Quandoquidem et perversitate scholarum, quibus aetatae cerea fingitur, et improbitate scriptorum, quibus, quotidie aut per intervalla, imperitae multitudinis mens formatur, et aliarum causa rerum, ad quas opinio popularis exigitur, quando, inquam, ille infusus est animis perniciosissimus error, non sperandum esse homini sempiternum aevum in quo beatus sit; hic, hic licere ei esse beato, divitiis, honoribus, voluptatibus huius vitae fruendis; nemo mirabitur hos homines, natura factos ad beatitatem, ea vi qua ad eorum adeptionem bonorum rapiuntur, eadem quidquid sibi moram in hac re aut impedimentum fecerit, repellere. Quoniam vero haec bona non aequaliter

dispertita sunt in singulos, et quia socialis auctoritatis est prohibere, ne singulorum libertas fines excedat alienumque occupet, idcirco et odio habetur auctoritas, et miserorum in fortunatos ardet invidis, et interordines civium mutua contentione certatur, nitentibus quidem aliis attingere id quovis pacto ed eripere quo carent, aliis autem retinere quod habent, atque etiam augere,

Hoc Ipsum Christus Dominus cum prospiceret futurum, in divinissimo illo sermone, quem in monte habuit, terrestres hominis beatitudines quae essent data opera explicavit: in quo christianae philosophiae quodammodo fundamenta posuisse dicendus est. Quae quidem vel hominibus perquam alienis a Fide, singularem sapientiam et absolutissimam de religione ac moribus doctrinam continere visa sunt: et certe consentiunt omnes neminem ante Christum, qui ipsa est veritas, nec similiter eadem de re, nec pari gravitate ac pondere nec tanto cum sensu amoris unquam praecepisse.

Iam divinae huius philosophiae illa intima et recondita ratio est, quod quae mortalis vitae appellatur bona, speciem quidem boni habent, vim non habent; ideoque non sunt ea, quibus fruens, homo beate possit vivere. Deo enim auctore, tantum abest ut opes, gloria, voluptas beatitatem afferant homini, ut, si vere hac potiri velit, debeat iis omnibus, Dei ipsius causa, carere: Beati pauperes . . . Beati, qui nunc fletis . . . Beati eritis cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et eiecerint nomen vestrum tanquam malum. (Luc. VI, 20—22) Scilicet per dolores, aerumnas, miseras vitae huius, si quidem ea toleremus ut oportet, aditum nobis ipsi patefacimus ad perfecta illa et immortalia bona, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum. (I. Cor. II, 9) Verum haec tanti momenti doctrina Fidei apud plurimos negligitur, apud multos penitus obliterata videtur. — Atqui necesse est, Venerabiles Fratres, ad eam renovari omnium animos: non alio pacto homines et hominum societas conquiscent. Quicumque igitur quovis aerumnarum genere affliguntur, eos hortemur non oculos demittere in terram, qua peregrinamur, sed tollere ad caelum, quo tendimus: non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. (Heb. XIII, 13) In mediis autem rerum acerbitatibus, quibus eorum periclitatur Deus in officio-

constantiam, saepe reputent, quid sibi paratum sit praemii, cum ex hoc periculo victores evaserint: Id enim, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis. (II. Cor. IV, 17) Denique omni ope atque opera eniti, ut revirescat in hominibus rerum fides quae supra naturam sunt, simulque cultus, desideratio, spes bonorum aeternorum, hoc

debet esse vobis propositum in primis, Venerabiles Fratres, tum reliquo Clero, tum etiam nostris omnibus, qui vario consociati foedere, Dei gloriam communemque veri nominis utilitatem student promovere. Prout enim haec apud homines Fides creverit, decrescet eorumdem studium immodicum consecrandi terrestrium bonorum vanitatem, ac sensim, caritate resurgente, motus contentionesque sociales conticescent.

In publicandis his literis kal. Nov. anno priore emissis textum secuti sumus, quem primum in hebdomadario: „Schweizerische Kirchenzeitung“ (47 48, 1914) invenimus. Proemium et partem alteram, qua de internis ecclesiae agatur rebus, omittenda putavimus. Interea alia earum ad nos missa est editio: „Das erste Rundschreiben des Papstes vom 8. September Ubi primum im lateinischen Original und deutscher Übersetzung, ferner das Rundschreiben des Papstes vom 1. November 1914 Ad beatissimimi lateinischen Original und deutscher Übersetzung nach den Acta Apostolicae Sedis. Trier, Petrus-Verlag. 57. 1 M. Ut ex praefatione fasciculi apparet, editores in animo habent, omnes deinceps Pontificum encyclicas edere adiecta ipsorum vel, si qua prodierit, authentica quae vocatur translatione germanica. Ad hos ergo fasciculos omnium scripta illa legere cupentium animos nostrum existimamus convertere.

Red.

De quaestione quam vocant sociali

plura affert

J. Dole, rector scholae latinae em.

Ex his omnibus, quae attulimus, vitam familiarem hisce temporibus non ubique esse bene dispositam neque ordinatam satis intellegitur. Malum sane magnum, immo gravissimum est et quod multas gignit miseras. Quid ergo mirandum, quod tot querelae cotidie audiuntur de matrimoniis infelicibus et divortiiis, quae — pro dolor! — nimis crebro postulantur!

Quid autem de rebus ad humaniter vivendum necessariis? Queritur magna pars hominum, quod non habeat condicionem vitae idoneam neque tutam. Quod attinet ad operarios, neminem fugit ita se rem habere. Incertissima est enim huius ordinis condicio, quippe quae tota dependeat a mercede variante, ab occasione operandi, ab unius saepe hominis bona vel mala voluntate aut a rebus modo bene, modo male se habentibus, cum is, qui mercedem praebet, aut acri aemulorum certamine aut consiliis ad irritum redactis, nec minus sua ipsius culpa, aut publicarum, politicarum, commercialium rerum discrimine finem facere negotiis cogi possit. Sed ii quoque qui exercent negotium, incerta saepe aut insufficiente utuntur condicione. Nam in illa

fabricatorum et mercatorum, immo etiam propolarum et institorum ambitione et certatione, cum, alius ut praecurrat alium, pretia impudice et praeter modum submittantur aliisque pravis saepe et illiberalibus artibus concurrentes utantur, haud pauci, si non subito, at certe paulatim victu suo privantur. Sic sexcenti iam priorem derelinquere statum coacti ex hominibus, qui liberi sui que iuris erant, aere nexi et qui operas praebent aliis facti sunt.

Item reditus plurimorum nequaquam sufficere ad bene honesteque cum familia vivendum, quis hoc audeat infitari? In Borussia, ut exemplum afferamus, sexageni quini ex centenariis (65%) incolis non habent reditum annuum nongentarum marcarum. Ubi sunt ergo illae, de quibus tam grandia fiunt verba, augescentes totius nationis divitiae? Pauci, perpauca possident, plebs vitam in egestate degit. In civitate vero bene ordinata esse non licet, qui fame pereant. Quid in Scriptura legimus? „Pauperes quidem semper vobiscum habetis“ (Matth. 26, 11) et: „Neque enim quisquam egens erat inter illos“ (Act. 4, 34.). At auctae sunt, inquit, mercedes operariorum.

Sane quidem, sed non alia ratione, qua et pretia victuum. Eodem autem tempore eorum, qui parvam, ut aiunt, industriam exercent, et agricolarum et imprimis manufactorum lucra minuerunt. Postremo hoc multi et multae moleste ferunt, quod sibi a schola vel domo paterna divertentibus, quam delegerunt vitae condicionem, sequi non licet, quia parentes ante decesserunt seu omnia sua amiserunt seu aliis de causis non satis nummati sunt ad futuram liberorum sortem tutandam. Et quis nesciat iis, qui studia sua absolverunt, ut munere publico fungantur, per longum saepe spatium oppediendum esse, donec suo ex labore quaerere victum possint. Nec minoris momenti habendum atque deplorandum est, quod natu nobiles, qui ordo magnis de patria et salute communi meritis praestantioraque et educatione et eruditione societati humanae multum sine dubio profuit, ab hominibus novis, qui maximas brevi tempore congesserunt divitias, loco quem antea obtinebant, partim deiecti et ita auctoritate, qua erant in civitate et in rebus publicis administrandis, privati sunt. Adjuvantur enim hi homines novi materiali i. e. utilitate omnia metiente nostri temporis ingenio et eo, quod exercitiis, ut ita dicam, praesunt operariorum. Sic multi eorum terrena mundana, voluptates libidines cogitantes supernaturalia et religiosa magis magisque reprimere audent atque repellere.

Avi nostri proavique domum propriam habebant, hortulum et nonnulla jugera agrorum colebant, domi suae vitam familiarem bene dispositam degentes et ex agris victum suum cotidianum capientes. Nos contra in domibus locatis habitamus. In domibus? Utinam domum dicere liceret, quod tribus plerumque vel duobus cubiculis constans, toti familiae cum praebeat vivendi, cenandi, dormiendi spatium, stabuli potius quam humanae habitationis praestat vicem! His in speluncis sole saepius et aere carentibus vel etiam humore vitiosis maior pars populi nostri dies noctesque transigere cogitur. Et quantum pater familias cotidie acquirit labore, tantum fere pro mercede habitationis est persolvendum, ita ut vix remaneat, unde ceterae ad vitam necessariae res comparentur. Immo quo

magis maiore et omnium et singulorum industria crescunt augescuntque reditus, eodem modo mercedibus quoque illis pretium accedit. Nonne etiam, quod incredibile videtur, accidit, ut iis, qui pro patria magnitudine et gloria pugnarant, cum victores domum reverterunt, nuntiatum sit plus sibi in futurum solvendum esse pro habitatione mercedis? Quid hac re turpius, quid magis ad invidiae odiique sensum excitandum aptius? Sed ut ad tertium veniamus disputationis nostrae locum, hoc quoque sine ulla dubitatione constat nos nimis multis vexari et obstringi legibus et praeceptis idque in omni condicione vitae, maxime vero commercialis et negotiatoriae. An tot unquam leges et praescripta lata esse putalis, quot hoc nostro tempore? Quarum paucissimae legum abrogantur, novas semper contra sine intermissione quindecim vel viginti vel centumviri vel qui alii sunt ad hanc rem electi fabricantur. Omnis vero lex non accurate conscripta — et ulla omnibus potest convenire? — novas dat ad reprehendum, intercedendum, conquerendum ansas, ita ut nulla fere edatur, quae non statim exigat et interpretationes et explicationes. Sic singulis perreximus annis et tamen sunt, qui nimis lente ferri leges querantur. Ac tamen tot quotannis promulgantur leges praescripta, mandata statuta, ut ne peritissimus quidem juris ea perlegere, noscere, concoquere possit. Legum sunt milia et paragraphorum centena milia, ut, quodcumque aut ubicumque agimus, collidendi cum eis ut ita dicam, adeamus periculum. Accedit, quod directa aut indirecta quae dicuntur vectigalia modum plane iam excedunt, eaque causa est, cur multi et ipsi, ut nunc est, reipublicae et iis, qui regunt eam, evadant infensi. Nam saepe unius vel plurium mensium lucrum pro vectigalibus solis solvendum esse quis non ipse est expertus? Ubi tunc vero restat tranquillitas animi? Nonne bellum videtur exortum esse omnium contra omnes, ut quam plurimum quisque corradat pecuniae? Nonne homines animum vere christianum et amorem fraternum penitus videntur amisisse? (Proximo absolvetur numero)

Res minutulae

Anni prioris aestate in nescio qua ephemeride hos legi versus:

„Solvitur acris hiemps“, pulsat nunc aura Favonī
 Frigora brumales dura nivesque premens.
 Mutatur terrae species. Redeunt, redeunt iam
 Flores ecce boni, graminaque et segetes,
 Quique aegrotus erat morbis oppressus acutus
 Per longas hiemes, spem celerem adhibeat.
 Surgite, o aegroti, et spes incohate iucundas,
 Dum trepidant fontes dumque labuntur aquae
 Orbenses valles cum murmure praetereuntes,
 Illex atque abies umbram dumque donant.
 Germinant et agri iuvenali fronde virentes:
 Picorum silvaest haec regio Hercyniae.
 Ruris amatores vocant beatissima tempe,
 Silvae viriditas advocat Hercyniae.

Aegri acore bibant carbonis prosilientes
 Terrarum e gremio salsipotentis aquas.
 Aegrotent qui corde, laborent quique podagra,
 Qui quoque vexentur debilitate mala;
 Quos crucient stomachi dolores iecinorisque,
 Ex animo eiectis sollicitudinibus
 Orbam tendentes curent vires animosque
 Cum Martinus adhuc det salutaris aquam.
 Undae fons acidae cinctus novus ecce metallis;
 Vallem quae ornat, aqua, splendidiore vitro
 Balnea rivorum spectabiles aucta fluenti:
 Orbenses propra tu medicas ad aquas!
 Quae te scire benest, dicit narratque libellus,
 Curant quique regunt balnea, quem tibi dant.

Inseri eos iusserat, ut, nisi ex ipso carmine, ex inscriptione apparebat satis magnis crassisque literis apposita, Orbensium Baiarum administratores, qui, ne quid decisset vere latinum, Horatiana illa verba adiecerant:

Ille terrarum mihi praeter omnes angulus ridet!

Nam qui praecedunt versiculi, tot tantisque scatent vitis, ut qui fieri potuerit, ut publicarentur, nemo non miratur.

Speremus, ut carmen, quod a duobus philologis factum esse Orbenses mihi scripserunt, priusquam iterum edatur, accuratissime emendetur, ne, quod in iocosa quadam narratiuncula de vino, idem de salutaribus illis aquis dicatur:

Tales salinae, quales strophae latinae!

Si quem ad canem venisse Germani dicunt, hoc volunt intellegi actum esse de eo eumque periisse, esse, ut ait Cicero, hominem sine re, sine spe, sine fide.

Quid autem, si mercator, ut Vatter ille Francofurtensis, qui petasos, causeas,

pileos vendit, ipse se ad canem demittit mercium causa commendandarum?

Is enim, ut, quam firma sint opera sua, cuius acta diurna legenti ad oculos, ut aiunt, demonstret, venditoriis suis nuntiis imagunculam solet addere, in qua duos canes videmus petasum summa vi in utramque partem trahentes. Infra legitur:

Restiti — resisto — resistam!

Numquid hac inscriptione significantius? Rarius profecto latinis verbis venduntur merces, quam ut non iure gaudeamus homine isto iocosissimo iocosaque eius latinitate canina, in qua »a verbo« quoque quod vocant puerulis inivisum festivitatis quodam laetitiaeque colore mitigatur.

Mire translata nuper inveni haec Plinii verba: »Oportet privatis utilitatibus publicas, mortalibus aeternas anteferre« (Epp. VII, 18), quae, si quicquam, qualis fuerit ille, aperte ostendunt.

Haec Dr. Schott Stuttgardiensis in libello suo anno 1827 edito sic reddidit germanice: »Man muß den Privatnutzen dem öffentlichen, den vergänglichlichen dem unsterblichen vorziehen.«

Hic utrum, qui scripsit, an qui typis impressit sententiam, peccarit, id quod factum esse potest „den“ et „dem“ inter se permutatis, haud facile est diiudicandum. Ridiculum vero unicuique videtur antiquitatis literarumque romanarum perito, quod, quem, si non magnum, at probum certe atque simplicem fuisse virum constat, eum nullo se nisi suo suarumque rerum impelli ducique studio fateri non pudebat.

Sententiae

Domum suam coercere plerisque haud minus arduum est quam provinciam regere.
 Tacitus

Nil sine magno vita labore dedit mortalibus.
 Horatius

Hominis tota vita nihil aliud quam ad mortem iter est.
 Seneca

Nihil est tam angusti animi tamque parvi quam amare divitias.

Horae Subsecivae

Carmina recentioris aevi Latine reficta a Fr. Palata
**Bohemorum carmen patrium „Kde domov muj“ metrica paraphrasi
 expressum**

Quae mea patria sit — rogitas — et quam regionem
 fas natale mihi sit vocitare solum?
 Est tellus, rivi per amoena vireta perennis
 qua blando strepitu volvitur unda loquax,
 rupibus excelsis qua pinus suave susurrant
 flamine vel tenui concutiente comas,
 usque rosae culti qua vernant floribus horti:
 Elysiae credas rura videre plagae.
 Angulus hic dulcis, quo non formosior ullus,
 est natale meum, terra Bohema, solum.

Iuvenis gladium experiens

(cf. Uhland: Zur Schmiede gieng ein junger Held)

Ad fabrum venit iuvenis gladiumque petivit
 ut sibi pugnacem fingeret arte sua.
 Ast quando cusum manibus vibrare laborat,
 en — nimio dextram pondere lassat onus.
 Permulcens canam barbam faber: „Ensis hic — inquit —
 haud gravis est sane, nec nimis ille levis,
 sed gravior tamen est, quam quem ferat iste lacertus:
 cras habilis dextrae fiet ab igne tuae.“
 „Non cras, ast hodie fiet — per Castora iuro —
 non flamma, sed vi commodus ille mea.“
 Ait iuvenis subeuntque cito iam roborata nervos:
 ensem sublimem — non mora — vibrat ovans.

Justini Kernerii carmen „Preisend mit viel schönen Reden“

latine reddidit

Albertus Stahl Horbensis

Caesaris in Vangionum
 Aulam duces venerant;
 Opes suae quisque terrae
 Ore pleno praedicant.

Mire meum floret regnum,
 Princeps laudat Saxonum,
 Obtegunt argenti pondus
 Altae venae montium.

Quam fecundi pagi mei!
 Comes Rheni suas res
 Jactat, segetes quam laetae,
 Colles uva fertiles!

Urbes magnae, fana larga,
 Ait dux Bavaricus,
 Tot sunt, nil ut fines mei
 Vestris cedant opibus.

Eberardus, barba notus,
 Carus Suevis dominus,
 Parvae mi sunt, inquit, urbes,
 Deest aurum montibus.

Verum caro fruor iure,
 Silvius in densissimis
 Ut securus ponam caput
 Civis sinu cuiusvis.

Clamat Bavarus, Rhenanus,
 Saxonum dux clamitat:
 Tu es ditior, barbate,
 Gemmas Tua procreat!

Duo Germanorum Carmina Militaria

in latinum transtulit

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis

I

Dan. Georg. Morhof: Kein schöner Tod ist in der Welt

Nulli tam pulchram mortem contingit obire,
 Quam qui pro patria caesus ab hoste cadit:
 Sub divo qui decedit campoque in aperto,
 Non premitur querulis flebilibusque sonis.
 Cui fatum est animam tenui deponere lecto,
 Divinas sedes solus et unus adit;
 At multos secum socios habet ille cadentes,
 Gramina ceu Maio mense resecta ruunt.

Heroes multi fusa cum sanguine vita
 Se devoverunt, non sine laetitia
 Sub gladiis exspirantes in caespite campi,
 Aris pro sanctis pro patriisque focus;
 Permultique viri fortes sunt rite sepulti,
 Tibia dum stridit, tympana rauca sonant:
 Sub divo caesos aeternis laudibus effert,
 Quisquis nunc vivit grataque posteritas.

Nulli tam pulchram mortem contingit obire,
 Quam qui pro patria caesus ab hoste cadit!

II

Guil. Hauff: Steh' ich in finst'rer Mitternacht

Dum caeca nocte media
 Sto solus in vigilia,
 De cara mea cogito,
 Mi sitne fida reputo.

Ad arma cum degrederer,
 Me basiavit suaviter,
 Galerum compsit fasciis
 Amplexa me sub lacrimis.

Adhuc me fide diligit:
 Hoc me beatum reddidit.
 Cor ardet nocte gelida
 Recordans tui, pupula!

Nunc sub nitore lampadis
 Cubiculum tuum introis
 Supplicatura Domino
 Absente pro carissimo.

Si quando maeres flebile
 Periclitari putans me:
 Quiesce! scito Caelitem
 Tueri fidum militem.

Aes sonat, — venit circitor,
 E statione revocor.
 Tu velim molle recubes
 Meique memor somnies!

Varia

Plura latinitatis castrensis specimina

Latinitatis militaris exempla posteriore
 numero edita tantum ob simplicem,
 quae inerat iis, festivitatem lectoribus
 placuerunt, ut, si quae alia, peregrina
 imprimis, mitterentur, nos libentissime
 haec inter varia quae vocamus publica-
 remus. Hodie nonnulla sequuntur ab

amico nostro Eduardo Thiele, stud.
 theol. Gottingensi, variis ex ephemer-
 idibus actisque diurnis collecta.

Dura necessitas	6-Uhr-Aufstehen
Integer vitae	der Rekrut
Palma nobilis	der Gefreitenknopf
Tres faciunt collegium	der Zugführer
Jupiter tonans	der Herr Oberst
Favete linguis	Stillgestanden!
Pulsanda tellus	der Exerzierplatz
Non possumus	die Griffe
Eheu, me miserum	Sprung — Auf! —
	(Marsch! Marsch)

Jocus	die Nachtübung	Terra incognita	das Exerzier-
Salus publica	das Waldgefecht	Mens sana in corpore sano	reglement
Peccare non posse	der Feind	Videant consules	der Montagsdienst
Cuniculus	der selbständ. Ent-	Mors	die ärztliche Unter-
Conclamatio omnium	schluss des Kom-	Mors imperator	suchung
	panieführers	Ultima ratio	der Stabsarzt
Nullam sperare salutem	die Aufgabe	Maecenas, persona	der Ober-Stabsarzt
Procul negotiis	die Seitenpatrouille	gratissima	Rizinus
Sic me servavit Apollo	das Entfernungss-	Suum cuique	der Zahlmeister
Pia fraus	schätzen	Fama	die Löhnung
		Eheu fugaces	der Löhnungsappell
Suum cuique	die Kritik	Ergo bibamus	der Zuschuss
Semper aliquid haeret	der Anschneider	Parricidium	die kameradschaft-
Coram	der Besichtigungst-	Carne vale	liche Vereinigung
Dies irae, dies illa	tag	Semper idem	der Heimatsurlaub
		Sancta simplicitas	Rückkehr vom
Horribile dictu	das Kasinoessen	O nata mecum	Urlaub
Rara avis	die Kasinoordnung	Risum teneatis	der jüngste
Beati possidentes	der Kasinookus	Homo civilis	Leutnant
Elysium	die Kantine	Gaudeamus igitur	die Schulden
Tabula rasa	die Fleischschüssel		die Instruktions-
Hic Rhodus, hic salta	der Generalstäbler		stunde
	bei der Truppe		der blaue Brief
Ubi sunt?	die Putzer		nun hat Reserve
Commune odium	der Dienst		Ruh'

Adrianus Arena †

Quod haud raro accidit quodque ipse, ex quo his commentariis operam dedi, expertus sum, ut serius de amici, quamvis familiariter eo usi simus, morte certiores fiamus, id hodie quoque quantum doleam lectoribus nostris breviter puto dicendum. Nam cuius supra posui nomen, eum ne nunc quidem fortasse scirem decessisse, nisi, qui vitam mortui describere aggrediebatur, tristissimum mihi de repentino eius exitu nuntium idque paucos demum ante dies misisset.

Quis autem fuit ille amica in Scriptore nostro commemoratione dignus?

Id si quaerimus, eodem nos in dubio versari videmur, quo olim populares eius hollandici, qui, quis esset latinus Piet Paaltjens poetae interpres, multos per annos frustra studebant indagare. Ille enim est, quem nobis ereptum lugemus, Adrianus van Wessem vel, ut ficto se nomine vocabat, Adrianus Arena, iurisconsultus Tielae in Hollandia exceptis, quibus Lugduni academiam frequentabat, annis moratus.

Hic ex iis fuit vir, qui licet negotiis iisque a literarum studio alienis occupatissimi, tamen, quantum superest otii, optime utilissimeque ad veterum scrip-

torum libros legendos accuratiusque eorum cognoscendam linguam conferri existiment. Nam Arena noster, quamquam et advocati simul munere fungebatur et societatem administrabat de incendiorum periculis caventem, liberalibus artibus, quibus juvenis olim delectabatur, fidem servavit ad extremum. Horatii quidem carmina, quae praeter cetera amabat, ut viro, ita seni oblectationi erant; haec legebat relegebatque; in his levationem etiam inveniebat doloribus ex cardiaco saepius morbo existentibus . . .

Sed et ipse se latina lingua est expertus. Convertit in hanc nonnulla ex HaverSchmidtii, qui sub nomine Piet Paaltjens*) scribebat, carminibus mirum in modum et hilares et maestos, quibus juvenis studiosi animus movebatur, sensus exprimentibus. Erat enim, qui scripserat illa, ut paene aequalis, vetere studiorum societate cum Adriano van Wessem coniunctus multumque hic amici tenebatur versibus, quippe

*) Snikken en Grimlachjes. Poëzie uit den studententijd van Piet Paaltjens. Met portret. 8ste druk. Schiedam, H. A. M. Roelants. Elegantissima haec editio, cui brevis vita poetae praemissa est, praeter ipsa eius carmina omnes Adriani Arenaes continet conversiones ideoque omnibus utriusque amatoribus videtur commendanda.

qui gratissimam temporis Lugduni transacti servans memoriam tota se vita studiosum mansisse manereque velle non semel praedicarit. Ac tanto carmina latine reddita comprobata sunt. assensu, ut, etsi usque ad annum 1880 verum auctoris nomen latebat, nemo esset inter studiosos in Hollandia iuvenes, quin illa novisset.

Tamen Arena singularem in latine vertendo sequitur morem. Nam quamquam omnia sine ulla difficultate a viro commodissime peregrino sermone utente scripta esse apparent, interpretes veterum syllabas metiendi consuetudinem cum hodierna carminum pangendorum ratione ita solet miscere, ut, quomodo legendi sint versus, haud semper statim eluceat. Hac de re mul-

tae inter nos scriptae sunt literae ac tantum aberat, ut Arena, qui a primis fere initiis commentarios nostros legerat eosque, quantum poterat, commendabat, remisso aliquo carmine offendetur, ut, si quid corrigendum mutandumve censueram, acquiesceret meoque se consilio pergerem adiuvere urbanis simis verbis rogaret.

Sequuntur duo e germanica lingua, quam optime callebat, translata carmina, quorum alterum, sicut a poeta scriptum erat, alio iam loco prodierat, alterum itemque paululum a me emendatum primum omnino editur. Ostendunt haec Arenam, si quem prius in arte sua habuisset ducem, optima nullique non iudici probanda potuisse praestare.

Goethe: *Wie ist heut mir doch zu Mute . . .*

Quam nunc mihi est sedatus
Animus et hilaris,
Qui procellis est turbatus,
Dum vigebam iuvenis.

Sed quum gravis urget aetas
— Ut sim bono animo —
Genas roseas deletas
Votis meis revoco.

Chamisso: *Er, der Herrlichste von allen . .*

Praestans inter omnes ille,
Dulcis, bona anima!
Ex sereno vultu lucent
Virtus et prudentia.

Lateant quae precor tua
Pro salute, tacita;
Vilis tibi sim ignota,
Alta stella splendida!

Astrum polo ut profundo
Micat ardens, lucidum:
Sic in meo ille procul
Coelo sidus fulgidum.

Felix sit a te selecta
Omnium dignissima,
Celsae huic precabor fausta,
Fausta huic, assidua.

Tuos age, tuos orbes:
Tuum modo videam
Lumen, videam demissa,
Felix licet moeream.

Tunc me facient beatam
Gaudium et lacrimae;
Etsi mihi cor rumpatur,
Esto, istud quid ad me!

Cetera, quae latine reddidit, diversis inveniuntur locis dispersa, indicavit autem ea Dr. E. J. van der Brugh Tielensis in libello nuper ad amici memoriam de vita studiisque eius edito. *) Hic me quoque variis de rebus sciscitantem et literis et libris epe-

meridibusque missis adiuvit, quamobrem multas ei hoc loco ago referoque grates.

Obiit Adrianus van Wessem ao. 1913 mense Julio, senex fere octogenarius. Quis tam diuturnam vitam paucis possit verbis comprehendere, quis, quid peregerit ille, dignis laudibus effere! Nos, quid fuerit nobis causaeque nostrae, scimus: Amicus fidus, benevolus, sincerus. Noseum nunquam oblivissemur.

*) *Levensbericht van Adrianus van Wessem door E. J. van der Brugh.* Overgedrukt uit de *Levensberichten van de Maatschappij der Nederlandsche Letterkunde te Leiden*, 1914/15. Leiden, Brill, 1915. (Deest ibi carmen nostrum alterum. Red.)

Canticum Ecclesiasticum et Sassica et Latina Lingua

reddidit

Henricus Hansen, Parochus Pilwormiensis

En faste Borg is unse Gott,
Mit Em könt wi uns wehren,
He helpt uns frie ut all de Nood,
De hier uns mag verfehren.
De Fiend lätt keen Ruh,
Mit Eernst meent he't nu,
He givt up uns Acht
Mit all sin Öwermacht,
Up Eerd'n is nich sin's Glieken.

Uns' eegen Macht — dâr's nicks
(mit dån,
Uns güng't wol bald an't Lêwend,
Doch Eener will vör uns instån,
De hett Gott Sülvst uns gëwen.
Und fragst Du: wo'keen?
Dat's Jesus alleen,
De sülvst wåhre Gott;
So hett et gårkeen Nood;
He mutt dat Feld beholden.

Und wår de Welt vun Düwels vull
Mit heel vël böse Tücken,
Und wår'n se noch so stark und dull:
Et shall se doch nich glücken!
De Först vun de Welt,
So sur he sick stellt,
He kann uns nicks dån,
He hett all längst sin'n Lohn,
Gott's Word mäkt em toschanden!

Dat Word, dat shölt se låten stån,
Det hebbt's ock wol vernåmen,
He is bi uns, He swenkt de Fåhn,
An Em könt se nich kåmen.
Nêmt se Lêw'nd und Liev,
Good, Ehr, Kind und Wiew:
Låt't All's fåhrn dårvun,
Se hebbt dår nicks mit wunn'n;
Dat Riek mutt doch uns bliewen!

Arx Deus est firmissima,
Qua fidimus fidenter;
Ex omni nos miseria
Eripiet libenter.
Princeps hostium
Facit impetum
Totis viribus
Crudelis, subdolos.
Quis ei par est homo?

Nos ipsi nil proficimus,
Nos brevi periremus;
Sed adest vir fortissimus,
Quo duce triumphemus.
Quis, interrogas?
Ecquid dubitas?
Christus Dominus,
Qui venit coelitus,
Qui nescit superari.

Sit mundus nos vorantium
Plenus diabolorum:
Non fugimus periculum
Nec rabiem eorum.
Mundi regulus
Frendat dentibus:
Nobis nil obest,
Jam iudicatus est,
Quin uno cadit verbo.

Non possunt verbum tollere,
Nil faciunt in illum,
Qui dimicat in acie
Et nostrum fert vexillum.
Quodsi corpora,
Bona, pignora
Nobis auferent:
Quid lucri facient?
Heredes regni sumus!

Haec qui convertit carmina, saepius et scriptis et verbis in sacerdotum contionibus factis hortatus est, ut parochi apud homines nullius nisi sassicae i. e. vetustae septemtrionalis Germaniae linguae peritos dicentes illa praecipue uterentur. Et recte quidem. Nam quis, licet disertissimus sit, intimos audientium animos movere potest, nisi noverit eum, quo parentes et liberi, quo amici inter se, quo amantes colloquuntur, sermonem! Is vero in quibusdam regionibus, solitariis imprimis et ab hominum commercio remotis, multum differt ab eo, quo omnes totius terrae incolae tamquam communi vinculo coniunguntur. Sed licet quis aliter sentiat de hac quaestione latius quam ut hic disputari possit patente, hoc nemo negabit sassicam linguam, quippe qua multi iam iique praestantissimi scriptores usi sunt et adhuc utantur,

dignam esse, qua religiosa quoque carmina reddantur. Quam ad rem idoneam esse illam, si non ipsi quos memoravi libri ostenderent, nostrum sine dubio exemplum dubitantibus demonstraret. An non mirifica quaedam vis atque gravitas accedit illi quem Hansen dicit barritui Lutheri tam praeclara arte fortioribus veterum, ut videtur, sonis verbisque expresso? Illi carmini, quo multorum hodie quoque animos confirmari et evangelicae et catholicae confessionis sacerdotes saepius hac tempestate periculis miseris communiter perferendis homines consociante narraverunt. Sassica verba inveniuntur in libello Hanseni, cui titulus: „20 sassische Leeder ut't Hochdüdsche öwerdragen“, latina conversio desumpta est ex notissimo eiusdem libro, qui inscribitur: „Lauda Sion Salvatorem“.

Censura Librorum

B. Meissner, Kurzgefasste assyrische Grammatik. Leipzig, Hinrichs 1907. V+80 350 M.

Si ulla est lingua, cuius studio archaeologi vel theologi vel voluptatis causa huic rei operam dantes teneantur, ea certe est, qua inscripta sunt monumenta illa vetustissima Babyloniorum. Ac tantum iam in indaganda ea et explicanda docti profecerunt, ut non maiorem hodie ad discendum habeas difficultatem, quam si recentioris cuiuslibet linguae studium aggrediaris. Hoc de Meissneri quoque dici potest libro. Nam is, ut qui optime sit in hoc genere scientiae versatus, tota materia prudenter circumspecta ita omnia scitu digna composuit atque digessit, ut facile, quoad fieri potest, aperiat ad veteris illius sermonis cognitionem adiutum. Ac primum quidem de ipsa lingua babilonica pauca praemittens, de literis et deinde de sonis eius pergit disserere itaque ad sequentia intellegenda posito fundamento a pronomine ad nomen et ab hoc ad verbum atque particulas, quae vocantur, orationis progreditur, syntactica, ubi datur occasio, cum grammatica institutione perite coniungens. Paradigmata et index verborum in his occurrentium librum excludit.

Addam, quae, si probentur auctori, in nova editione mutanda mihi videantur. Desideratur ante omnia tabula notarum cuneatarum formas exhibens. Nam quamquam textus inscriptionum latinis plerumque literis redditi publicantur, tamen quod, licet non omni respondens desiderio, in quavis encyclopaedia populari reperitur, id grammaticae denegari mea quidem opinione non potest. Deinde quaedam de grammaticis rebus exposita non intelleguntur sine hebraicae vel alius alicuius linguae semiticae cognitione. Ne dixeris neminem babilonicae linguae studere incipere, nisi hebraicae prius vel syriacae operam navarit, quarum, quoniam comparativa quae dicitur linguarum doctos decet tractatio eaque facilius fit omnis institutio, rationem esse utique habendam neque ignoro neque nego. Tamen ego, etiamsi, ne occurrant peritiores, timendum est, hoc teneo unamquamque grammaticam adeo sui ipsius esse debere, ut etiam sine ulla propinquarum linguarum scientia a quolibet, maturo scilicet idgenus studiis, intellegatur. Qua de causa, quamvis ipse sciam hebraice, probandum non puto, quod de quiescentibus consonantibus memoratur sine brevi utcumque huius rei explicatione, nec magis placeat signorum fa'lu, fa'al, fi'lu aliorumque usus cuiusque hebraicae linguae ignaro necessario ignotus. Haec paucis verbis extrema fortasse pagina positus potuerunt explicari: Item, cur damu, abu biradicales sint, dâmu autem et similes

triradicales, cum, quid proprie dicatur radicalis, non sit ante definitum, ex § 34 non satis elucet. In § 7 mihi dubium est, an Babylonis in idem fuerit atque Germanis, cum ibidem et aliis locis scriptum legatur illam saepe u litera reddi solitam esse et ob id bilabiale non fuisse videatur. Ubi .tert. infirm.' et .med. gem.' primum occurrit, ego ad §§ 70 et 65 lectorem revocandum putarim, cum ibi, quid significet illa, explicentur. Pg. 2, 14 scribatur velim: sein Dasein; § 3a: Konsonanten; § 4: mit diesem zu einem Zeichen . . . ; pg. 5, 17: ausgesprochen worden . . . § 76 c: ein Verbum et pauca alia. Sed haec mera typographi errata sunt et leviora quam ut quicquam detrudere possint libri pretio. Insunt nam multa eaque praestantissima artis difficilioris materiae plane et perspicue expediendae exempla, ut omnem nostram mereatur commendationem. Babilonicae linguae studiosos in illo omnia, quaecumque aliquo modo scitu digna sunt, inventuros esse non dubitamus. L.

Die Dürer-Bibel mit Holzschnitten Dürers und anderer Meister: Die Evangelien.

München, Einhorn-Verlag. 75. 1.75 Mk.

Nova haec editio biblicorum sacrorum in Germanum sermonem translatorum multis iam placuit; placet et mihi. Venit adhuc ante oculos meos pars prima Novi Testamenti continens quattuor evangelia secundum versionem Lutheri eamque his temporibus recognitam et emendam. Typi, quibus textus expressus est, sunt tales, ut ab iis quoque, qui infirmi oculis sunt, facile legantur. Admixtae sunt textui aliquot picturae Duereri. Recte professor quidam: utinam, inquit, talia biblia die confirmationis nostrae acceptissimus! H. Hansenius

A. Seidel, Praktisches Lehrbuch der arabischen Umgangssprache syrischen Dialekts. Wien, Hartleben. 190. 2 M.

Thesauri librorum, cui titulus est: Die Kunst der Polyglottie, liber Seideli nostri pars quadragesima septima est. Qui liber quorsum (sicut ceteri) spectet titulo indicatur: Praktisches Lehrbuch; spectat scilicet non tam ad eruditionem grammaticalem quam ad usum practicum, nempe ut, si quis velit in Syriam vel Palaestinam proficisci, cognitionem haud exiguum dialecti Syriacae linguae Arabicae vulgaris non manucente magistro inde hauriat eaque in colloquendo cum incolis uti possit. Quam ad rem assequendum librum idoneum aptumque esse ipse ego expertus sum, quando ante hos tres annos in Palaestinam profecturus eram, idque libenter profiteor Differt quidem Hierosolymitana dialectus aliquid

dialecto Palaestinae borealis quae hoc libro traditur, sed non multum. Lectionibus LVII is qui discit satis exercetur. Sed unum in libro laudato *desse* dolui et nonnunquam valde desideravi: lexicon omnium vocabulorum, quae inveniuntur in lectionibus; quod idcirco velim libro adiunctum esse, ut, si vocabula — quod facile accidit — in oblivionem venerint, facile reperiantur. H. Hansenius

Felix Hartmann: Die Wortfamilien der lateinischen Sprache. Für den Schulgebrauch zusammengestellt. Bielefeld u. Leipzig, Velhagen & Klasing 1911. IV, 436 col. 280 Mark.

Memini olim discipulis nobis a magistro naturalem historiam docente iterum atque iterum ostendi capsas quasdam, in quibus insectorum, coleopterorum lepidopterorum aliorum, acubus accuratissime praefixorum multae ac variae series directae per vitrum insertum conspiciebantur. Qua rerum turba deterreri magis animos nostros a studio naturae quam allici necesse erat, praesertim cum omnis fere illa disciplina iis quidem temporibus in multis rebus singularibus aut describendis aut ediscendis versaretur. Sed tandem mutatio rerum facta est. O memorabilem diu nobis pueris et felicem diem, quo in locum illarum successerunt aliae novae, quas physicorum professor quidam, qui in ea ipsa urbe docebat, magna arte praeparaverat, cestellae maxime insignes. Nam quae in his videbantur zooplastica, evolutiones atque familiae insectorum aliorumque animalium, — e. gr. Phryganida cum larvis variisque harum capsulis, Silphida, in quibus Necrophori vespillones muris mortui corpus humantes, Cerambycida, Hymenoptera, alia permulta inter ficta omnia conformatae ad naturam quasi volitantia — tam scite adornata erant, ut vitam ipsam imitarentur. Quo factum est, ut quae studia ad id tempus plerumque taedium nobis attulerant, iam delectaremur iis.

Sed quid ego haec commemoro? Quia aequae atque hoc institutionis genus ab illo differre puto libri utilissimi, quem supra diximus, rationem a lexicis, quae vulgo in usu habentur. Etenim cum in his vocabula nullo nisi literarum ordine servato confusa invenias et verba coniugata adeo disiecta, ut e. gr. asserere, converta, desertor, inserere, praesertim, series totidem diversis locis quaerenda sint, in libro Hartmanniano vocabula, quibus eadem origo est, ad communem stirpem congregantur. Neque vero satis habuit vir doctus sub verbis simplicibus composita vel sub primitivis derivata, quae proprie dicuntur, denominativa et verbalia, enumerare, sed voces in familiis descripsit ex cognatione etymologica. Videbit igitur discipulus cum magno suo emolumento ad verbum capiendi relata vocabula cum alia tum haec: princeps, principium, deinceps, mancipium, praecipuus, occupare, recuperare. Item quod — ut alia exempla afferam — eximius et exemplum et praemium ad verbum emendi revocantur, o:culata origo verborum in lucem profertur. Quotusquisque discipulorum invenitur, qui etiamsi iterum ac saepius aptas notiones in lexico quaesiverit, nominis adiectivi in integri propriam vim cognoverit! In Hartmanni libro nisi sub voce tangendi illud non reperiet. Verbi contemplandi ut principalem significationem discas, ad templum vocaris, contus tibi ostenditur, ut verbi percontandi vim intellegas. Furem se sectaberis, comprehendes cum degenerem apud feminas honestas ex eadem gente ortas, Fertilitatem, Fortem, For-

tunam, una cum aliis cognatis in domo, cui ferre officium est.

Origines prorsus dubias atque incertas auctorem libri in usum scholarum editi recipere noluisse vix opus est dicere; idem rarissime suas notiones, quibus a ceteris viris doctis dissentit, pro certis posuit. Quamvis autem ante omnia usum respexerit, tamen de scientiae severitate nusquam discessit. Immo pervestigationes etymologorum recentium secutus nonnunquam etymologiam aut antiquitatem traditam aut popularem usumque scholarum receptam proiecit: neque calamitas cum calamo, neque sicut praesul ita consul et exul cum verbo salienti copulantur.

Quod in infima quaque pagina voces Franco-gallicae ex Latinis profectae adscriptae sunt, multis discentibus gratissimum fore puto.

Non est cur metuamus, ne hic liber bonus sibi ipse non faciat viam. An non nimis discipulorum pasci malet in prato, in quo pabulum inveniat suci plenum ac suave, quam ubi tenue atque aridum conquirendum sit! Atque saluberrimum animi nutrimentum hic praebetur. Namque ita non inertia alitur, ut discipulus verborum notiones in hoc libro requirens sine intermissione cogitare ac ratione uti cogatur. Accedit quod vocabula ediscere iussus quae cohaereant inter se facilius et visu ac mente comprehendere et memoria tenere potest.

H. Brd.

Responsorium

N. C. stockfremde leute = alienissimi (cf. Caes. b. g. 6. 31. 5; deest apud Georges) — von diesen erwägungengeleitet = his rationibus motus (ductus) — vom lateinischen verstand er so gut wie nichts = latinae linguae admodum nihil sciebat — wenn ich mal (erst) bei kasse sein werde = si quando abundabo (abundare coepero) — obgleich ich meine starken bedenken (dabei) habe, so gewichtige (schwere) bedenken ich auch dagegen habe = quamvis vehementer ad-dubitem — noch aber, bis dahin aber (noch) = interim [autem] — glaube schon jetzt sagen zu dürfen (können) = videor iam nunc posse dicere — wenn du die bücher gern los sein willst = si (te) paenitet librorum. In substantivis scribendis ego eandem quam tu et alii sequor consuetudinem, nihil ergo est, cur maiusculis utaris.

P. B. Pro .coeci', ut recte dicis, in cantilena illa Zoepfliana melius .caeci' fuit scribendum itemque .osores' pro .ossores'. Hoc tamen legitur apud Plautum nostroque loco haud inepte ponitur, quia verbo tamquam ab ossibus ducto ii, qui immature vel minus scite amputandi exercent artem, Juglando artificii opponuntur atque ita deridentur. Sic, quod peccavit typographus quodque redactorem fugit emendamentum, specunculam saltem recti videtur habere.

M. A. hat oft bei der Wahl der Gattin den Ausschlag gegeben = saepe valuit in uxore deligenda; bestimmend. Einfluß haben auf = (magni(o) momenti(o) esse ad; ... die Enterbten (translatio, ut opinor, sensu) = in nullam sortem bonorum nati (cf. Liv. 1, 34, 3, ubi proprie stat verbum); d. Enterbten des Liebesglücks = in nullam sortem amoris nati(ae); ich bespreche hier nicht Mitteilungen anderer, sondern eigene Erlebnisse (Wahrnehmungen) = ego hic non quid (ab aliis) audierim, sed quid (ipse) viderim disputo; meine Wahrnehmungen gehen (anum) dahin: =

haec (vero) sunt quae vidi, atque haec quidem ego vidi; dicam quid viderim; nunc quaeso audite, quid v.; über seine Rückkunft verlaudet noch nichts == de reditu eius nihildum auditur; gar nichts == nihil omnino, ne paululum (minimum, puillum, quidem; wenn er (dem) nicht gesteuert hätte == ni (huic rei) obviam isset; Geld spielt bei ihm (gar) keine Rolle -- pecuniae nihil ponit pretii, pecuniae quantum expendat nihil curat.

Sententiae

Qui benefacta sua verbis adornant, non ideo praedicare, quia fecerint, sed ut praedicarent, fecisse creduntur.

Plinius

Multum cum in omnibus rebus tum in re militari potest fortuna.

Caesar

Nihil rerum ipsa natura voluit magnum effici cito praeposuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem.

Quintilianus

Pectus est, quod disertos facit, et vis mentis.

Quintilianus

Catalogi antiquarii:

G. Fock, Leipzig — Cat. 468: Klass. Phil. II, 3964—7981 (Griech. u. lat. Sprachwiss. 3964—4496.

List & Francke, Leipzig — Cat. 445: Bibl. Phil. Class. et Archaeolog., 1—3574 (Script). lat. 1927—3574).

J. Riekers Univ.-Buchh., Giessen — Cat. 63: Klass. Phil. I. 1—2971 (Script. lat. 1716—2954).

M. Götz, München — Cat. 57: Klass. Phil. u. Archaeol., 1—5070 (Script. gr. et lat. 1—3162, Gr. u. lat. Gramm. 3163—4070).

Colligit amicus quidam noster

Chronogrammata, *)

quorum si quae nota sint lectoribus vel eo, quo habitant loco, reperiantur, describantur rogat atque mittantur ad

Redactorem.

*) Sunt chronogrammata (chronosticha, eteosticha, chronodisticha), ut neminem nescire putarim, inscriptiones annum, quo aliquid commemoratione dignum factum est, literis ipsis numerorum vicem praestantibus exhibentes. Exemplo sint hi in pacem Hubertiburgensem versiculi:

Aspera beL La slLent: re Dllt bona gratla paClS.

O sl parta foret seMper In orbe qVles!

M 1000] + D 500] + C 100] + LLL 1:0]
V 5] + IIIIIII 8] = MDCCLXIII [1763]

Aenigmata

composuit

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis

1

A	A	A	A	A
A	A	A	B	B
C	C	D	D	D
D	E	E	E	E
E	E	E	F	G
H	I	I	L	M
M	M	M	N	N
N	O	O	O	R
R	R	R	R	R
S	T	U	U	Y

Litterae in hac figura ita disponantur, ut in libramenti appaerant 1. serpens fabulosus, 2 cognomen Bacchi, 3 Persei mater, 4 pars ianuae, 5. urbs antiqua Sabinorum, 6. uniuscuiusque hominis proprium, 7. terra editum, 8 pars Palaestinae, 9. crimen, 10. arborum florumque decus. — Areolae crassioribus lineolis cinctae duces significant excellentissimum.

2

Ex syllabis
bi bo ci es es est est fa le mo num quod
re se se tet tum u ve
verba formentur, quae hexametrum exhibent
sententiolam continentem.

3

Ex syllabis

a — a — a — a — a — as — bi — cen — cu —
cun — da — da — das — di — di — e — en —
ge — gi — gus — i — in — la — lau —
les — li — li — me — me — mex — mi —
mus — nar — ne — ni — ni — no — non —
o — oe — pa — pa — pel — pus — ra —
ra — ra — ren — ru — sa — sis — sta —
tas — te — ti — ti — tor — tri — um —
us — us — van — ver

duodeviginti verba componantur, quorum litterae primae proverbium vel sententiam exhibeant. Verbis illis significantur: 1. poeta Romanus, 2. vitium humanum, 3 poeta Romanus, 4 avis cantrix, 5. temporis spatium, 6. pars corporis, 7. dux Thebanorum, 8. populus Germaniae antiquae, 9. infantium virtus, 10 bonum exoptatissimum, 11. donum veris gratissimum, 12 planta, 13. cognomen Jovis, 14. decus cubiculi, 15. rex Thebarum, 16 dea, 17. ars, 18. pictor praeclarissimus.

Inter eos, qui recte solverint aenigmata, in sortitionem dabitur:

G. Koch, Antike Dichtungen in deutschem Gewande. Stuttgart, Cotta, 1908.

Plura De Scriptore Latino Judicia:

BRESLAUER HOCHSCHUL-RUNDSCHAU: . . . Der Scriptor Latinus zeigt uns die fast unbegrenzten Möglichkeiten des Ausdrucks, deren die lateinische Sprache fähig ist, ohne dem inneren Wesen der Sprache Gewalt anzutun. Letzteres können eben nur die behaupten, die nicht in der Sprache selbst leben, sondern deren Kenntnisse sich aus Kompendien und Schulgrammatiken herleiten. . . . Der Scriptor Latinus zählt ganz hervorragende Stilisten zu seinen Mitarbeitern, die sich in jahrzehntelanger eingehender Beschäftigung mit der lateinischen Literatur eine souveräne Herrschaft über die Sprache erworben haben. Neben einer Reihe deutscher Gelehrter sind es besonders Niederländer, Italiener und Ungarn, die es bisweilen zu einer ganz erstaunlichen Meisterschaft des Stiles gebracht haben, die sich nicht nur in den elegantesten Darlegungen über Tagesfragen, Literatur, Kunst, Technik zeigt, sondern auch im poetischen Gewande selbst dem Gegner Bewunderung abzwingt. . . . Der Scriptor Latinus will ein Organ der spezifisch humanistischen Studien sein; er verdient daher die Beachtung aller Freunde humanistischer Bildung.

MONATSBLATT DES GOSLARER C.-V.: . . . Diese Monatsschrift, welche das Lateinische neuzeitlichem Bedürfnis anpassen will, sei allen Freunden dieser klassischen Sprache bestens empfohlen. . . . Nach Einsicht in die vorliegende Nummer . . . glauben wir sagen zu können, daß wirklich die totgegläubte Sprache der Römer hier weiterlebt und noch manche Blüten am alten Stamme erzeugen wird.

AUSITANIA: . . . Esta insigne Revista cuenta con gran número de lectores y amigos en todo el Orbe de la Tierra (menos en España por vergüenza nuestra), principalmente entre catedráticos, eclesiásticos, juriconsultos, profesores, discípulos. Escriben en ella sobre asuntos de todo género . . . hombres de todas las naciones; entre éstos, celeberrimos latinistas . . . Muchos editores de varias efemérides han tributado a dicha Revista los más grandes elogios y alabanza por la pureza y elegancia de su lenguaje. . . .

DEUTSCHES PHILOLOGEN-BLATT: . . . Freunde der lateinischen Sprache — und deren gibt es außerhalb der zünftigen Kreise noch mehr als mancher denkt und manchem lieb ist — werden es mit Vergnügen lesen und vielleicht auch Mitarbeiter werden. . . . Viel gelungene Übertragungen deutscher Gedichte, Abhandlungen, Reden, Erzählungen, Denksprüche, Rätsel, sogar Zeitungsnachrichten im lateinischen Gewande bringen die Hefte in bunter Abwechslung. Auch Primaner, meine ich, darf man unbedenklich für die Sache interessieren. . . . Das Unternehmen ist wirklich keine bloße Spielerei.

BLÄTTER FÜR DAS BAYERISCHE GYMNASIALSCHULWESEN: Es war ein glücklicher Gedanke, die „tote Sprache“ als moderne Zeitungssprache aufleben zu lassen und zwar in einer so glücklichen Verwendung, daß dieser Nachfahre des „Civis Romanus“ namentlich Schülern lateinlehrender Anstalten wärmstens empfohlen werden kann. . . . Ich kann mich bei der Empfehlung des Scriptor Latinus der Worte . . . bedienen: Quicumque igitur sine magnis impensis exhilarari volet et oblectari, ei hunc „menstruum commentarium“ vehementissime volo commendatum; denn jede weitere Nummer bringt neues Gute.

LITERARISCHE RUNDSCHAU: Freunde einer guten lateinischen Ausdrucksweise werden in der Zeitschrift . . . ein sehr gutes Vorbild haben. . . .

LITERARISCHER HANDWEISER: Diese für alte und junge Lateiner gleich anziehende Monatschrift, die in einem klassischen Latein Aufsätze, Gedichte . . . usw. bringt, hat sich von Jahrgang zu Jahrgang innerlich wie äußerlich gehoben. . . .

HANNOVERSCHER PASTORAL-KORRESPONDENZ: Der Inhalt ist . . . vortrefflich, unübertrefflich . . . Auf die Zeitschrift muß immer wieder empfehend hingewiesen werden.

RHEINISCHE HOCHSCHUL-ZEITUNG: . . . Wer sich Übung und Fertigkeit im Gebrauche der lateinischen Sprache erwerben will, dem wird diese Zeitschrift sehr gute Dienste leisten. . . .

CERTAMEN POETICUM HOEFFTIANUM

Mortuo KARSTENO, Academiae Secretario, poetae Hoefftiani rogantur ut carmina sua in proximum certamen descensura mittant ad:

**Het Bestuur der Koninklijke Akademie van
Wetenschappen, Trippenhuis, Amsterdam.**

P. D. CHANTEPIE DE LA SAUSSAYE,
Acad. Regiae Ord. Lit. Praeses



SCRIPTOR LATINUS

Commentarii Ad Linguae Latinae Humanitatisque
Studium Colendum Editi

Prodeunt decies in anno pretio 4 M^{rum}.

Annus X: Numerus X

— Procurant negotia —

in America: G. E. Stechert & Co., New-York, 129-133 West, 20th Street;
in Britannia: D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C.,
57-59 Long Acre;
in Italia: Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via
Tornabuoni;
in Nederlandia: N.V. Boekhandel, voorh. Gebr. Belinfante, Den Haag, Kneuterdijk 3;
in Russia: K. L. Ricker, St. Petersburg, 14 Newsky Prospekt.



Summarium:

Lommatius, Ein feste Burg ist
unser Gott!

Pro Domo

Dieckhöfer, Annettae de
Droste-Hülshoff de morte An-
gilberti archiepiscopi carmen
latine

Dole, De quaestione sociali
Joseph, Votum Sulpiciae
Palata, Horae subsecivae

Tassetius, In stabulo
Skutella, Excubiae Padanae

Programma certaminis Hoeuff-
tiani — Res minutulae —
Ex epistulario redactoris —
Ephemeridum circumspectus
— Responsorium Sententiae

Nomina et domicilia eorum, qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

Dr. E. Arens, Praec. Gymn., Aachen
A. Behrsing, Praec. Gymn., Reval
H. Bigot, Prof. Instit. Carthag., Tunis
Dr. H. Brand, Prof. Gymn., Hagen
Dr. W. Bubbe, Halle
T. Chavé, B. A., Chicago
Dr. P. H. Damsté, Prof. Univ., Utrecht
Z. Dembitzer, Prof. Gymn., Stanislaw
Dr. E. Dieckhöfer, Praec. Gymn., Aachen
J. Dole, Rect. Schol. Lat. em., Kaisersesch
Dr. J. Drachheim, Prof. Gymn., Friedenau
Dr. Th. Elsaesser, Maredsous
Dr. L. Fischer, Medicus, Heidelberg
J. Fonts, Presbyter, Vich
Dr. H. Geist, Prof. Gymn. em., Darmstadt
F. Gustafsson, Prof. Univ., Helsingfors
Dr. W. Günther, Praec. Gymn., Jena
H. Hansen, Parochus, Pellworm
J. J. Hartman, Prof. Univ., Leiden
Dr. E. Heikel, Helsingfors
V. Hertel, Parochus, Friedelshausen
Dr. J. M. Hoogvliet, Doc. priv., Haag
E. Hora, Prof. Gymn., Wien
C. Hultgren, Prof. Gymn. em., Leipzig
J. E. Kenny, Prof. Gymn., St. Paul
Dr. K. Kunst, Prof. Gymn., Wien
W. Lehmann, Rei Vehic. Praep. em.,
Breslau

Dr. L. Laurand, Canterbury
Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn., Stuttgart
A. Nardis, Prorect. Sem., Aquila
F. Palata, Prof. Gymn., Prossnitz
J. Pistner, Rect. Gymn. em., Tölz
Dr. G. Pitacco, Prof. Gymn., Görz
L. L. Podobinski, Prof. Gymn., Neu-
Sandec
J. Ramorino, Prof. Univ., Firenze
P. Recanatesi, Prof., Osimo
J. Roberti, Rect. Gymn., Cesena
Dr. W. H. D. Rouse, Prof. Univ.,
Cambridge
W. Rösch, Prof. Gymn. em., Heilbronn
Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., Giessen
Dr. P. Schmid, a cons. stud., Dresden
R. Schmidtmayer, Prof. Gymn., Budweis
H. Schöttle, Prof. Gymn., Stuttgart
M. Skutella, O. F. M., Neisse
A. Stahl, Parochus, Horb
J. Steinbauer, Rect. Progymn., Winds-
bach
Dr. St. Székely, Prof. Gymn., Budapest
J. Tasset, Tonnerre
Dr. H. Weller, Ellwangen
Dr. H. Werner, Praec. Gymn., Düren
Dr. A. van Wessem, Ictus, Tiel (†)
P. Worms, Prof. Gymn., Meldorf

SCRIPTOR LATINUS

*Quinta quaque prodit hebdomade mandarique potest per omnes bibliopolas
et non apud ipsum editorem. Pretium annum est in Germania, Austria,
Hungaria, Luciburgo 4 M (4.80 Cor.), in ceteris terris 4.25 M; singuli
constant numeri 0.40 M.*

*Epistulae, manuscripta, libri et libelli, de quibus censurae fiant, aliaque
ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur ad Voldemarum
Lommatzsch, Bremiportu (Bremerhaven), pecuniae vero epistulaeque nego-
tiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem, Bibliopolam
Lüstenöder, Francofurti a. M., Baustrasse 10.*

Scriptor Latinus

Commentarii Ad Linguae Latinae
Humanitatisque Studium Colendum Editi

Ann. X Francofurti a. M., Mense Augusto MCMXVI Num. X



•• Ein feste Burg ist unser Gott ••

latine reddidit

Uoldemarus Commatius

Est Deus arx firmissima
Et armatura fortis:
Defendit nobis omnia,
Quae instant, mala sortis.
Hostis impius,
Furens saevius,
Vi et subdole
In nos accingit se.
Quis ei par in orbe?

Vis nostra nil proficiat,
Nos brevi periremus,
At vir pro nobis dimicat,
A Deo quem habemus.
Quis sit, quaeritas?
Est, ne nescias,
Christus Dominus,
Nec Deus alius:
Is hosti praeualebit.

Sit plenus orbis daemonum
Nobisque inhiantum;
Quid timeamus nimium?
Vincemus quemvis tantum!
Princeps saeculi
Fremat animi,
Nihil oberit,
Cum iudicatus sit:
Vel verbulo peribit.

Ne tangant verbum Domini,
Nec sit quid dignationis:
Hic suo iuvat tempori
Nos spiritu ac donis.
Vitam, famam, res,
Natos, coniuges
Demant — transeat;
Nil ipsis lucri dat:
Nos regnum obtinemus!



Pro Domo

Invitissimus ego ad eandem quam in septimo numero attigi rem redire cogor. Nam cum putarem eos, qui intercesserant, placatiore animo re examinata leviozem illam, quam ut amplius disceptaretur, esse sibi persuasuros meque, si proverbium sequens quietam non moverem, optime utrique, ut ita dicam, parti servituum illosque fortasse acquietuos in meo silentio esse sperarem, novae mihi allatae sunt literae, quas qui scripserat, iterum me de promissa explicatione admonebat simulque alium quendam ex sociorum numero descivisse a nobis nostrisque commentariis non sine magna admiratione mea nuntiabat.

Non ergo satis est, ut declarem me non oblivione aut negligentia eorum, qui se offendi significarant, aut quia exitum timerem controversiae, sed iustis quae quidem viderentur rationibus ductum non respondisse — oportet, ne dicam necesse iudico, omnia ad rem causamque pertinentia, licet pluribus opus sit verbis, sine ira, ut par est, et studio disputare, cum praesertim fieri possit, ut quaedam alicuius in posterum quoque sint momenti.

Addam, ne quid tacere videar, ex septem, quorum legi responsa, sociis quatuor, etsi ne recipiantur talia dissuadentes, tamen offensos sese esse versuculis negare, Hoogvlietium vero, quem honoris causa nomino, nulla alia re nisi amore ac studio Scriptoris commotum eiusque tantum ut serviret commodis, se intercedere non semel scripsisse illudque ego de ceteris cum eo plus minusve sentientibus dici licere habeo persuasum.

Sed iam ad singula, quae mihi obiciuntur, refutanda progrediamur et a prooemio, si placet, ordiamur carminis.

Qua de re sic ego censeo: Quamquam, quod non mirum videtur, nemo fuerit Britannus, nemo Francogallus, nemo Germanus nec quisquam ceterorum inter se luctantium populorum, quin, quamvis ipse detestetur bellum, adversarios devinci suamque patriam superiorem ex immanibus his pugnis discedere cupiat, tamen ego cui faveam parti, si quis nesciat, neque ex ipso carmine neque ex verbis illi praemissis possit suspicari. Nam ad prooemium quod attinet, quis non videat illud non scriptum esse, ut cuiquam invidiosum esset nationi, verum ut carperem leviter irridere eorum artificia, qui, ipsi cum absint a rebus bellicis, nihil aliud faciunt nisi stultis non minus quam iniustis immeritisque iurgiis atque conviciis mutuum inter gentes inflammare odium student? Quodsi, ut Hoogvlieti utar verbis, nobis Latinis, nobis scientiae universalis antistibus, sacrum illud incumbit officium, ut sapere audeamus, ut recte sentiendi praestemus normam atque exemplum, nonne istius etiam generis homines impugnare nostrum sit existimandum? Qua in re eo minus mecum dissensuros esse lectores arbitrari videbar, quod eruditos veraque humanitate peregrini excultos homines longe aliter atque illi scriptores diurni de nostro populo eiusque moribus, institutis, rebus gestis iudicare et ex libris et ab ipsis exterarum terrarum incolis saepe cognoram. Nonne unumquemque, qui sibi persuaserit de suorum popularium de artium literarumque studio meritis, nonne eum, inquam, pigeat, taedeat, paeniteat, si, qui nullam saepe praeter ipsorum regionem viderint, nullam aliam linguam didicerint, numquam alterius gentis mores ingeniumque peroscere studuerint, eos temere neque alia de causa, nisi ut suis blandiantur, populum — sit mihi venia iterum de mea patria praedicanti — populum dico iisdem sine dubio quibus alii laudibus dignum omnis generis scelerum atque flagitiorum insimulare eundemque, ut Cato olim Carthaginienses, delendum penitus atque recidendum dicere audiat? Tamen ego omnia de hac re dicta, quippe quae sine ulla peregrinorum amicorum nostrorum culpa scripsissem minimeque ad illos vellem spectare, omni quoque ut eorum carerent offensione dedi operam. Credo equidem, ut multi, quorum rogavi sententiam, nullam ullius gentis inesse insectationem. An tum etiam de politicis in Scriptoris disserere rebus

vetamur, si, ne quid verba habeant acerbatis, diligentissime atque, ut ita dicam, religiosissime cavemus?

Illa autem ut alia in Scriptore tractandi haecce tempora incredibili sua atque inaudita adhuc rerum varietate unumquemque ad scribendum excitantia multas praeclarasque offerebant occasiones, nec pauci sunt, qui, cur non ipse omnes has res bellicas breviter enarrarem lectoribus, quaesiverunt. Tamen ego, ut neutri favere parti viderer parceremque aliter sentientium animis, ab omni belli huius descriptione abstinere malui, non sine magno multorum, peregrinorum etiam, dolore. Num ergo aequum est putare me, qui tot annos his commentariis praefui nec antiquius quicquam habui, quam ut omnes omnium terrarum incolae communi quodam vinculo consociarentur, alicuius nationis homines prae aliis velle detrectare?

Quid vero est, propter quod ego, ut in quadam epistula scriptum legitur, vehementer incusandus censeor atque damnandus? Publicavi carmen a milite quodam inter terrores belli factum, in quo ille, ut praeteream, quae non nisi quod vilia atque inania sint reprehenduntur, hos — ipsis poetae utor verbis — protervos Gallos brevi humi prostratum, devictum, fugatum iri sese dicit sperare. Protervi igitur, non miseri vel improbi, ut germanice redditum in prima de hac re epistula legi, hostes vocantur, quod plurimum interesse appareret. Nam quicumque vel leviter nostrae linguae imbutus est scientia, non ignorat illud ‚protervus‘ nihil esse nisi nostrum adiectivum ‚frech‘, ‚dreist‘ in latinum conversum, quod apud pueros ludentes ut tota Germania usitatissimum est et, si ipsum observamus sensum, adeo nihil in se habet offensionis, ut ei, quemadmodum aiunt, studentici potius aliquid insit cum quadam festivitate coniunctum, id quod optime illustrat illud omnibus academicis notissimum carmen „Als die Römer frech geworden“ a Scheffelio nostro, perpetuo, ut ipse se dicebat, studioso confectum.

Scilicet, sicut omnia, ita haec quoque verba ex ipsa dicentis conditione eiusque corporis animique constitutione intellegenda atque iudicanda sunt. Si, ut simile afferam exemplum, Roussetius, Francogallorum de bellicis rebus scriptor notissimus, praeclarissimum nostrum hoc bello ducem ‚ce diable de Hindenburg‘ vel Britannus quidam milites nostros ‚those damned Germans‘ appellat, quis est quin sentiat his nominibus non tam detrectari aut irrideri hostem, quam quid possit, quanta gesserit, castrensi quadam simplicitate exprimi?

Qui ergo sunt ‚hi protervi Galli‘? Hi sunt imprimis, qui vix centum saepe passus a specu militis poetae distantes ingenti telorum grandine obruunt omnia ac devastant, qui iterum iterumque oppugnantes vix eum respirare sinunt, qui, ut nuper scripsi, subterraneam ipsius casulam summo labore exstructam inque villae speciem quoquo modo ornatam granatis, scrapnelis aliusque generis pyrobolis destruunt vel directo paene in eam ictu glandes in ollam immittunt cibo vixdum ex culina petito repletam, qui, ne maximum omittamus, militem desiderio amicorum, cauponae, famulae spumantis cerevisiae cyathos ministrantis tabescentem, ne revertatur domum, pertinaci sua fortitudine prohibent. Hi ergo ut quam primum vincantur et fugentur ardentissime ille exoptat atque sperat. Nam quid praeterea iudicet de hostibus, nihil refert nihilque omnino ad nos pertinet: carmen ipsum aliter atque exposui intellegi non potest; omnia ita cuicumque vitam militis consideranti apparere mihi videntur, ut, qui peregrinus iis offendi possit, non videam. Quid quod Tassetius noster, ipse, ut scitis, Francogallus et quem, quamvis familiariter eo utar, si aliter sensisset, non minus tamen aperte sententiam suam dicturum fuisse sciam, fas esse militi in fossa scribenti, ut vincantur hostes et fugentur, cupere in literis suis ad intercessionis auctorem datis dixit. Huic quoque libenter concedo gentis nomine in carmine praestitisse abstineri. Quo quod non abstinerim, nulla factum est illius nationis invidia.

Quid plura? Satis hercle demonstrasse videor nihil esse quo peregrini nostri amici et socii offendantur. Quod cum omnibus accurate perpensis rebus intellexissem, tum demum carmen ego edere constitui, et quod inane et vile nulliusque omnino pretii illud esse dictum est, ego, ut quisque videt, non maiorem ei tribui laudem quam qua, si tempus locumque originis respicimus, dignum videtur. Est quod curiosum vulgo vocatur, nihil aliud nec pluris id haberi volui nec volo festivitatisque tantum causa id esse publicatum iam initio dixi. Sed haec hactenus.

Bellum, quo omnia fere mutari atque converti videmus, iis quoque addidit animum, qui reformato quod dicunt educationis et eruditionis genere antiquae humanitatis studia interitura, veteres Graecorum Romanorumque linguas doceri desituras esse non solum sperant, sed id ut fiat, omnibus quoque viribus moluntur. Quamobrem nunc, si quando, levioribus posthabitis rebus coniungamur necesse est, ut Scriptor noster, qui usque adhuc omnium illa studia colentium tamquam praeco existimatus est, crescente eorum, quibus imprimis eum destinavi, auxilio novo quoque anno causam nostram eodem quo ante successu possit defendere. Nam si iis temporibus, quibus haud facile est, ephemeridem totum per orbem diffundendam edere, commentarios, longioribus licet intervallis, emittere potuimus, nos, si suam quisque praestiterit officium, idem posthac quoque facere posse non est dubitandum.

In nobis igitur ipsis, lectores carissimi, sita est salus ac spes Scriptoris Latini; nihil, credo, ampliore opus est adhortatione. Red.

De morte Angilberti archiepiscopi Coloniensis

Secundum Annettae de Droste-Huelshoff carmen epicum

Ex prato surgit vapor; efferventibus undis
 Rura fluit, calamos acer dum personat Eurus:
 Ecce, umbrarum agmen per agros equitare videtur,
 Emergunt saltu nebulosi; fluminis inde
 Ad vada descendunt resonantia, fluctibus audent, 5
 Ungula dum temptat, properis obnitier armis.
 Jamque fremens latera enixus rorantia iactat
 Fortis equus iamque alter adest geminique secuntur,
 Viginti dum quinque horrent, firmissima saepes.
 Tum vero ramis diruptis praepete cursu 10
 Per nemora ac saltus dumetaque vasta feruntur.
 En quercu adnexus ventos elapsus iniquos
 Isenburg, ramum dum complicat ulna, volutat
 Tristia animo penitus memori surdusque videtur
 Verbis pallenti quae Rincerad ore susurrat 15
 Per frondes, ut aves quae cantant omina dira.
 ,Ecquid paeniteat coepti, comes? angit inanis
 Corda pudor? tu perge tenax, comes. anne reverti
 Consimiles canibus libet, eheu, verbera passis?
 Quo cogente manus hastam amisere ligatae, 20
 Libera quae fuerat? nil ille audire videtur.
 ,Cui rosa cruxque, comes, placuerunt consociatae?
 Quove auctore errat gener in terra tuus exsul

Ad lin. 2: Rura nomen fluvii, qui nunc dicitur Ruhr 15: Rincerad eques ac satelles comitis de Isenburg 22: Angilbertum, archiepiscopum Coloniensem, cruci, suae potestatis insigni, rosam, insigne Comitum de Berg, addere voluisse dicit Rincerad, quam Isenburg uxoris fratri vindicabat.

Ipse sua? servumve notat quis te monachorum?
 Isenburg tacet atque incurvat robora rami. 25
 ,Quis te damnavit, crinito foedus amictu
 Ut stares, ceramque manus dum sustinet, eheu!
 Orares vetulas supplex kyrie ac litanis?
 Fit fragor ac ramus praeceps aufertur in auras.
 Isenburg: ,quid, stulte puer? mene esse sepultum 30
 Tu vivum censes? invisum quando ego — sistas,
 Iam taceas! audis? sonitum dedit ungula velox.
 Prospectant tacitique auscultant; crista superne
 Per ramos scandit volitatque simillima corvo.

Horrida per silvas dubiae primordia lucis 35
 Suffulgent nebulas udas agitante novembri:
 Vasta sonant dumeta modis miris gemitumque
 Dant miserum rami et ventus lugubria cantat.
 ,Heus puer, armorum sonitus pervenit ad aures?
 ,Immo, inquit, domine, clangorem forte procella 40
 Cantantis rapidis alis avis huc tulit ad nos.
 Dixit. Iter pollens praelatus pergit equester,
 Materni qui sceptrā tenet sanctamque tiam
 Caesaris atque loco praefectus saepe gubernat
 Consilio gentes, cleri durissimus auctor. 45
 Armati hunc equites bini binique camilli,
 Tres dominum simul abbates comitantur euntem.
 Ille animo, dum pergit iter, mirabile fingit
 Laetus opus templi speciosi (lora remissa
 Colla premunt manni) mulcetque iubae decus, aurae 50
 Quam modo demittunt, nunc iam spiramina tollunt.
 Horret equus gutta, ramis foliisve ubi forte
 Decidit ad terram nebulae ceu lacrima tristic.
 Iam surgit delubri excelsis ardua muris
 Porticus ac crispae florescit spira volutae — 55
 Ha, quis sibilat? hui, porrectaque quid manus — ecce,
 Crista oritur; collum subito petit horrida dextra.
 Tum vero erumpunt rapidi velut agmina aprorum.
 Diffugiunt monachi; ferrati proelia temptant
 Turpia cum paucis plures. conamine magno 60
 Ipse enixus equum flagri ferit ictibus; ille
 Cum fremitu fauces superat stridente flagello.
 ,Ei mihi, Rincerad! exclamat praelatus eoque
 Delapsus dumeta petit latebrasque virentes.
 ,Heus agedum, truncate canem, truncate ferocem! 65
 Irrumpunt silvam mordax ceu turba venantum;
 Orbe dein cincto procursant undique; rami
 Franguntur sonitu; propius succeditur. ecce,
 Praelatus fago admixus iam constitit, apro
 Tum similis, cinxit latrans quem turba Molossa. 70
 Desperansque brevem lati ferri aspicit ense,
 Dextera quem strinxit, laevaue sago petit hamos
 Velatos temptans, hostes defendere promptus.
 Tum vero densat fortissimus ense sacerdos

Ad lin. 43: Maternus, primus episcopus Coloniae

Ictus flammiferos; strepitu sonat undique silva 75
 Pervolatque nemus frons querneae. nec mora, rubris
 Bracchia iam testaeque madent labentibus undis:
 Ille armis tamen orbatus molimine magno
 Obluctabatur, frustra: fodit inguina sica
 Infido stridore vorax. 'Satis o nimiumque est,' 80
 Isenburg clamat, captat dum frena, simulque
 Unum caesarie prensa trahit ipse latronem
 De stapia misere afflictum mulcare parantem
 Turpiter. 'Ah nimium est; procul hinc discedite cursu!'
 Aufugiunt veluti parris stridentibus acti. — 85

Ac iam vis venti deferbuit. arboris uda
 Frons micat ac rima despectat cristiger alta
 Picus stagna super sanguiflua. Labitur, ecce,
 Saucius ex alto foliis trepidantibus anclus,
 Aegrae capreolae similis lassaeve columbae. 90
 'O domine illustris, foedo carissimus ictu es
 Abreptus manibus sceleratis; ei mihi castus,
 Ei mihi, tu sanctus.' Collo simul abstrahit ille
 Linteolum plagisque aptans illis modo, nunc iam
 Imprimis his aliisque dehinc hiscentibus. heu heu 95
 Vulneribus lacerum corpus rimisque cruentis!
 'Huc, huc, quisquis adest!' exclamat genuaque flexa
 Summittit speculans vitales anxius auras.
 Nec tenuem gemitum captarit auribus? Immo,
 Mox raro digitus motu trepidare videtur. 100
 'Huc, huc, quisquis adest!' — 'Heus adsumus, adsumus!' inde
 Reddita vox laeto est. 'Euax, rediere sodales!'

Qua Rheni fluctus te, sacra Colonia, lambunt,
 En mulier iuxta saxum genibus sceleratum
 Nixa iacet superante rota, corpusque superne 105
 Ecce, rotam premit astrictum, quo vermiculorum
 Corvorumque simul pascuntur agmina foeda.
 Fracta iacent misero praeclara insignia gentis
 Excelsaeque domus vasta cecidere ruina
 Moenia clementique deest obnoxius ipse. 110
 Principis interea corpus fumantia tura
 Lychnique obvolvunt nebulosi; tabidus illum
 Halitus effusus circumfluit ossaque grandio
 Verberat exesosque artus. dum naenia surgit
 In templo, surgit mixtus cruciatibus illis 115
 Hymnus 'Teque deum' cantarunt milia multa ...

Ac civis, rota cum visa est, dat lora caballo
 Praecipitatque moram. nilo tamen illa movetur,
 Quae genibus nixa est, mulier vepallida, custos 119
 Corporis, heu, laceri, ac corvos fugat undique panno
 Stridentes misero, laquei cui dira subire
 Suasit amor nimius discrimina; fortis et idem
 Lux vitae dulcis fuit ac pater, heu, puerorum.

De quaestione quam vocant sociali

paucis absolvit

J. Dole, rector scholae latinae em.

Sed jam satis, quanta mala socialia inter nos existant, disputavimus. Nunc, quomodo tollantur illa aut saltem minuantur, quaerendum videtur. Omnino tolli nunquam poterunt, quia mundus, quamquam a Deo creatus, imperfectus est et manebit, donec homines libero arbitrio praediti erunt in eo. Aurea aetas in fabulis est, hortus Eden conclusus: nos in sudore vultus nostri vescimur atque vescemur pane.

Inquiramus primum, quanam causae sint horum malorum, de quibus egimus. Sunt qui dicant in causa esse abusum alcoholis. Ac nimia bibendi aviditate, patris imprimis, multas familias, ut ita dicam, dirimi magnoque uxorem et liberos maerore ac luctu affligi, haud paucos quoque mente captos nasci ex his familiis posteaque nosocomia et ergastula implere — quis est quin sciat? Sed unde ista oritur ebriositas?

Alii impudicitiam maxime mulierum accusant eamque unquam tantam fuisse negant, quantam nostris temporibus. Nec satis esse his diebus libidinis atque impuritatis nemo dubitet. Sed quae est causa istius impudicitiae?

Non iniuria denique quidam mundi miserias in hominum a religione defectionem conferunt tamquam poenam. Nam multi re vera obliti videntur esse officiorum erga Deum et ecclesiam. Sed et hic jure quaeritur: qua in re culpa?

Equidem sic existimo: Desinent abuti homines alcoholicis, non impudicitiae illecebras sequentur, dabunt Deo, quae Dei sunt, si contenti erunt sua sorte. Hic haeret aqua, ut est in proverbio. Liceat ergo mihi nonnulla de remediis illorum malorum afferre. In priore parte hujus dissertationis querelas protulimus de vita familiae corrupta. Quae res ut sanetur, primum omnium postulandum est, ut unicuique juveni, cum ad aetatem nuptiis maturam pervenerit, potestas detur familiae condendae. Ad hoc nequaquam opus est magna pecunia, opus autem est domuncula et, quod maximi momenti est, agello. Terra enim nobis omnibus data est, ut, quemadmodum scriptum legimus, crescatur et multiplicemur et illam nobis sub-

jectam faciamus. Et quid obstat, quominus unusquisque opificium suum domi exerceat? Ex agri vero cultu magna quisque partem victus percipiet et necessariam laborum refectionem. Quod autem attinet ad eos, qui in metallis, fodinis, aliis industriis, ut aiunt hodie, mercedis causa operam praestant, postulandum mihi videtur, 1^o ut sufficiens detur manupretium, 2^o ut hi quoque habeant domum propriam cum hortulo aut agello, 3^o ut in senectute et morbis adjuventur et sustententur ab iis, quibus lucrum paraverunt.

Nam ut vita familiae sit bene ordinata et membra ejus bene beateque vivere possint, ante omnia opus est victu sufficiente cum opulentia quadam conjuncto, quae omnibus hominibus praebere potest terra recte justaque distributa, ita quidem, ut unicuique partem quamvis exiguam possidere liceat.

Questi sumus, quod pater saepissime abest a familia, uxor et liberi illius tutela carent, quod utinam vitari omnino posset. Sed licet multa sint opificia, quae domi fieri possint, tamen pars magna hominum mercedis quaerendae causa domo exire coguntur ad fabricas vel fodinas. Postulavimus supra, ut hi quoque domum propriam et hortulum possiderent. Quod quidem difficile, immo vero nullo modo posse fieri videtur, si consideramus tales longius a fabrica domunculas aedificandas esse, quam ut opere diei peracto operarii longa via defatigati hortuli se dedant culturae. Adjuvabit autem eos vis illa electrica, qua magis magisque ruricolae quoque utuntur, posteaquam eo pervenit ars technicorum, ut a centrīs quae vocantur electricis flumina radiorum instar ad omnia loca circumjecta, cum vicina tum longissime etiam sita, transmittantur. Et haec vis mirifica non solum omne genus machinarum, quae spectant ad manufacturam, opera domestica, agriculturam, potest movere, vehuntur etiam multis in viis curvus ea agitati. Quibus usi operarii et omnes, qui aliud quid faciunt, facile mane ad opificinam pervenire possunt et meridie vel vesperi opere perfecto redire.

Sed et alia multa videntur refor-

manda. Unum dicam: oportebit novum genus urbium vel, ut melius dicam, vicorum oriri. Non erunt urbes illae antiquae, angustiores, in quibus domus ita sunt inter se continuatae, ut se invicem opprimeret videantur vixque in cubacula radii solis intrare possint, neque viae, quibus, ut Caesaris verbis utar, vix singuli carri ducantur. Erunt contra vici, quorum domus, belle ac venuste aedificatae, longe lateque dispersae, hortis disiectae et viae latae, arboribus et fruticibus ornatae speciem praebebunt multo ea, qua sunt hodie, pulchriorem.

At non in solo pane, ut est in scriptura, vivit homo: ad majora quaedam nos natura genuit et conformavit. Haec autem ut assequamur, non terrestria tantum nobis mortalibus sunt spectanda, sed coelestia etiam et supernaturalia. Sed qui hoc fieri potest, si homines gravibus diurnorum negotiorum curis tamquam catenis revincti atque depressi vel paululum respirare animumque ad eorum, quae supra humanum sunt, convertere cogitationem ventantur? Quamobrem, si animum nostrum praeparari hac vita volumus ad illam, quam exspectamus, appetendum est et studendum, ut, dum in terra sumus, aliqua saltem felicitate atque securitate fruente vivere queamus nobisque, ne pecorum ritu proni ac modo ventri, modo somno, modo labori servientes degamus, satis detur otii ad animum artium, naturae, Dei contemplatione tollendum. Tum demum verum fiet illud summum Creatoris praeceptum:

„Sex dies operaberis et facies omnia opera tua, septimo autem die sabbatum Domini tui est, non facies omne opus in eo“. Nam quae socialis dicitur quaestio, non minus corporis quam animi est.

Haec igitur, ut comprehendam omnia, optanda, immo vero postulanda esse mihi videntur:

1° ut homo necessarium victum habeat aut ex ipsa agricultura aut ex opificio suo aliave opera aliquo modo cum agri cultu juncta;

2° ut tempore laboris, qua par est ratione, minuto sufficiente fruatur otio ad corpus animumque alienis aliquibus a diurno opere occupationibus relaxandum;

3° ut morbo vel senectute confectus adeo sustentetur, ut, quod reliquum est vitae, otiose, tranquille, secure ei liceat transigere.

Sed quis haec omnia sit perfecturus quaeritis? Est mea quidem opinione aut reipublicae officium aut ipsius societatis.

Haec si non suum esse intellegat curare, ut omnes quam maxima felicitate et quam minima inquietudine vitam degant, illa, quae communis voluntatis tamquam instrumentum est, vi, si necesse fuerit, adhibita tardos officiique immemores ad ea, quae necessarie ab iis praestanda sunt, cogere debet. Et quanta eorum, qui rem publicam gubernant, sit potestas et quam magna quamque salutaria, ea si prudenter utamur, efficiantur atque perficiantur, nos, si quando, nunc in se quisque, invitus licet saepe, cotidie experimur.

Programma

Certaminis Poetici ab Academia Regia Disciplinarum Nederlandica
ex Legato Hoeffftiano in annum MCMXVII indicti

A. d. III. Id. Mart. huiusce anni in conventu Ordinis Literarii a iudicibus ita est relatum de XXVIII carminibus, quae ad tempus iis erant tradita (nam quattuor haec, utpote quae serius advenerint, in proximum reservantur certamen: *Nox Natalicia, Formosa Mulier, Bellum undique saeviens, Harlemi Campus*).

Statim sunt seposita quae minime placuerunt duo: *Da Pacem Domine* et *Querulae Voces*, quibus haud ita multo praestare visa sunt decem haec: *De Immani Diversarum Gentium Bello, Lusitaniae Fatum, Nicus, Eles, Lausus, Curtius, Vidua, Candida, Belgarum Fatum, Funus*.

Seposita et haec undecim, quorum tamen varia merita nos minime latuerunt: *De Nativitate Christi, Irrita Vota, Dulce videre suos, Quinque sorores, Aqua Mercurii, Natale Solum, Villula Perna, Ad Populos Europaeos, Idyllium, Carmen Rosae*; denique *De Iodo*, carmen a viro impense docto mira structum arte, sed quod poeticae suavitatis poeticique ardoris parum habere visum est.

Magnopere placuerunt dignaque visa sunt quae in corpus carminum hoc anno edendorum reciperentur quinque carmina, quae hic ita enumerantur, ut ad omnium optimum adscendantur: *Civi Monita*, *Vita Rustica*, *Pacis in Bello Ministri*, denique (nam utrum horum praemio aureo esset ornandum aliqua fuit dubitatio) *Tumulus Vacuus* et, quod tamen ei praestare visum est, suavissimum carmen *Aviae Lychnus*. Hoc ergo palmam reportavit, atque aperta scidula prodiit poetae nomen Antonio Faverzani. Et carminum q. t. *Pacis in Bello Ministri* et *Tumulus Vacuus*, id quod petiverant poetae, statim sunt apertae scidulae, eorumque haec sunt inventa nomina: Franciscus Xaverius Reuss qui *Pacis in Bello Ministri*, Carlo Vignoli qui *Tumulus Vacuus* cecinit.

Haec ergo tria carmina sumptibus legati Hoeffftiani in lucem emittentur atque etiam reliqua duo: *Vita Rustica* et *Civi Monita*, si eorum poetae nobis *ante Kalendas Iunias* scidularum aperiendarum dederint veniam.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus ut carmina latina, non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati, nec quinquaginta versibus breviora nitide et ignota iudicibus manu scripta suo sumptu *ante Kalendas Ianuarias anni proximi* perferenda curent ad «Het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis, Amsterdam», munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poetae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poetae in transcribendo portabile prelum Britannicum (type-writer) adhibebunt et si, quemadmodum in *editionibus* poetarum latinorum fieri solet, inde a vs. 5 sextum quemque versum numero ornabunt.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur, eique subiungentur alia laude ornata, quando scidulae aperiendae venia dabitur. Hoc *ante Kalendas Iunias* fieri debbit.

Exitus certaminis in conventu Ordinis mense Martio pronuntiabitur; quo facto scidulae carminibus non probatis additae Vulcano tradentur.

Amstelodami
Kal. April. MCMXVI

P. D. CHANTEPIE DE LA SAUSSAYE

Ordinis Praeses

Votum Sulpiciae

Carmen Francisci Joannis Mariae Joseph Batavi

Sulpiciam, casti amoris poetriam, e Martialis libro omnes novimus; quam ergo carmen meditatam esse hoc poeta fingit:

Te, Venus, atque tuas liceat mihi dicere laudes,
Quae Jove nata Jovis sedem faciemque serenam
Aspicis, et cunctis meditaris munera pacis.
Tu, formosa Venus, brumali diruta nimbo
Rura novo splendore facis rediviva renasci,
Seminibusque suum servatum robur adauges.
Tunc campo genus arva colens laetatur amoeno,
Justaque gramineis tibi munera libat in aris.
Et „iucunda Venus“ certatim carmine dicit,
Quae tamen et subeunt viridantis gaudia messis
Pectora ruricolûm, manus ut diffusa per agros
Errat, et acceptae Veneris miratur aristas!
Omnia tunc late populo trepidante resultant,
Dum puer, et nimium, studiis puerilibus ardet,
Et rapit e manibus fulvas messoris aristas.
Pinguibus at cultor nova semina credere sulcis
Cum parat, orantem celsis e sedibus audis,

Atque nives non iam tempestatesve timenti
 Frugibus horrentem segetem sperare suades.
 Mox vero saevis ventis hiemalibus ortis
 Et pater et mater cum prole foci petit ignem,
 Jmmemor et nunquam solitarum rerum operumque,
 Quam bene quisque colit, iamiam sibi vindicat artem.
 Jnter opus sermone levi domus omnis abundat,
 Et iamiam resonant hilari penetralia plausu.
 Tunc pater adridet varie ludentibus, atque,
 Garrula compescens interdum pectora verbis,
 Mente tamen tacita casta se coniuge laetum
 Praedicat, et natis se laetam praedicat uxor.
 Casta domus te, diva, iuvat, te casta maritum
 Uxor amat duce, te series auctore paratur.
 Non ego, mentiti quaecumque indigna locuti
 Sunt de te, tua facta reor, non foeda libido,
 Diva, tua est: quaecumque tuae fecere nitentes
 Pulchra manus, sanctis moderaris legibus ipsa.
 Diva Venus, quoniam Superiorum summa voluptas
 Diceris, et minuit nemo tua iussa deorum,
 Flecte tuo nostrum violatum numine sensum,
 Tristis ut his aevi reduces erroribus acti
 Rursus ad antiquum castum redeamus amorem;
 Jam Venere indignum pudeat committere quidquam.

Tu tamen haud nostris aberis, dea, versibus unquam
 Materies semper patrio cum Numine nobis.
 Et dum per populos et subdita Caesaris armis
 Jmperia optatae regnabunt foedera pacis,
 Te, Venus, et Patrem latissimus efferet orbis,
 Omne quod adflatu vitali sola ministras,
 Et per te quoniam terras deus ille gubernat.

Divia, vale; valeas, exortum sidus amoenum,
 Vesper, imago meae Veneris, qui lumine leni
 Candidior vatem me prospicis, una venustae
 Facta tuae dum nos meditatur pectore divae.

In villa Marci

Anno MCMXII

Res minutulae

Iuvat ex literis ad me datis cognoscere multos lectorum resculis sub hac, ut aiunt hodie, rubrica publicatis magnopere delectari. Aequè gratum fuit, quod haud pauci illorum ipsi aliquid conferunt idque imposterum sese facturos esse promittunt. Ecce flosculi a Lehmanno nostro oblati:

„Romani, dum in luctu erant, albam togam exuebant“ — „Wenn die Römer im Bett waren, zogen sie das Hemd aus“ —

„Socrates venenum laetus hausit“ — „Der fidele Socrates hausierte mit Gift“ —

„Qualis artifex pereo!“ — „Welch ein Kunstfex geht mit mir zu Grunde!“ —

„Socrates maluit bonus esse quam videri“ — „Socrates wollte lieber etwas Gutes essen, als zusehen“ —

Meminit idem unum e condiscipulis suis aliquando in Horatii carm. III, 6,45 „peior avis“ convertere: „Ein schlechterer Vogel (!)“ — non sine summa magistri indignatione et discipulorum gaudio.

Cum vetera nuper perscrutarer scripta, ut quae iusto diutius scripta presserant Vulcano traderem, incidi

forte in universitatis Berolinensis saecularium festorum descriptionem a quodam, qui se ficto nomine Spectatorem dicebat, in actis diurnis „Chemnitzer Neueste Nachrichten“ nuncupatis publicatam. Huius me mirum in modum lectio tenebat. Nam ut ipse olim academicis Berolini civibus adscriptus et a Virchowio rectore receptus esset, quam praeclaris usi essent doctoribus, quam vitam degissent studiosi in urbe pauperibus tum mansiunculis, sed hospitalibus quoque cauponis abundante — haec omnia tam iucunde tantaque gravitati mixta festivitate ab illo narrabantur, ut mihi

meorum ipsius studiorum non sine dolore memoriam renovarent. . . At quid est hoc? — obstupesco dubiusque, an recte viderim, haereo. Ubi describitur, quanta pompa Almae Matris quam vocant natalis celebretur, quod splendidum spectaculum praebeant omnes illi theologi nigra, philosophi violacea, iurisperiti rubra, medici coccinea, rector doctoresque auro et purpura insigni veste induti, quantopere praeclara illustrissimorum academiae magistrorum capita omnium spectantium ad se convertant oculos. . . . media in hac sollemni sollemnibus festisque diei pictura haec lego verba:

Mommfen
mit dem langen weißen Haar, Wilamowitz, dessen
Profil an eine antike Gemse erinnerte, Kohler, der
wie ein Löwe ausschaute, wahrlich, dieser Aufzug
verlangte Ehrfurcht.

Du sublime au ridicule il n' y a qu' un pas, ut est in proverbio Francogallorum. Quantum autem daemone illum in receptaculo typorum ma-

litiöse agentem gavisum esse existimatis, cum gemmam, ut voluerat, rupicapra vidit commutatam! —

Ex Epistulario Redactoris

Ad J . . . , a. d. XIII. Kal. Jun. 15.

Mihi quoque, vir doctissime et amicissime, ingens attulisse gaudium chartulam tuam noli dubitare. Diutius enim exoptatissimo hocce privamur commercio. Scriptorem semper ubique mecum porto, dolens quod tam raro seroque solet prodire, ego vero adiuvare eum scribendo nequeo. Tamen, si permittes, commentationum proximis diebus componam

tibique ut publicetur mittam. Chartulam illam, qua te de versu ecclesiastico quaesivisse scribis, non accepi, cui, si perlata ad me esset, sine mora respondissem, cum nihil magis me delectet, quam dare ad te literas easque vicissim accipere. Scribas mihi igitur, quaeso, saepius quam adhuc, id quod ipse faciam, ne omnino caream studiis illis, sine quibus, cum pax esset, me haud vivere posse credebam. Salve atque vale.

Tibi addictissimus F. S.

G . . . L . . . Lommatio suo S. D. P.

Jam reputo mecum, quid agas, carissime, quidque

Noster agat „Scriptor“: littera nulla venit

Ad me, qua norim, nonus tibi quando libellus

Proveniat secum gaudia sueta ferens.

Est — non ignoro — grave tempus: Mars regit horam,

Rauca sonant enses, sanguine terra madet.

O utinam nobis, o Pax, tua dona redones

Recludasque tuas, candida Musa, fores! —

Tu vero, mi Lommati, fac ne mihi desis

Scribendo; quid agas, dic mihi, quaeso. Vale.

Dab. Vratisl., a. d. X. Cal. Oct. XV.

Horae Subsecivae

Carmina recentioris aevi Latine reficta a Fr. Palata

In carptum florem rosae

(Felix Dahn: O heisse, heisse Sonne)

O nimis torres radiis medullam,
sol, meam! Quam nuper eram beatus,
donec in silva viridis tenebat
me mea spina!

Cur manus me sic temere revellit
stirpe nativa? Rosa carpta digna est,
quae pia cura foveatur atque
rite colatur.

Me tuo, tellus, gremio reconde
marcidum! Carpi, pedibus protervis
obteri vilemque perire — floris
sors solet esse.

In Somnum

(Weisse: Komm, süsßer Schlaf)

Descende caelo, Somne salutifer!
Poscunt quietem languida lumina,
descende caelo palpebrasque
claudere, benigne, mihi gravatas!

Quid? Si perenni nocte meos paras
damnare ocellos, o bone, ne mihi
rubescat unquam fax Eoa
mane novum referens in orbem?

Nil angor. Almam pectora spem fovent:
quondam soporem discutiet meum
formosior lux, semper ardens,
nescia nocte nigrante pelli.

Suspiria

(Vrchlicky: Ach ruce, ubohé ruce)

Vae vobis, miserae manus!
Nil circum est nisi nox et tenebrae nigrae,
nil umbras nisi fuitiles,
quoquo tendimini, prenditis: irritus
vos languere facit labor.
Jam cessate, manus! Jam requiescite!
Vae vobis, oculi vagi,
scintillis similes, quas moriens ciet
carbo! Vana facessitis!
Quoquo flectimini, cernere Cynthiam,
quam vos quaeritis, haud datur.
O tristes oculi, rore madescite!

In Stabulo

Scrrips. Petrus Eremita, edidit La Croix, parisiaca ephemeris, d.VIII. Mart. MCMXIV, vert.

Jacobus Tassetius

Hora octava et dimidia.

Missam modo dixi.

Hoc momento, quum gratiis in agendis tam bonum esset immorari, apparitoris in me infixos, observantes sentio oculos, et quasi dicentes: »Caveamus ne evadat!«

— Domine presbyter, festinantes quinque iam expectant...

— Tunc, ingredi iube.

*

Primus ingreditur minister argentarius, qui adesse in taberna hora nona debet. Probum senioris ratiocinatoris caput. Rubent oculi eius, et litteras mihi manu trepida tendit in charta condimentaria scriptas.

Lego:

Me pertaedet domi; vos tonsoris modo blaterantes, vos abiicio ambos! Hoc probe vobis expectandum fuit, post nudiustertianam scaenam. Si forte aegrotet pappa, ad tabellariam viae Littré statariam potestis usque scribere, agendum videbo quid sit. Sed si mamma, operae pretium minime, dolori mihi fuit nimio. Valeat convictus!

— Filiane tua?

— Filia.

— Quot annos nata?

— Septemdecim!.. Ab exitu vespertino non sine causa prohibebatur! Inde nudiustertianum iurgium exortum... Non id tamen expectabatur!.. Et propter ipsam mater eius enecuit se...

— Et quid ego agere possim..?

Tunc miser miserae ex gurgite Parisiorum reprehendendae puellae totam explicat rationem.

Heu!.. praenosco fore irritam. Alisacensis sum; ad nidum solae ciconiae redeunt.

*

Deinde triginta annorum mulier advenit, infantem manu et alterum super brachia tenens. Egestatis odor...

Protestatum propterea venit, quia heri baptizare protinus filiam suam noluerunt annos octo natam.

— Et isti parvuli? inquam ei.

— Illi undati iam a vicario sunt; sed filia mea nequidem, et explicare longum est...

Dicit tamen — o! tenore planissimo — se decem ante annos zincario artifice per civitatem et ecclesiam nupsisse, ex quo liberos est enixa duos; tertium cum exspectaret, ipsam maritus pro ipsius matre dereliquit, ex qua duos habuit alios.

Deinde profectus est vir, maioris quodam commissionis vespere, in Armoricam, ubi... pergit.

Sodalis eius advenit, et ipse zincarius, qui revera licet suboffensus: »Totam hanc sortem, ait, suscipio!« Atque suscepit uxorem, matrem, liberos et duobus etiam auxit familiam.

Et cum alteri altero nomine nuncuparentur, totam sortem suo nomini locavit...

Narrat haec omnia ut solent homines qui nihil iam mirantur.

Et vultum meum quid celem?

Abominandam intuetur plagam medicus et discipulis suis ostendit... Ecce vitam tristem... sed vividam vitam recentem!..

Et mederi conantur omnes.

*

Eleemosynariae matronae tertia visitatio est, quae impatiens morae libellum suum habet in manu.

— Verum, Domina, summopere festino!.. ne hauriendo quidem vacavi theae poculo..

— Sic est, at quivis meo in loco trepidet... Est enim huc proxime magnum quoddam conclave ducentis annue libellis locandum, quo fraudatam in diversorio familiam... possum recipere totam. Id autem timeo ne mihi surripiatur!... Utique necesse est ut me, mercedem ad primam trimestrem in antecessum solvendam, Domine presbyter, adjuves. — ? Et cito! unica cum sit occasio!..

Nervis matrona movetur, praesentis appetens assensum...

— Res tua prae aliis est lenis.

Ostendit autem mihi familiam paene servari, quae e deversorio eximatur, cum negotiatores iis qui in stabulo habitant, celerius quippe demigrantibus!.. operam deneigent. Et tam malesuadi quidam sunt caupones! Iuventutem tam facile in propatulum trudent, ut debita recuperent!.. Vestitum etiam, si res postulabit, commodant!

Haec narrat cuidam dicta esse opera carenti humili vestifcae:

— Age, puella, aegrotat mater... in perversum pater abiit... an expectabis dum annos sis sexaginta nata, ut mereas...

— Quae cum ita sint, Domine presbyter, dabis profecto mihi viginti libellas..?

*

Tenuis nunc advenit puella, aetate octodecim inter et viginti annos. Misella facies, bellula, languidula, inspersa farina... Tota figura foedo praesenti vestitu fasciata est, quo viso insanas putes mulieres factas.

Auxilium haec quoque flagitat, et adimbranti mihi contradictionem:

— O non est ad cibum! cibus carere biduo optime possum... et, potando aquam, ne caput quidem dolet. Ecce autem... aliquid velim ut mihi des, quo candidos emam sericos calceolos?

— Haud intelligo..?

— Etenim pedisequae, unoquoque vespere, ago partes in *La Marquise de Tréveneuc*. Aest heri pluit; deglutinati sunt socci mei; et festive licet mihi tamen dixit moderator, quod foras me eiciet, si sericis candidis carens redibo calceis, quoniam meis sunt in partibus. Et quinas singulis vesperis libellas scis me lucrari, quae sunt panis, conclave, carbo. Deinde matrem meam habeo mecum... et tussit nimis!.. Locum illum unquam si perderem...

— Quanti constant candidi calcei serici?

— Asses quadraginta oportet ut pendas, si voles habere pulcros!..

— In deversorio habitas?

— Sane!.. ubi quemquam vis habitare..? Profectus duobus abhinc annis pater a nobis omnia abstulit!..

Illos quadraginta asses referre crastino mane mihi debebat... Et paulum eam offendi, recipere eos recusans.

*

Hoc ipso in tempore ianua vi quasi procellae aperitur, et praetergressa, qui vicem expectant, anhelans quaedam irrumpit ancilla:

— Resignanda epistola!.. statim!..

Rescindo et haec litteris scripta vacillantibus lego:

Domine presbyter, veni citissime!.. laudani poculum sorbui modo quamdam propter molestiam. Hinc unam horam

fnitum hoc erit... Per tempus pro Dei caritate ades, qui me absolvas!..

Hora est decima... opus vix incipit diurnum!... Diurnum paene quotidianum...

Et proficiscor...

Et ad taximotoriam dum propero, sacculum hoc vicesimum meditor nautae acu magnetica carenti simillimum... et illam ubique parisiaca urbe oblatam ad manus sacerdotis messem cruentam.

Comitiales in propatulo primos agglutinant libellos.

Circum superque me domus undique stabularia prostituunt praeconia: *domus instructae, domus familiares! conclavia instructa... hebdomadalia, diurna deversoria.*

Putes universam civitatem in stabulo hisce temporibus se collocare!..

Peregrinis destinata esse deversoria credidi prius...

*

O miserum suburbanorum parisiensium focum, cui nihil iam alligat pauperem... cui non iam alligat quidquam!..

O focum miserum, ubi recordationes in vulgari vita publica omnes cum attriti eius excutuntur tapetis pulvere, quod cavillator in fenestra verberat servus!..

O miserum egestatis focum, ubi ne sellam quidem iactatus exesusque operarius in qua sedet, possidet!.. ne grabatum quidem cui incubat!.. nec cochlear quo absinthium suum, aut iusculum movet importaticium!..

Gaudere Massonum quam debeant factiones!..

Et mihi corporeus paene collabentis sensus fuit familiae, corruentisque per fracta, tamquam fluctuum claustra, principia, vivere volenti societati maxime necessaria.

*

Spes unica ut respiscant tandem catholici... ut recedat iuventus a gurgite, quo genus nostrum mergi iam videmus... nolentis mori creaturae motus naturalis...

At, pro Dei caritate, festinent omnes... festinent!..

Sententiae

Nemo celerius opprimitur quam qui nihil timet frequentissimumque initium calamitatis est securitas.

Velleius Paterculus

Vi corpora quidem, non animi comprimuntur.

Benedictus Pp. XV.

Ephemeridum Circumspectus

K. Klitscher-Merzenich, *Seneca über 1914*.
Nationale Rundschau 1914/15, 3.

In Senecae philosophi scriptis, quae, ut pauca, exemplis abundant ex omni genere vitae humanae sumptis, multa quoque insunt ad militum vitam spectantia. Horum is, quem supra nominavi, nonnulla eaque maximam partem, quantum perspicio, ex dialogis qui vocantur collegit inque germanicam linguam transtulit. Quod mihi quidem magnopere videtur probandum. Nam quis nostrum nesciat multos adhuc esse, qui nihil veterum verba ad nostra tempora nostrosque homines pertinere contendunt, quamquam vehementer illos errare unicuique mediocriter in literis graecis et latinis versato potest persuaderi! Non sine utilitate ergo, ut recte ait auctor, eiusmodi sententiae ex libris antiquorum publicantur. Si tamen in prooemio scriptum legimus Senecam prophetica quodammodo Jivinatione ea, quae nunc geruntur, praevidissee — quis est quin hoc ineptum, ne dicam ridiculum arbitretur? An in nostram tantum aetatem cadunt, quae ille de civis, de militis, de imperatoris exponit officiis, ac non potius omnium sunt temporum atque nationum? Et: »Gaudent magni viri aliquando rebus adversis, non aliter quam fortes milites bellis« aliaque ut: »Non putavi hoc futurum« vel: »Quare autem non?« cancellis insuper, quasi potiora sint, notata — quid his cum bello terras nunc Europae devastante?

Deinde acerbius de nostro philosopho auctor iudicat, cum dicit ei, quem ipse magnum mortis nominat contemptorem, finem vitae nihil nisi commodum in libertatem exitum atque fugam fuisse. Qui Senecam non legere solum, sed socium tamquam et amicum habere in miseris vitae consuevit, is mihi, credo, assentietur affirmanti vix quemquam gravius, dignius, severius de morte locutum esse quam veterem illum Stoicum. Hoc sane tenet non esse rem magnam vivere; totam hominis vitam per eundem semper circulum currere, nihil novi posse, nihil desiderandi sapienti afferre, nihil ergo esse, cur fastidiat ille mor-

tem aut timeat. Sed non minus frequenter idem honeste et prudenter et fortiter moriendum esse hortatur. Et quid de Senecae de tolerandis malis sententiis, quarum paucae ipso ab auctore nostro publicantur? »Verberat nos et lacerat fortuna. Patiamur: non est saevitia; certamen est, quod si saepius adierimus, fortiores erimus.« (Dial. I, 4, 12) Et ibidem (I, 4, 7): »Hos deus quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet. Eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis servat.« Tum paulo inferius: »Hanc rationem di sequuntur in bonis viris, quam in discipulis suis praeceptores, qui plus laboris ab iis exigunt, in quibus certior spes est« (I, 4, 11) vel: »Ignis aurum probat, miseria fortes viros.« (I, 5, 9) Suntne hae voces viri suis ut morte se eripiant malis suadentis? Habent omnino hoc magnorum libri virorum, ut quam quisque decerpserit sententiam, ea, quod velit, possit demonstrare. Hoc ne sanctae quidem literae effugere fatum. Quamobrem, ut recte intelligantur, ab omni parte scriptorum verba ponderemus, non ex sententiis hinc vel inde depromptis.

De versione germanica pauca videntur admonenda. Omnia fere ita translata sunt, ut non sensum solum, sed et propriam Senecae dictionis brevitatem bene apteque reddant. Loci vero, quibus leguntur sententiae, desunt, quod quin multi moleste tulerint haud dubitarim.

Sententiae

Nihil aliud quam scire homines cupiunt.
Augustinus

Quicquid optimum homini est, id extra humanam potentiam iacet. Nec dari nec eripi potest.

Seneca

Ita se res habet, ut plerumque, cuius fortunam mutaturus est deus, consilia corrumpat efficiatque, quod miserrimum est, ut, quod accidit, id etiam merito accidisse videatur, et casus in culpam transeat.

Velleius Paterculus

Varia

„Excubiae Padanae“

Haud multis notum fuerit Joannem Pascoli Italum, qui ob elegantissima sua carmina latina non semel palmam accepit in poetico illo certamine Hollandensi, vernacula lingua carmen scripsisse, quod Germanorum de Rheni excubiis hymno voluerit opponi. Quem re vera poetam sibi ad imitandum proposuisse neque, ut quidam nostro populo minus faventes, in ridiculum detorquere in animo habuisse cum ex iis, quae soror illius ad Vossianorum quae vocantur Actorum scripsit moderatorem apparet, tum ex aliis rebus in poemate ipso conspicuis. „Rhenanas enim Excubias“ postquam in italicum sermonem convertit, Pascoli novum anno 1880 carmen edidit, cui inscripsit „La Vedetta delle Alpi“ alterumque et quasi secundarium titulum adiunxit eum, quem supra memoramus. Secunda eius, ut ceteras omittamus, strophæ hæc est:

Per giacciai, rupi, burroni,
ogni picco ha i suoi moschetti,
ogni monte i suoi cannoni,
ogni varco i nostri petti.
Puoi dormire, Italia, al piano;
dormi, Tevere lontano,
dormi, fragoroso Po.

Quem hic fugiat Pascoliani poematis cum germanico exemplo similitudo? Nam quamquam illud totum alterius gentis animo mentique videtur accommodatum, tamen poeta notissimos nostri carminis versus:

„Lieb Vaterland, magst ruhig sein,
Fest steht und treu die Wacht am Rhein!“
non solum, mutatis scilicet verbis, strophæ inseruit, sed ita quoque finxit eam, ut, quae præcedunt, illud ipsum Italiae patriae nihil esse timendum artificiosa quadam repetitione et progressionem ostendant atque confirmant. Denique italicum carmen nihil

nisi germanici esse imaginem a socio tamquam atque amico propositam, si quicquam, extremi duo primæstrophæ demonstrant versus, quos scitissime Pascoli his expressit verbis:

„Frater mio, tu veglia al Reno:
io sull' Alpe itala sto.“

Skutella

Responsorium

K. C. Optimum, quod sciam, hispaniensis linguae lexicon iudicatur Patris Labernia Diccionario de la Lengua Catalana (Barcelona 1839—65), cuius recentior prodiit editio ao. 1886. Commodior tamen usui videtur Angel de Sama, Diccionario manual (1884), quod ubi editum sit ignoro. De libris in Germania publicatis satis te bibliopolarum catalogi erudient.

H. R. Titulus libri est: Friderici de Schiller carmina optima ab J. D. Fuß conversa ed. J. Plassmann. Monast. 1913. Prostat apud Lustenoderum nostrum pretio 1.70 Mk.

M. A. Schade. daß er das nicht selbst schon getan hat = quod utinam ipse fecisset — ihre Wirkung ist die gleiche = idem possunt (valent) — da du voraussichtlich (aller Voraussicht nach) doch nicht so bald kommen wirst = cum tardiozem adventum tuum prospiciam — wie reimt es sich, paßt es zusammen, daß du . . . ? = quemadmodum congruit, ut . . . ?

N. C. Mutmaßliche eventualitäten = quae videntur instare — denen er selbst eine geachtete stellung in seinem kreise verdankte = propter quos ipse honestissimus inter suos numerabatur — ich halte es für nicht mehr als recht = rectum puto (arbitror etc. acc. c. inf.) — was nicht wunder nehmen kann bei einem manne, der . . . = id quod non mirum videtur in eo, qui . . . ; quippe qui . . . — unverhältnismäßig teuer = iusto carius, iusto pluris, iusto maiore prostans pretio.

== HIC ULTIMUS PRODIT DECIMI ANNI NUMERUS ==
MEMENTOTE REDINTEGRARE SUBSCRIPTIONEM!
INDEX ET TITULUS PRIMO NOVI ANNI NUMERO ADDENTUR

805
543

Scriptor Latinns

Commentarii Ad Linguae Latinae
Humanitatisque Studium Colendum Editi

Ann. XI Francofurti a. M., Mense Aprili MCMXVII Num. I

CARMINA DUO PATRIA

cecinit

Fredericus Holler Norimbergensis

I

Ad discipulos ad bellum profecturos

Ad signa vos nunc discipulos quoque
Regis voluntas et patriae vocat
Necessitudo, ad signa epebos
Insolitos gravium laborum.

Linquenda vobis atria sunt scholae,
Materque linquenda et pater et soror
Fraterque dilecti et sodales
Nec comitatur amica dulcis.

Non Musa vestras iam placide reget
Mentes, sed acri militia feros
Bellona in hostiles catervas
Vos rapiet mediasque caedes.

Caecus furor nam nunc homines agit,
Ut dignitatis non memores suae
Heu! luctuosis prorsus armis
Perdere se cupiant nefasti.

Aetas viros haec ferrea postulat:
Evadite ergo vos quoque ferrei
Viri nec imbelles pavete
Pro patria vel obire mortem!

At nunc valete, o discipuli mei,
Laetis ituri mentibus hinc foras
Laetique victores reversi
Magnificam patriam videte!

II

In mortem Immelmanni

Ergo „Lillae aquilam“ vis rapuit ferox
Leti, non liquidum iam petet aethera
Nisu mirifico praecipitem hostibus
Saevis perniciem ferens.

O Germania, quam te tenet acre nunc
Heu! desiderium tam penitus tibi
Dilecti capitis, quot lacrimae fluunt
Erepto iuveni datae!

At ne perpetuae sint querimoniae,
Quamvis occiderit flebilis omnibus,
Exemplum moneat forte parentium,
Qui non sumere lugubrem

Vestem fas habuere et penetralibus
Includunt animi tristitiam pii:
Nam cui pro patria sic licuit mori,
Vivit, non periit suis.

Aeternumque nitens vivet honoribus
Claris ore hominum gloriaque „alitis
Lillani“ celebris nunquam abolebitur,
Dum mentes memores erunt.

CUICUMQUE HAS PAGINAS LECTURO MONITUM!

Quam bello fieri videmus rerum omnium commutationem, ea cum aliis multis novandi cupidus, tum iis spem auxit atque animum, qui reformatam suam praedicantes erudiendi viam omnem veterum linguarum doctrinam censent abolendam. Pro gymnasio nationalem quam vocant deponunt scholam, non attendentes omnis hominis vere exculti, cuiuscumque est nationis, esse nostrae aetatis ex antiquitatis intellegere rationibus ideoque totam puerorum iuvenumque educationem subtili veterum literarum rerumque scientia tamquam fundamento niti velle. Quomodo vero illis humanitatis studiorum adversariis obsistemus? Oportet omnes, quibus haec cordi sunt, magna societate coniungi idque non solum, ut contra nitentium impetus collatis viribus repellantur, sed ut etiam, quid latinam graecamque linguam qui didicerint, hodie quoque possint, exemplis demonstretur.

Haec duo nos in edendo moderandoque *Scriptore Latino*, qui undecimum ingressus est annum, secuti sumus et posthac sequemur.

Quamobrem ab unoquoque, cuius in manum hae pervenerint paginae, si nondum mandaverit *Scriptorem*, iterum et pro rei magnitudine enixissime petimus, ut, quemadmodum tam multi alii, causam nostram eamque cum cunctis antiquitatis amantibus communem nominis sui subscriptione tueatur.

Nos vero, qui impigro tamdiu labore egregioque, ut doctorum de commentariis nostris iudicia ostendunt, successu latinae et, quatenus ad nos pertineret, graecae linguae defendimus iura, nos eadem constantia ac firmitudine pergemus, hoc praecipue spectantes, ut non minus docentium latine quam discentium commodis serviamus.

Editor et Redactor Scriptoris Latini


De mergente, cui "Deutschland" nomen, navi mercatoria

Qui clamores nuper, quod gaudium inter innumerabiles illos homines Visurgis ripam stipata multitudine frequentantes, cum, postquam diu pluviaeque visum paene arcantis immemores steterunt, eam, de qua tantum vel audiverant vel legerant, navem suis primum oculis conspexerunt! Tum velut uno consensu patrium omnes Germanorum hymnum

coniungens . . . erat profecto, cur illa milia tantopere gauderent.

Amplum vastumque patet navigationi mare nec ulla est classis tam magna, quae nos omni prohibere possit com-
meatu. . . hoc vel in pueri cuiusque et puellae memorabile illud spectaculum admirantis fronte inscriptum videbatur.

Quid autem exterae iudicabant et



Navis in Visurgi flumine Bremam versus vehens*)

canere coeperunt, urbis campanae insonant, vibrantur pilei, sudaria, umbracula, a scaphis, lembis, corbitis, actuariis aliisque navigiis seu comitantibus navem reversam seu praetervehentibus nautae salutant — quis immoto potuit animo tali laetationi sponte nascenti interesse!

Post Zeppeliniam ergo, post tormenta magnitudine omnibus praestantia navis nunc tamquam Germaniam Americamque

infestae, ut nunc dicere malunt, Teutonis et quae neutrius partis esse voluerunt nationes?

Quod quaerenti cui non in mentem veniat illud vetustissimum: Sunt pueri pueri . . . ? Verum est: sunt puerorum similes populi et sicut exiguis saepe de causis alius in alium irruunt alteriusque caede gaudent eiusque bonorum deletionem, ita sibi invicem invident atque adeo non

*) Imaginem ut addideremus, benevolentissime nobis concessit ea, quae Ocean Comfort Company nuncupatur, societas Bremiportensis, cui maximas hoc loco agimus grates. Edidit enim illa tres chartulas, duas mercatoriam navem in Visurgi vehentem, alteram Bremam advenientem exhibentes. Has, cum optime pictae sint, omnibus nostris lectoribus commendamus. Koenigii effigiem ipsi inserendam curavimus.

intellegunt unumquemque ipsorum communi omnium industria uniusque cunctos virtute augeri, ut, quicquid apud alios praeclare factum vident, id potius minuere soleant atque detrectare. Idem illi, de qua scripturi sumus, Bremensium navi accidit. Nam quamquam non deerant, qui, ut iis, qui excogitarant et aedificaverant navigium, ita viris, quorum mandata erat eius in itinere cura, debitam non retribuere laudem nollent, tamen publicae, quam dicimus, opinionis apud externos praecones, diurnorum dico actorum scriptores, nihil novi, nihil admirandi, nihil, quod mentione, nedum praedicatione ulla dignum esset, fecisse Germanos omnes fere iterum iterumque non sine magno, quale in invidis nasci videmus, gaudio nuntiaverunt. Quid, quod prope fuit, ut esse navem quodammodo negaretur? Unus quidem ex iis, qui nihil se nescire simulant, certo se auctore comperisse affirmavit illam non navigando Oceanum superasse, sed per partes neutralibus quas vocant navibus in Americam esse transportatam, alius vero, ut lectoribus demonstraret, quam non idonea esset navis ad ea, quae perficere posse diceretur, perficienda, nescio quo die naufragio interisse illam eiusque reliquias ad Minorem quae vocatur Balearem insulam esse appulsas serio, ut suis quidem videbatur, sed eo maiore cum nostrorum risu narravit.

Dixerit recte cavillator ille nobis infestus, fuerit re vera, dum scribit nuntium, aquis submersa navicula — cur non immergat se imminente ab hostibus undecumque ad perdendam eam congregatis periculo? Sed aliud est submergi fluctibus maris et perire, aliud demergi posse ad libidinem et emergi. Haec autem novis nostris, si ullis, facultas data est navibus ad submarinam, ut ita dicam, mercaturam factitandam aedificatis. Nam, quamquam, ut, qui ipse primam per Oceanum direxit, iocose dicit, quaeque ad mergendum accommodata navicula varia est et mutabilis ut femina minimisque rebus mobilis ut equus curulis, facilius interdum gubernatur quam levissima celox tenaciusque se alias gerit quam quodvis iumentum, tamen „Deutschland” cui nomen est mercatoria

navis, sollertissimi cum regeretur magistri prudentia, omnes multorum hostium insidias feliciter effugit pretiosasque suas merces salvas incolumesque eo, quo destinatae erant, transportavit. Hoc ea perfecit navis, quae est duorum circiter milium amphorarum et in itinere erat septingentis fere chiliogrammatum milibus onerata, navis igitur prae ingentibus, quae nunc construuntur, navigiis parva, sui vero generis aemulas longe et pondere et magnitudine praecedens. Quis non si tantum reputat onus, fateatur nihil technicos, ut quam maximam darent navigio mobilitatem, praetermisisse! Potest profecto vix quicquam illorum opere aut perfectius cogitari aut tutius, ut sine ostentatione dicere liceat Germanos, ut in aliis multis, sic hac quoque in re ad summum absolutionis fastigium suam technicae artis scientiam atque usum evexisse.

Aedificata est navis, ut nemini fuerit ignotum, Kiloniae in navalibus, quae sub nomine „Germania” toto orbe terrarum notissima sunt, sumptu ac mandatu societatis „Deutsche Ozean - Rhederei” appellatae Bremaeque die 8. Nov. 1915 ab Alfredo Lohmann, priore collegii ibi mercatorum praeside, conditae. Ac tam diligenter, quicumque conscii fuerant consilii, rem celarant, ut, quamquam iam mense Octobri duas eiusdem generis naves aedificare constitutum erat, quid vellet societas aut quales essent naves ab illa locatae, praeter ipsos operis participes ne peritissimi quidem suspicarentur. . .

Tum decimo die Iulii — nesciis omnibus nec quicquam tale exspectantibus — nuntius repente quoquoversum dilatus est primam Germanorum navem mercatoriam pigmenta portantem itinere ex parte sub aequore facto salvam incolumemque Baltimoram advenisse.

Nec erat, quin verus esset nuntius, dubitandum. Nam praeter Reuterum, britannicorum telegrammatum divulgatorem, ipsum bremensis societatis telegramma ita sese rem habere confirmavit. Iamque plura de re universum tamquam orbem excitante sunt nuntiata nec ullus mox praeteriebat dies, quo non aliquid saltem de novo illo miraculo, de eius adventu, de Koenigio, *πολιτρό-*

$\pi\psi$ eius rectore suisque sociis et, quod maximum erat, de singulari eorum itinere narraretur. Tum secuti sunt, quibus de reditu audacium nautarum nuntii afferebantur, dies totumque illud tempus, quo, si non anxii, dubii tamen et suspensi nos, non sine aliqua spe hostes exitum rei exspectabant. Exiit felicissime: navis, ut audivimus, sine ullo damno vel detrimento patrium est portum consecuta.

Pauca nimirum de ipsa navis fabrica in notitiam hominum venerunt: maxima et ad moderandas imprimis machinas spectantia diligentissime velut mysterium occultantur. Hoc tantum ex omnibus, quae in vulgus emanaverunt, elucet navem hanc subaquaneam opus esse ingeniosissima arte et excogitatum et perfectum. Vidi nuper machinationem in quadam ephemeride photographica imagine illustratam. Quanta mentem oculosque paene conturbans multitudo rotarum valvularum, trochlearum epistomiorum, tuborum fistularum suo quaeque loco alia super et subter et praeter aliam fixarum! Ipse Koenigius, navalis machinae multorum usu annorum utique peritus, sese, cum primum complicatam istam mille et plurium vidisset particularum iuncturam, mente sibi captum visum esse aperte fatetur. Admodum nihil hic desideratur, praesto sunt omnia subsidia vel ad integram, si necesse fuerit, machinam motoriam resarciendam.

Tota navis est 65 metra longa et 8,9 metra lata navigansque se 4,5 fere metra demergit in aquam. Constat ex immersabili quodam corpore satis solido itaque ab omni aquarum pressu tuto, et alia illi imposita parte leviore, quarum prior eaque praestantior machinis, cubiculis nautarum, mercibus praebet spatium, altera vero receptacula olei et aquae, prout demergit aut emergit navicula, aut immitendae aut emittendae, continet. Ac tam prudenter technici omni navis angulo usi sunt, ut non solum nihil eorum desit, quae ad ipsum navis usum necessaria videntur, sed commoditatis etiam et securitati navigantium quam optime potuit consulatur. Quod quidem minime fuit neglegendum, cum, qui in tali navigio seu nauarchi seu gubernatoris seu calefactoris seu quovis alio munere funguntur,

multo iniquiore in praestando officio appareat uti condicione, quam ulli in aliis navibus ministeria facientes. Nam ne illae quidem, quae bello serviunt, naves mersabiles tot tantisque patent periculis quam inermes hae naves mercatoriae, in quas a ceteris omnibus, sociis etiam nunc in commercio exercendo, tela possunt impune conici. Sunt ergo sola earum arma intentissima nautarum cautio, circumspectio, vigilantia, unica tutela accurata eorundem in apparatusibus, quibus demergitur aut emergitur navis, utendis diligentia atque cura. Quis negarit omnes horum 29 virorum nervos contendendos esse, ut brevissima, immo nulla mora interposita, quaecumque quoque temporis momento fieri possunt, vel provideantur vel vitentur! Non necesse puto dicere naves ad nuntios sine filo dimittendos accommodatas et scaphis, cingulis aliisque ad servandos homines idoneis rebus instructas esse. Invenias etiam, ut in aliis navibus ad mergendum aptis, boias telephonicas et apparatus oxygenium conficientes. Turricula, unde a praefecto imperata viris infra agentibus traduntur, quam periscopio, oculo illo navis, instructam esse notum est, aream habet satis spatiosam et a nauarcho cursus observandi dirigendique causa iniquiore quoque tempestate utendam. Movetur denique navis duobus motoribus Dieselianis quaternarium percussionibus modum servantibus senisque uterque cylindris instructis. His utuntur nautae, dum super aquam, electrica vi, dum sub aqua vehuntur; olei tantum semper, ut ad bina suppetat itinera, secum ducunt. Tota autem machinatio ingenio debetur Erbachii, viri in navalibus supra memoratis technicarii quam vocant munere fungentis.

Sed iam finem faciamus de hac mirabili nave scribendi. Libentissime sane nonnulla de primo eius itinere addidissem, hoc vero scitiori illarum rerum descriptori relinquendum putavi, ipsi dico Koenigio, praeclarissimo et nunc iam toto orbe notissimo navis „Deutschland” magistro. Is non solum egregie, quod ei iniunctum fuerat, perfecit, scit etiam, id quod rarum est res suas gestas narrare. Testis est libe-

eius ab Ullsteinio haud ita multo ante editus et plus ducentis exemplarium milibus venditus, quem qui legerit, facile sibi persuadebit me recte de sermone eius iudicavisse. Et si adversarii nostri exiliorem forte alicuius viri docti orationem ostendentes latinae graecaeque

linguae studio corruptam esse eam dicunt, nobis eodem iure ad huius viri exemplum vocare illos videmur. Nam et Koenigius gymnasii fuit discipulus, et quidem eius, quod tria per saecula singulari liberalium artium gloria floruit floretque — Franckiani Halensis.

Carmina recentiorum poetarum varia

latinis numeris reddidit

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis

I

v. Steinhausen (sec. Suecicum): „Wohin?“

„Quo cygni, pater, emigrant,
Cum nixi niveis aethera pinnulis
Stridentesque secant, quoad
Fugerunt nebulas in peregre sitas?“
„ „Noli quaerere, mi puer;
Nemo qui sciat est, quo faciant iter!“ “

„Quo nimbi, pater, irruunt,
Ingenti rabie qui male fervidas
Spumas pervolitant maris
Cum clamore gravi et vocibus organi?“
„ „Noli quaerere, mi puer;
Nemo qui sciat est, quo faciant iter!“ “

„Quonam gaudia, mi pater,
Tendunt, parca quidem munera, quae brevi
Obliviscimur undequae
Postremo efficitur cum stomacho labor?“
„ „Noli quaerere, mi puer;
Nemo qui sciat est, quo faciant iter!“ “

„Quo vadunt homines, pater,
Quos mors pallida, nec divitibus neque
Parcens pauperibus, procul
Deduxit miseris hisce molestiis?“
„ „Noli quaerere, mi puer;
Nemo qui sciat est, quo faciant iter!“ “

II

Ludw. Jacobowski: „Leg' dein Trauern fest in Zügel . . .“

Firmiter compesce tuos dolores,
Suspice in laetam nitidamque lucem!
Non enim curvum caput ala veris
Aurea stringit!

Sol novus molli radiat calore,
Mane dispergit tepidos odores, — —
Quae tibi rident, bona fausta nosce,
Prende, retenta!

III

Mart. Greif: „Es gäb' noch mehr der Zähren . . . “

Ah! lacrimarum plus etiam foret
In hisce terris nubibus obrutis,
Sublime ni starent in alto
Tegmine sidera sempiterna;
Ni temperata despicerent face
Quavis serena nocte per aethera,
Ac nos docerent usque quendam
Altithronum vigilare supra.

IV

Hoffmann v. Fallersleben: „Abend wird es wieder . . .“

Jam prope vesper adest; in silvas mitis et agros
Pax se demittit, mutaque terra iacet.
Haud procul hinc rivus tantummodo fertur in ima
Rupe strepensque ruit perpetuoque fluit.
Cui nullus vesper pacem dat et otia, nulla
Campana offundit carmina somnifera.
Sic et tu, pectus, contendis: nil nisi Divus
Vespere vera potest otia ferre tibi.

Quid amici nostri de se ipsi scribant*)

4. Franciscus Palata Prostannensis

Vitam meam ut Tibi enarrem, identidem rogas, care Lommati. Quid faciam? Respuere preces Tuas vetus vetat, quae nos iungit, amicitiae consuetudo, voluntati autem Tuae obsequi — piget me ac pudet. Quid enim exilius aut ieiunius esse potest vita ludimagistri in remoto angulo Moraviae degentis et praeter collegas et discipulos vix cuiquam noti? Tu tamen vitam a me exigis — ergo habeto! Si displicebit lectoribus, Tibi culpa imputabitur, non mihi.

Optimo iure incipere possum a patrio illo hymno Bohemorum, cuius paraphrasin nuper in Scriptore proposui: „Quae mea patria sit, rogitas? . . . est natale meum — terra Bohema — solum.“ In Bohemia igitur natus sum, et quidem in oppidulo Daschiß, quod situm est in districtu Pardubißensi, exeunte anno 1870. Puer gymnasium Chrudimense frequentavi; deinde universitatem Pragensem adii, litteris antiquis potissimum ut na-

varem operam. Dissidentes audivi imprimis professores Bohemos Kvičala, Král, Novák, Germanos Holzinger, Keller, Schubert. Hi omnes — etiam Germani illi, quamquam duriuscule utebar lingua Germanica — singulari favore me adjuvabant et studia mea fovebant. Itaque facere non possum, quin et iis, qui adhuc vivunt, et piis Manibus eorum, qui vita decesserunt, hic publice agam gratias. Absoluto studiorum curriculo munus Latina et Graeca in gymnasiis docendi amplexus sum, ad quod et studiorum ratione et animi voluntate maxime inclinabam. Sed quoties et quantopere me paenituit propositi! Si enim quodvis aliud vitae genus elegerissem, nusquam tot spinis impeditam viam invenissem, nusquam tot iniuriis obnoxius fuisset, nusquam laborum optima fide impensorum tam exiguam messem contraxissem tamque pusillam! Taedium, quod rerum scholasticarum condicio mihi ferebat et quod totam vitam mihi exacer-


*) Cf. Script. Lat. IX, 5; X, 3; X, 6.

babat, interdum solabar versibus Latinis pangendis, cui studio iam ab adulescentia indulgebam. Quae ex meo ingenio profecta condideram carmina — haud ita multa erant — omnia fere propitiis flammis suis Vulcanus absumpsit, fautor ille medicorum poetarum haud spernendus. Quae vero de poetis alienigenis converteram, ea in variis ephemeridibus foras dedi et in unum corpus collecta in

libello exhibui, qui inscribitur „Nugae metricae“ (Lüstenöder, Frankfurt a. M., 1911). Alteram conversionum seriem paucis annis exhibiturus sum opusculo, quod titulum geret: „Horae subsecivae“. Praeterea duas commentatiunculas publicavi ad historiam poeseos Latinae recentioris pertinentes („De VII versionibus Latinis Cassandrae Schillerianae“ in Romana „Voce Urbis“ a. 1900 et „Suum cuique“ in Script. Latino a. 1911). Lingua vernacula quaedam de syntaxi Latina scripsi et aliquot opuscula (imprimis

in usum scholarum edita) limae criticae subieci; aenigmata Latina vel sescenta composui; dispersa exstant in ephemeridibus, imprimis „Voce Urbis“.

Magistri auxiliaris multos per annos munere fungens magnam partem Bohemiae et Moraviae peragravi, modo hic modo illic docendi nactus provinciam. Tandem aliquando, postquam saepius indignam repulsam tuli, magistri ordinarii munus impetravi in oppido Moraviae Prostanna (Prostojov, Prossnitz), ubi iam tertium claudio lustrum. Regio — Hana nuncupata — circum patet ferax atque opima. Scripsit quondam Wölflin: „... docui sex lustra Bavaros. Quid inde? Evasi ipse Bavarus homo“. Eodem modo — si parva licet compo-



nere magnis — scribere possum et ego: „Evasi Hanacus homo“; omnes enim primarias virtutes et vitia Hanacorum progrediente tempore imbibi; nec famosae illae „salsae placentae“ eorum sordent meo stomacho.

Sed iam longior evasit mea enarratio. Tua culpa est, Lommati; tu me ad scribendum provocasti. „Gefährlich ist's, den Leu zu wecken“ recte

dixit Schiller; item recte dicere licet: periculosum est senem ad loquendum vel scribendum provocare; etenim ubi ille loqui aut scribere coepit, nescit sibi temperare, quin iustos fines evagetur. At in limine senii sum et ego: hinc fortasse mea orta est garrulitas et loquacitas. Sed modus tandem adhibendus est finisque imponendus narrationi. Quid gesserim, enarravi; restat, ut quid gerere mihi in animo sit, paucis indicem. Multis difficultatibus, quibuscum mihi in vita conflictandum erat, praemature exhaustus ac fractus valetudine labefactata nil

opto aliud, nisi ut mox emeritis stipendiis missionem impetrare et in otium recedere possim. Tum Gallici memor proverbii „On revient toujours à ses premiers amours“ ad meas delicias, id est Latinos versus faciendos reversus Te Tuosque lectores saepius revisam. Interea valete quam optime mihi que favere pergite!

Caelestes, si quid merui, mihi vota benigne solvite, quae foveo condita corde meo! Oh — liceat mihi mox lucem vidisse beatam, quae rude donatum solvat ab officiiis, officiiis, quae tot pariunt fastidia fesso, ut prope me vitae taedia corripiant. Servitii vinclis ruptis tum denique laeto en! respirabo pectore — liber homo.

Otia tum vobis, Musæ, sacrare, Latinae,
 fas erit: a puero vester amator eram.
 Arbitrio proprio potero tunc degere vitam
 coniuge cum dulci progenieque simul.
 Bina mihi est suboles, natae florentibus annis,
 has cernam laetas vere vigere suo.
 Has pietas ornet morum probitasque pudorque:
 proficiant dociles artibus ingenuis.
 Et quando Mortis Genius pernicious alis
 stridens attigerit tempora cana mea,
 vili terricolae, mortali sorte creato,
 debita naturae reddere praeciens:
 hae mihi praesto sint oculos operire natantes
 viventisque genas rore rigare pio!
 Harum complexu postremus spiritus auris
 reddatur, linquat vividus ossa calor!
 His non plura peto; suprema haec meta: modestis,
 caelestes, votis adnuitote meis!

Scrpsi feriis Paschalibus a. 1915.

Ex Epistulario Redactoris

Vir ornatissime!

Literulas, ineuntis anni quibus cum primum diem tum omnes deinceps insequentes dies bonos faustos felices fortunatos ominer, quod tibi, viro et doctissimo et humanissimo, mitto laetaeque omnia in te congerens digna te gratulatione fungor, nihil est quod mireris, quippe qui nonum iam annum Civem seu, nunc qui dicitur, Scriptorem edens de linguae Latinae humanitatisque studio colendo numquam non optime merueris. Nec non, ut eam, qua adhuc usus sum, in futurum quoque mihi praestes benevolentiam, oro te atque rogg, ut, cum non liceat corpore, at tamen mente ac cogitatione inter nos coniuncti — si Deo Optimo Maximo placuerit, multos in annos — Romuli ac Ciceronis Latinitati inserviando humanitatem *σοφιστολογικῶς*, ut ita dicam, colamus atque propagemus. Etiam atque etiam vale!

Observantissimus tui studiosissimos-que

H . . . Sch . . .
 Dedi St . . . a. d. III. Kal.
 Jan. anni Di 1912

Carissime!

Maximo hercle gaudio me affecerunt commentarii tui libelli, quos benignissime mihi dono misisti. Ex quibus quo melius accuratiusque cognosco studia tua et labores profecto non exiguos, eo maiore ingenii tui impleor existimatione. Non, munusculum, quantumcumque est, mihi dedisti, amice, immo grandi munere ac mihi carissimo me locupletasti, ex quo largos fructus in dies me percepturum esse persuasissimum habeo. Praeterea forte evenit, ut, quod etiam maiori mihi erat laetitiae, donum tuum acciperem munus natalicium, quia eo die, quo natus sum ante hos 64 annos, fasciculos officio tabellario ad me perferendos tradidisti.

Gratias ergo quam maximas possum tibi ago, carissime! Ne sit tibi cura de rependendis meis quae dicis erga te beneficium! Satis enim tuo munere rependisti, si quid gratum acceptumque atque utile tibi fecerim. Ut ad hunc diem, sic etiam in posterum tibi tuisque studiis inservire mihi erit in deliciis.

Vale, amice, meque amare pergas.
 Tibi addictissimus

R . . . Lommazio Sal. d. pl.

At heus Tu male ita interpretatus es
versiculos meos, ut viderer praemium
nummis solvendum jussisse mihi donari.
Immo nihil aliud nisi hoc rogaveram, ut,
quemadmodum proximis annis solebas,
folia in quibus aliquid mei expressum
esset, mihi mitteres. Nunc nihil mihi
reliqui est nisi ut me in annum curren-
tem commentarii tui lectorem profitear,
quo consilio salarium acceptum biblio-
polae meo tradam. Vale.

A. d. XIV Kal. Apr.

Voldemaro Lommatio

de die natali nuperrime acto, post festum
quidem, sed sincere et ex animo gratulatur

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis

Nesciens, quae lux tibi festa natu,
Tardus incedo pia vota dicens.

Num tamen serus tibi gratulator

Est odiosus? —

Esse te salvum iubeo salutans,
Care Lommati! Vigeas in annos
Prosperos multos vigeantque tecum,

Qui tibi cari!

Optime, quidquid geris incipisque,
Usque succedat Supero favente!

Absit at semper tibi maeror omnis

Atraque cura!

Dab. a. d. VI. Id. Sext. MCMXVI.

Lommatius Lehmanno suo S.

Sero advenerunt Lehmanni vota ferentes;

Nec mirum: missis vinxerat ille pedes.

Saltibus at cum dactylicis bene currere possent,

Quinque modo nobis praeteriere dies.

Praetereant plures — grati sunt semper amici

Reddere legati qui bona verba volunt.

Bremiportu, d. 13^o Aug. 1916

Lehmanno suo diem natalem gratulatur Lommatius

Quae mihi misisti, carissime, vota benigna,

Omnia natali iam tibi reddo tuo.

Nam velut e sociis nostris tibi praefero nullum,

Sic me nemo potest gratior esse tibi.

Plurima tu nobis atque optima dona dedisti

Nec video factis nunc animoque parem.

Multos arte tua gaudens, bone, vive per annos;

Absit cura animi, corporis omne malum.

Ne, quae iure tua semper virtute mereris,

Desint dilecto munera digna viro!

Lehmannus Lommatio Suo S.

Plus iusto me paene mihi laudasse videris

Compositis fido pectore versiculis.

Nam si quid valeo scriptis, tibi debeo multa:

Auctor tu nobis atque magister eras;

Ex quo te novi, totum me Musa Latina

Permulsit studiis implicuitque suis.

Non tamen ignoro, quantum mihi nunc quoque desit,

Aequus uti fiam parque decore tibi. —

Gratia pro verbis tibi sit votisque benignis!

Usque tuus maneo; — perge favere mihi!

Vratisl., d. 26^{mo} m. Aug. 1916 digitized by Google

Varia

Ad Civis Romani V. 9, pg. 54 („Per Orbem“)

Loco laudato dolet Lommatius sese orationem Vanutelli cardinalis ad 53^m catholicorum conventum ab 19^o usque ad 23^m d. Augusti Essendiae celebratum habitam non ipsis dicentis verbis posse ibi referre, quum ne maxima quidem folia catholica latinum textum publicassent. Qua de re non posse se non exprimere summam admirationem. An tantus esset latinitatis despectus, ut jam ne sacerdotes quidem ea delectarentur? Huius illustrandae rei causa cognito nunc demum C. R. numero illo liceat ipsum latinum hic ponere textum depromptum e libro, cui titulus: *Verhandlungen der 53. Generalversammlung der Katholiken Deutschlands in Essen*. Herausgegeben vom Lokalkomitee in Essen. Verlag und Druck: Kredebeul und Koenen. Essen (Ruhr).

Legitur ibi pag. 404:

„Jure igitur catholicos Germaniae filios singulari benevolentia complectitur Pius, cuius memoriae excidet numquam Teutonica constantia, spatio annorum amplius quinquaginta per has contiones comprobata, plane digna, quae aliis gentibus exemplo proponatur! E Vaticano fastigio aciem vestram Ipse conspiciatur mira instructam disciplina; strenuam hercle phalangem virorum, qui in tanta aliorum socordia, non amanter solum, sed forti magnoque animo egerunt Christi vexillo praeunte, in quo non im-

merito inscripserunt: Deus et Patria! Hac orati prudentia spectabiles vosmet reddidistis Augusto Pontifici ob animi promptam voluntatem, qua, dicto audientes episcopis, actionem omnem sive religiosam, sive etiam civilem et socialem, quatenus religionem attingit, eorumdem atque Apostolicae Sedis auctoritati obnoxiam esse voluistis“.

Hanc orationem latinam princeps ille ecclesiae in quarto publico conventu die Jovis, 23^o Aug., hora decima et dimidia autemeridiana habuit. Eiusdem fere argumenti italica fecit verba die Mercurii, 22^o Aug., hora undecima antemeridiana; reperies haec in libro illo supra allato pagina 314. Cum vero haud omnibus liceat inspicere librum, ipse apposui ea:

„E con una benevolenza tutto particolore che il S. Padre vi riguarda, ammirando la costanza Teutonica, che già per più di 50 anni si applica con tanto frutto a celebrare questi Congressi. Così quest' esempio fosse seguito e imitato da altre Nazioni! Sia intento di consolazione per voi il sapere che dall' alto del Vaticano il Padre comune dei fedeli considera con ammira la vostre falange così ben disciplinata, così ben ordinata, così compatta, da costituire un valido baluardo, anzi, come altri disse in altri tempi, una torre inespugnabile! Voi di più aggiungete lo spirito di soggezione ai vostri Pastori e la sommissione agli insegnamenti della Chiesa e del Sommo Pontifice, il che così bene serve a mantenervi compatti ed uniti“.

Ffrmsk.

Responsorium Redactoris

M. A. wohin sollte wohl der staat kommen, wenn . . . = quem in locum r. publ. perventuram putatis, si . . . ? (etiam: woh. sollte es wohl mit d. st. kommen? vel: was sollte w. aus d. st. werden?) — wie durftest du das tun? = qui tibi hoc (id) facere licuit? — du natürlich lachst dir eins = tu videlicet te cum ipse rides — ja, du lieber Gott, was möchten wir wohl lieber? = o di boni! quid, quae es o, nos aliud optamus? — berücksichtigen (bei einer bewerbung) = rationem (gen.) habere — gehörte nicht zu den schriftstellern = non fuit in scriptorum numero — bei der bewerbung

aus dem felde schlagen = in petitione superare — ein unübertrefflicher Debatter = cui nemo in altercando (disputando) par, qui parem in a. habet neminem — ich muss das wissen, kann mir darüber ein urteil (eine äusserung) erlauben = quod scire possum [nam, qui, enim etc. . . .]; beruht auf nachahmung = continetur imitatione (cf. Quint. X, 2, 1).

H. S. Librumne quaeris veteris linguae graecae peritis in recentiore discenda utilem? Commendo tibi aliisque huic studio operam dantibus: Krüger, Kurze Anleitung zur Erlernung des Neugriechischen für solche, welche Altgriechisch können. Tilsit 1905.

1.50 M. Invenies ibi, ut titulus indicat, omnia, quae quidem scitu digna videantur, discrepantia inter utriusque linguae grammaticam et congruentia breviter ac dilucide composita. Praeterea apud Athenienses aliosque bibliopolas plurima antiquorum scriptorum opera in neograecam prostant linguam translata, ut cuicumque discenti copia sit ad verbum fere illorum cum eo, quo nunc utuntur Graeci, sermonem comparandi. Hoc enim, si ullum, et prodest et delectat studium.

Sicse Gorlithae, in urbe Silesiae, ubi graeci milites, qui ad Caballam pugnantes in tutelam sese Germanorum commiserant, detinentur, neograecam nunc ephemeridem edi *Νέυ τῶν* Görlitz inscriptam? Insunt ei praeter ipsis hospitibus nostris legenda multa etiam ad alios hellenicae linguae gnaros pertinentia, quamobrem, quin tu quoque lecturus sis illam, non dubito.

B. F. Nunc demum respondere tibi possum de carmine illo *Thiköttera* no

interroganti. Ut *Sutella* noster, qui librum emit, certiozem me fecit, versus a te laudatus re vera ‚sonantibus‘ habet pro ‚cantantibus‘, id quod ipsa verba videbantur desiderare. Meus igitur error est, non poetae.

T. S. De clarissimis *Huttenii* verbis, quae germanice reddi solent: „Die Geister erwachen, die Wissenschaften blühen. Es ist eine Lust zu leben!“ multos ego viros adii sacrarum literarum peritos. Tandem me *Hertelius* noster certiozem fecit sibi a *Weyrichio*, diacono *Veimarensi*, sic illa esse scripta: „O saeculum, o literae! Iuvat vivere.“ Quae unde hauserit vir doctissimus, nescio; ubi resciero, ad te docebam.

Hodierni numeri species non mihi utique probatur. At cum typographus typis ad latinum textum accurate describendum necessariis sese carere dicat, ego falsis cum literarum formis uti frustra vetui. Velim igitur, quod non mea culpa factum est, lectores benigne excusent.

Scriptoribus Monitum!

Ad iura literaria quod attinet, eorum quae scripserit ipse suum quisque periculum praestabit.

Ed. et Red. Script. Lat.

Vertendi exercitia discipulis destinanda

Suadent interdum et praeceptores et parentes filios suos his in studiis proficere cupientes, ut, quemadmodum lectoribus in latine scribendo exercitatis, ita discipulis quoque, quos haud paucos inter nos esse ipse saepius ex epistulis cognovi, convertendi et quidem ex latino etiam in germanicum detur copia. Quae enim adhuc proponantur sententiae, eas difficiliore plerumque esse, quam ut ab illis possint transferri, usitatorum autem in scholis librorum exercitia adeo non raro varietate carere, ut taedii plus quam voluptatis et delectationis afferant discentibus. . . . et quae alia solent his de rebus proferri.

Et quid nos? Ne multa, periculum faciamus. Erunt ergo in quoque Scriptoris numero unum aut duo pensa a di-

scipulis absolvenda et ita scripta, ut varia et scientia et exercitatione non solum doceant, sed iuvent etiam atque delectent vertentes. Superest, ut iuvenes nostri nova ipsis destinata parte Scriptoris frequentius utantur quam quorum in usum notae illae sententiae latine vertendae usque adhuc sunt propositae. Nam haec nescio qua de causa ita negliguntur, ut paene paeniteat eas amplius publicare.

Ecce igitur primum exercitium in germanicam linguam vertendum, qua in re id potissimum spectetur velim, ut quae pluribus latine verbis erant exponenda, uno, si potest, et quod maxime idoneum videatur vocabulo enuntientur. Facilis esto conversio nec ullam habeat textus altera ex lingua translata speciem.

De bestiarum loca tamquam recognoscendi facultate

Doctus quidam rerum naturae inquisitor in una ex ephemeridibus illo de genere scientiae conscriptis omnia a se disputata his fere comprehendit verbis:

„Sensus ille, quo praeditae bestiae non solum eo, unde discesserant vel abductae vel etiam ablatae fuerant, nullo ignotae quamvis viae errore revertuntur, sed, ut aliud afferamus exemplum, etiam, ubi degendum sibi, ubi nidi-

ficandum, sua sponte vident, eas inter numerandus est animi facultates, quas naturalis vulgo instinctus nomine complecti solemus. Ducuntur eo bestiae certis quibusdam legibus, ita quidem, ut earum commodis optime consulatur, nec tamen ipsae, quatenus hoc vel illud sibi utile sit, intellegunt. Suam igitur voluntatem sequi non licet: non potest palumbus nisi aperte in arboribus nidum facere, sicut columba senas quam vocant zoologi, arborum, columba livia in rupium tantum cavis suos fingunt nidos. Homo illo, quem supra memoravimus, dirigendi sui sensu omnino caret. Nam quis, nisi locorum descriptionibus, acu magnetica, astronomicis instrumentis aliisque auxiliis utatur arte factis, eum in locum inveniat viam, quo nunquam fuerat? Dedit nobis contra natura, quae ceteris deest animalibus, liberum quidvis agendi faciendique potestatem.

Qui optime satisfecerit officio vel qui, si plures praestare ceteris indicati fuerint, in sortitione inter hos facta vicerit, praemii instar accipiet:

Boesch, Lateinische Wortfamilien in Auswahl. Zürich, Orell Füssli 1917.

Censura Librorum

Röckl, Seb., Ausführliches Repetitorium der schwierigeren griechischen Verba. Für Schüler zusammengestellt. 2., durchges. Aufl. 20. Bamberg, Buchner, 1914. 0.35 M.

Et discipulis erit et magistris acceptus hic libellus. Continet enim anomala quae vocantur verba, modo alicuius sint difficultatis, ut facilius reperiantur ac retractentur, non eo, quo in grammaticis graecis enumerari solent, sed literarum ordine disposita. Adiectae sunt unicuique eae, in quibus saepe errant peccantque discentes formae; finem facit index verborum germanicus, quo optime poterunt illi ad repetitionem uti. Mirandum vero mihi videtur, quod in praefatione vocabularii discipulorum usui destinati nostrae interpunctionis praecepta aliquoties male negliguntur. L.

Leonis XIII. P. M. Carmina. Incriptiones. Numismata. Mit Genehmigung Sr. Heiligkeit. Vollständig. Ausgabe mit Einleitung und Anmerkungen von Dr. Jos. Bach, Direktor des Bischöfl. Gymnasiums zu Strassburg i. E. 176. Köln. J. G. Bachem, 1903. 4.20 M.

Leonem XIII. papam, quem alterum nostrae aetatis Ciceronem iure meritoque appellari posse nemo negat, etiam egregium fuisse „Parnassi latini vatem“ hoc libro ostenditur idque eo magis, cum non solum omnia carmina — in his novissima, quae tum nondum edita papa vates editori atque redemptori singularis gratiae causa misit — verum etiam inscriptiones, quippe quibus non minus poeticum ejus eluceat ingenium, atque numismata illo continentur. Huc accedit, quod scriptor carmina praemisso proëmio variis instruxit annotationibus accessionibusque germanica confectis lingua. Proëmio enim descriptis

universe et rebus et elegantibus carminum formis ad Horatii artem maximam partem redactis illustris poetae cum animus excelsus tum eximia facultas poetica nobis ante oculos ponitur; annotationibus additamentisque ea, quae ad planius intelligenda carmina hominesque, quorum fit mentio, cognoscendos maxime videntur necessaria, suppeditantur. Species libri rebus eo contentis dignissima est; est revera cuique ille bibliothecae ornamento. S.

Joachim, Dr. Herm., Geschichte der Römischen Literatur. 3., durchges. Aufl. 195. (Sammlung Göschen: Bd. 52) Leipzig, G. J. Göschen, 1905. 1.— M.

Tertia huius libri editio multum et rebus et verbis differt a superiore. Neque hoc mirum: decem enim praeterierant anni, ex quo primum ille in lucem prodit. Haud pauca itaque, ut mutatis doctorum responderent opinionibus, emendanda, alia addenda, alia aptiore tantum modo dicenda erant vel explicanda, id quod factum videmus, ut exempla afferam, in capitibus, quae sunt de initiis ludi scaenici, de fabula Atellana, de mimo. Quod vero in scheda in usum eorum, qui de libro censuram facturi sint, adiecta scriptum legimus in historia literarum latinarum describenda utilissimum fuisse auctori Friderici Leo praeclarissimam illam, quae Hinnebergi operi inest, commentationem itemque, Ciceronis quod attinet vitam atque studia, Schwartzii de iisdem rebus quas ipse dicit orationes — ego istud non intellego, quippe cum librorum, quos memoravi, alter eodem quo Joachimi anno, alter uno, nisi fallor, vel duobus annis post primum editus sit. Qui si noti huic fuissent, is sine dubio illos inter eos, quibus se usum esse profiteretur, enumeravisset. Sed de libro ipso ut iudicem, ego eum utique placuisse mihi

fateor. Placet summa in summa brevitate rerum copia prudensque atque cautum Joachimi in rebus nondum plane exploratis iudicium, quod ita tamen ille utitur, ut, qui legit, nulla dubitatione existente totum se voluptati vitas scriptaque magnorum Romanorum cognoscendi dare possit. Vilitate pretii nunc etiam omnibus eiusdem generis libris praestat. L.

Dr. Wolfram Suchier, Hofgerichtsrat Dr. jur. Johann Daniel Reyser als lateinischer Dichter. 67. Borna-Leipzig, R. Noske, 1915. 1.60 M.

J. D. Reyser (exente 17^o et ineunte 18^o saeculo) non solum iurisprudentiae laude florebat, sed — id quod omnes latebat, qui adhuc historias litterarum scribebant — etiam Latina carmina pangebant. Non est ille quidem principibus poetis adnumerandus neque ullo modo conferri potest cum clarissimo populari suo Eobano Hesso. Etenim non plus 29 carmina reliquit neque ea omnibus numeris absoluta sunt, quippe quae haud raro inextricabilem prae se ferant obscuritatem, verba exhibeant ab optima Latinitate aliena passimque inquinata sint mendis prosodiacis. Accedit, quod omnia illa carmina argumenti privati sunt, cum ad certos homines certasque temporum occasiones pertineant; qua re fit, ut nostrae aetati saepius langueant et minus intellegantur. Iure igitur quaerat quispiam, sitne omnino operae pretium obscuro versus obscuri poetae denuo in lucem edere. Sed non solum vates „maiorum gentium“ sed etiam poetae „minorum gentium“ suum locum habent in litterarum historia. Quamobrem est, cur grato animo dr. Suchierum prosequamur, quod memoriam poetae iam dudum oblitteratam renovavit commentatione, cuius titulum supra proposuimus. Quo opusculo denuo typis expressit omnia carmina Reyseriana, quae aetatem tulerunt; nec tantum ea expressit, verum etiam explicavit (cur 6 poematis explicationem non addiderit, ipse scriptor excusat pg. 23) atque examinavit praemissa uberiore de poetae vita narratione. Admiranda est auctoris, quae ubique manifesta est, scientia subsidiariorum litterariorum, quae ad Reyserum spectant eiusque aequales, nec minore laude digna est cura ac solertia, qua inde promebat, quaecumque opus erant ad poetae vitae rationes indagandas, mores adumbrandos, poesin aestimandam. In explicandis obscurioribus versibus, qui haud pauci sane inveniuntur — carmina quaedam instar aenigmatum paene sunt — lectorum quispiam forsitan aliam eamque meliorem hic vel illic proponat aut probet sententiam. Sed in dubiis rebus suum quisque sequatur arbitrium! — Finem censurae imponentes nil aliud in votis habemus, nisi ut aliis quoque scriptoribus Latinis aevi recentioris interpres obtingat,

qui sagacitate et diligentia aequet Suchierum. P.

Gebhardt, Joh. Oberlehr., Fremdsprachliches Unterrichtswerk mit Schlüssel für Haus und Schule. I. Altsprachl. Unterrichtsw. I. Abt. Lateinische Ergänzungsbücher:

1. Der Sextaner. 157 latein. Einzelübungen für Haus u. Schule. 6. Aufl. XVI, 134. Leipzig, Liebisch, 1910. Gbd. 2.75 M. Schlüssel dazu 85 S. 1.65 M.

3. Der Quartaner. 125 latein. Einzelübungen etc. Nebst Sachregister über d. Gesamtinhalt d. altsprachl. Ergänzungsbüch. VIII, 135. Ibid. 1911. Gbd. 3.30 M. Schlüssel dazu 64 S. 2.30 M.

4. Der Untertertianer. 3. Aufl. XV, 167. Ibid., 1916. Gbd. 3.30 M. Schlüssel dazu 64 S. 2.20 M.

Prof. Gassmeyers Hausübungen: Gassmayer, Prof. Dr., und Wagner A. Dr., Englische Hausübungen I: Formenlehre. VI, 109. Leipzig, Dürr, 1911. Mit Schlüssel 90 S. 2 M.

— — **Französische Hausübungen. I: Regelmäßige Formenlehre.** VIII, 92. Ibid. 1911. 1.50 M. Schlüssel dazu 67 S. 1.25 M.

— — **II: Unregelmäßige Formenlehre** 103. Mit Schlüssel 68 S. Ibid. 1911. 1.80 M.

Preuß, Arth., Prof. Dr., Griechische Hausübungen. I: Pensum der Untertertia. IV, 85. Mit Schlüssel 53 S. Ibid. 1911. 2.50 M.

— — **II: Pensum der Obertertia.** IV, 78. Mit Schlüssel (42). Ibid. 1912. 3 M.

Nescit nemo ad linguarum studium incumbens omnem illarum scientiam, si verum quaerimus, accurata multarum rerum singularum, declinationum dico et coniugationum et comparisonum et quae alia sunt similia, constare cognitione. Ipsa enim vocabula, quamvis necessarium sit quam plurima eorum ediscere, minime faciunt sermonem, sed apta eorum conveniensque grammatica iunctura. Hanc ut efficere sine difficultate possit, discipulus iterum iterumque illis, quas indicavi, linguae formis, verborum imprimis iisque, quae a patrio differunt sermone, exerceatur. Ac mihi quidem videtur eiusmodi exercitia saepius a magistris, quasi obsoleta sint minusque iis comoda, neglegi. Qui, cum de quadam re grammatica praecepta dederunt inque memoriam puerorum redegerunt, nihil faciunt nisi hos sententias transferre iubent libro, quo in schola sua utuntur, contentas. Hae vero longiores plerumque implicatioresque sunt pluresque iis res tractantur, quam ut id, quod tum

potissimum discentium exigit curam, recte observetur. Si quis, ut exemplum afferam, de piget, pudet, paenitet impersonalibus praeceperit, nonne is maiore cum utilitate haec primum pueris proponeret latine ver-tenda: Es verdrießt mich, euer Leichtsin-n hat mich verdrossen, du schämst dich dieser Lüge vel: Fliehe Vergnügungen, die du später bereuen wirst, habe Mitleid mit den Armen, schämt euch mit den Ar-men kein Mitleid gehabt zu haben? Nonne haec exempla idonea sunt, quae qui con-vertere iubentur penitus ipsam locutionis proprietatem iterata eiusdem rei variatione percipiant? Minus profecto de insufficiente scriptorum successu quererentur magistri, si, priusquam ad maiora progrediantur, illa primum animis puerorum inculcanda curarent.

His rationibus ducti duo, quos supra nominavi, editores Lipsienses seriem li-brorum edendam susceperunt, quorum tot iam milia in discentium linguas et docen-tium manibus versantur, ut utrius magis sint commendandi, plane nesciamus. Ge-bhardtii, qui latinae scripsit linguae di-scipulis, primum anno 1904 prodierunt et inde ab eo tempore, cum magis magisque omnibus probarentur, novis pluries typis describebantur. Quatuor omnino sunt nu-mero, quatuor quippe inferiorum gym-nasii classium usibus destinati. Sic puerum a primis latini studii initiis comitantur ad illud usque tempus, quo confirmatis tam-quam viribus ipse suam persequi viam potest. Nec est, quod, qui tam egregio auxilio usus sit, eum, si attente ac dili-genter pensa absolverit, optime in hoc genere literarum profecturum esse dubi-temus. Nihil enim observatione dignum

omissum est aut praetermissum. Nam praeter exercitia pro rei difficultate plus aut minus discipulis laboris admettenda ea quoque, quae infimis paginis adnotata sunt, multa conferunt ad quodcumque du-bium tollendum. Praeterea repetitionis causa semper ad priorum librorum pensa discentes numeris illorum appositis revo-cantur.

His, ut ad alterius progrediar edi-tiones, nihil admodum videtur addendum. Nam Duerriana quoque, quae domestica ille inscribi voluit, exercitia a Gass-meyero, Brandtio, Preussio, Wag-nero, viris optime suo quisque in docen-di genere versatis, composita iisdem, qui-bus quae supra laudavi virtutibus insi-gniuntur. Idem in his pensorum prudens omnesque usus scholasticos respiciens de-lectus, eadem ingeniosa, immo exquisitis-sima ferme grammaticarum formarum sine stultis tamen ineptisve laqueis variatio, idem ubique conspicuum adiuvandi disci-puli augendaeque eius scientiae studium. Interest tantum, quod Gebhardtii, ut apparet, singulis magis formis ac lo-cutionibus adhibet curam, Brandtius vero ceterique re aliqua — syntactica ni-mirum — tractata totam materiam con-textis eque historia plerumque veterum desumptis pensis repetunt itaque confir-mant. Sed utrumque notum est posse ar-gumentis probari.

Sic, ut paucis absolvamus, omnes hos libros cuicumque linguarum studioso ve-hementissime licet commendare. Praebent praesertim, cum clavibus quas dicunt sint instructi, utilissimam uberrimamque ad quaevis seu discendi seu docendi consilia materiam. L.

Sententiae latine reddendae:

Ich halte die Verbesserung der Aus-lese derer, die zu gehobenen Stellen im sozialen Organismus gelangen, in der Richtung auf eine weitergehende Tüchtig-keitsauslese für eine der dringlichsten Aufgaben, und zwar einmal im Interesse der Leistung des Vaterlandes, das jetzt in besonders hohem Maße darauf ange-wiesen ist, nicht so zahlreiche Bega-bungen verkümmern und brach liegen zu lassen, und nicht so viel Untüchtigkeit in sozial bevorzugte und verantwortungs-volle Stellen zu schieben, wie es bisher der Fall war, dann aber auch im Inte-resse der Förderung des sozialen Aus-

gleichs. Der Zugang zur höheren Bil-dung und zu den führenden Schichten muß aufhören, in dem Maße Vorrecht von Stand und Besitz zu sein, wie er das heute noch ist. Der Krieg ist darin ein großer Lehrmeister. Wieviel Intel-ligenz, Erfindungsgabe, Entschlossenheit sind überraschend ans Licht getreten! Laßt uns unsere Friedenseinrichtungen so treffen, daß die verborgenen Schätze zum Wohle des Ganzen und zur Wahrung unserer Weltstellung gehoben und bes-ser gepflegt werden, als es bisher ge-sehen ist.

(Hartnacke, Das Problem der Auslese der Tüchtigen. Leipzig, Quelle u. Meyer, 1916)

Huic penso qui satisfecerit optime, gratis accipiet librum:

.K. Thieme, Scribisne litterulas latinas? Kleine moderne Korrespondenz in lateinische^r Sprache. 2. Aufl. Dresden, Ehlers, 1916.

Aenigmata

ex libello „Eichhorn, 100 lustige Rätsel für junge Lateiner“ selecta
latine vertit

Guilelmus Lehmann Vrätislaviensis

I

Sum deus asper, atrox, crudelis, sanguine gaudens;
Litterulam muta: vae, comitem ecce meam!

II

Me flores ornant, frutices et dulcia poma;
Defessis animis otia grata paro.
Vertice mutato nautae super aequora vecto
Iucundam requiem praesidiumque dabo.

III

„f“ mihi si caput est, belli sum flebile signum;
Speror, amor, laudor, si caput est mihi „q“.

IV

Olim Romani me possidere beati:
His ego, natus homo, res tamen, hercle, fui.
Vertice mutato silvas agrosque frequento:
Venator quivis mi struit insidias.

Ex iis, qui recte solverint haec aenigmata, duo sortiti praemii instar accipient libellum :
Gallettlana. Ergötzlich und nachdenklich zu lesen. Mit dem Bildnis Gallettis.
2. Aufl. Berlin 1876.

Nuntia Literaria

Verlagsanstalt Görlitzer Nachrichten und
Anzeiger, Görlitz

□ ΕΛΛΗΝΙΚΟΝ ΗΜΕΡΟΛΟΓΙΟΝ □

ΤΟΥ ΕΤΟΥΣ

— 1917 —

Εἰς ἀνάμνησιν τῆς ἐν Γκέρλιτς
διαμονῆς τοῦ Ἀ! Σώματος
τοῦ

Βασιλικῶ Ἑλληνικῶ Στρατοῦ

Ἐκδόται: Αἰμίλιος Γκλαουμπερ Γιός,
Γκέρλιτς, Διονύσιος Αγαπητός

Calendarium a militibus graecis
Gorlittiae morantibus in memoriam
temporis ibi acti editum

Pr. 0.75 Mk.

F. A. BROCKHAUS, LEIPZIG

Praktisches Wörterbuch der Italienischen und deutschen Sprache

mit besonderer Berücksichtigung der
Umgangssprache, der technischen Aus-
drücke des Handels, der Gewerbe, der
Wissenschaften, des Kriegs- und See-
wesens, der Politik usw. von

H. MICHAELIS

17. Auflage. Jeder Teil geheftet M. 6.—,
in Leinen gebunden M. 7.50. Beide
Teile in einen Leinenband gebunden

I. Teil:
Italienisch-Deutsch
878 Seiten

14 M.

II. Teil:
Deutsch-Italienisch
911 Seiten

„Ein Werk des gründlichsten und all-
seitigsten Studiums, ausgezeichnet
durch Vollständigkeit, Präzision und
logische Anordnung innerhalb der
einzelnen Artikel“

Dr. P. Förster, Berlin

OCT 7 1921



805
S43

SCRIPTOR LATINUS

COMMENTARII AD LINGVAE LATINAE
HUMANITATISQUE STUDIUM COLENDUM
EDITI

Prodeunt decies in anno pretio 4.50 M^{rum}

Annus XI: Numerus II



18

Summarium:

Hansen, Quousque tandem?	Lehmann, Hölderlini, Nicer ⁴ latine
Dessau, De inscriptionibus a se collectis	Draheim, De litteris et omi- nibus
Dieckhöfer, Epistula	Moeller, Laus tabaci
Vernulaeus, Leges pere- grinationis	Censura librorum — Sen- tentiae vertendae — Aenig- mata
Palata Prostanuae valedicit	
Hoeufftiani Certaminis Programma	

Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportensis
Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum



Nomina et domicilla eorum, qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

- Dr. E. Arens, Praec. Gymn., Aachen
A. Behrsing, Praec. Gymn., Reval
H. Bigot, Prof. Institut. Carthag., Tunis
Dr. H. Brand, Prof. Gymn., Hagen (Wstf.)
Dr. W. Bubbe, Roßleben
T. Chave, B. A., Chicago
Dr. P. H. Damsté, Prof. Univ., Utrecht
Z. Dembitzer, Prof. Gymn., Stanislaw
Dr. E. Dieckhöfer, Praec. Gymn., Aachen
J. Dole, Rect. Schol. Lat. em., Kaisersesch
Dr. J. Draheim, Prof. Gymn., Friedenau
Dr. Th. Elsaesser, Maredsous
Dr. L. Fischer, Medicus, Heidelberg
J. Fonts, Presbyter, Vich (Hisp.)
Dr. H. Geist, Prof. Gymn. em., Darmstadt
F. Gustafsson, Prof. Univ., Helsingfors
Dr. W. Günther, Praec. Gymn., Jena
H. Hansen, Parochus, Kropp
Dr. E. Heikel, Helsingfors
V. Hertel, Parochus, Friedelshausen
F. Holler, Prof. Gymn. real., Nürnberg
Dr. J. M. Hoogvliet, Doc. priv., Haag
E. Hora, Prof. Gymn., Wien
C. Hultgren, Prof. Gymn. em., Leipzig
J. E. Kenny, Prof. Gymn., St. Paul (Am.)
Dr. K. Kunst, Prof. Gymn., Wien
W. Lehmann, Rei Vehic. Praep. em., Breslau
Dr. L. Laurand, Canterbury
Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn., Stuttgart
A. Nardis, Prorect. Sem., Aquila
F. Palata, Prof. Gymn., Trebitsch
J. Pistner, Rect. Gymn. em., Tölz
Dr. G. Pitacco, Prof. Gymn., Görz
L. L. Podobinski, Prof. Gymn., Neusandec
J. Ramorino, Prof. Univ., Firenze
P. Recanatesi, Prof., Osimo
F. X. Reuss, Sacerd. C. S. S. R., Roma
J. Roberti, Rect. Gymn., Cesena
W. Rösch, Prof. Gymn. em., Heilbronn
Dr. C. Roesé, Praec. Gymn. em., Giessen
Dr. O. Schantz, Rect. Gymn., Stolberg (Rh.)
J. Schilcher, Rect. Scholae, Streitdorf (Austr.)
Dr. P. Schmid, a cons. stud., Dresden
R. Schmidmayer, Prof. Gymn., Budweis
H. Schöttle, Prof. Gymn., Stuttgart
M. Skutella, O. F. M., Neisse
A. Stahl, Parochus, Horb [bach
J. Steinbauer, Rect. Progymn., Winds
Dr. St. Székely, Prof. Gymn., Budapest
J. Tasset, Tonnerre
Dr. H. Weller, Praec. Gymn., Ellwangen
Dr. H. Werner, Praec. Gymn., Düren
E. Westh-Hansen, Stud. med., Charlottenlund (Dan.)
P. Worms, Prof. Gymn., Meldorf
Dr. W. Zuidema, Archivar., Amsterdam

000

SCRIPTOR LATINUS

quinta quaque prodit hebdomade mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Hungaria, Luciburgo 4.50 M (5.40 Cor.), in ceteris terris 4.75 M; singuli constant numeri 0.45 M.

Epistulae, manuscripta, libri et libelli, de quibus censurae fiunt, aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur ad Voldemarum Lommatzsch, Bremiportu (Bremerhaven), pecuniae vero epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem, Bibliopolam Lüstenöder, Francofurti a. M., Baustrasse 10.

Scriptor Latinus

Commentarii Ad Linguae Latinae
Humanitatisque Studium Colendum Editi

Ann. XI Francofurti a. M., Mense Decembri MCMXVII Num. II

Henricus Hansen Pilvormiensis:

QUOUSQUE TANDEM?

Quousque tandem pax aberit procul?
Quousque saevit in sua viscera
Europa Marte concitante
Vulneribus rubefacta tantis?

Quo, dic mihi, te, Pax, rapuit fuga?
Semota quaeenam te regio tenet?
An in nivosa montium te
Culmina summa pedes tulerunt?

An transmigrasti more avium mare
Terras beatas et calidas petens?
Redi tuis levata pennis
Ut volucrum peregrina turba!

Celsissimis de montibus Alpium
Coelo propinquis conspicitur tibi
Incendio perusta belli
Terribili gemebunda tellus.

Descende ab alto, pax bona iustaque,
Capesse regnum, solve tyrannidem,
Coërcitis ut immodestis
Te populi venerentur omnes!

Ad Lectores:

Mirantur multi, quod aut quare tantis nunc intermissionibus Scriptor noster Latinus edatur. His respondemus supervacaneum nobis atque inutile videri eundem quem ante ordinem eo servare tempore, quo nullus ad maiorem partem lectorum potest numerus pervenire. Est, ut in aliis, hac quoque in re perferendum ac sustentandum. Qui vere favet nobis operique nostro, is nos in hacce temporum iniquitate ac difficultate non deseret.

Bremiportu, kal. Dec. 1917

Editor et Redactor Scriptoris Latini

De inscriptionibus latinis a se selectis

scripsit

Hermannus Dessau*)

Opus absolvo quod me per viginti quinque annos tenuit, non solum singulis mortalibus sed universis rebus humanis longum temporis spatium. Diutina haec mora excusatione vix eget; moles et difficultas operis auctorem satis excusabunt. Ceterum haec mora ipsi operi valde profuit; ita enim factum est, ut multae inscriptiones per cursum viginti quinque horum annorum repertae partim in ipsius operis partes posteriores, partim in Addenda operi adiecta (vol. III p. IX seq.) recipi et auxilio indicum cum ceteris partibus coniungi potuerint. Sola pars postrema Addeendorum, cui

Mantissae nomen dedi (vol. III p. CLVIII seq.), post indices demum impressa, hac cum reliquis partibus coniunctione caret; ea igitur seorsum adhibenda erit.

Propositum mihi erat, ut initio operis professus sum, ex ingenti numero inscriptionum Latinarum eas seligere quae res scitu maxime dignas continerent; et iam a me effectum esse puto, ut monumenta illa, quingentorum fere annorum uberrimam et fidissimam memoriam complexa, facilius accessus sint quam antea. Omissa a me esse scio non pauca quae recipi poterunt, nonnulla quae recipi debuerunt.

*) Praefationem hic lectoribus offerimus ingentis illius atque admirandae collectionis superiore demum anno post multos labores perfectae et apud Weidmannos Berolini editae, cui titulus est: H. Dessau, Inscriptiones Latinae Selectae. Proderunt eius vol. I (VII, 580 pag.; 16 M.) ao. 1892; II, 1 (IV, 736; 24 M.) 1902; II, 2 (IV, 303; 10 M.) 1906; III, 1 (IV, 600; 20 M.) 1914; III, 2 (CXCVII, 353; 18 M.) 1916 nosque nostrum putamus tanti operis in his quoque commentariis mentionem facere usumque eius omnibus Latinae linguae studiosis vehementissime commendare. Ipsa autem auctoris de libro suo verba propterea describenda rati sumus, quod, quantum nostrae aetatis docti calleant latine, optime huius generis exemplis demonstratur. Ferraro enim — id quod magnopere quisvis dolet romani sermonis amator — ferraro, nisi in scriptorum antiquorum editionibus, philologi linguis, quas docent-iuvenes, palam utuntur. Ego — scripsit mihi quidam antiquitatis historiam professus — germanice loquor nec nisi necessitate coactus peregrino uti sermone soleo. . . Esto, excusetur ille non nisi laxius cum philologiae studio coniunctus. Quid vero quod a philologis quoque haud paucas tulimus repulsas? Si verum est, quod nobis societatum gymnasii iura defendentium incrementa spectantibus non est dubitandum, si verum est, inquam, multa milia hominum in omnibus orbis terrarum partibus totis animis adhaerere antiquis Romanorum et Graecorum linguis — nonne eosdem singulari quadam voluptate ea esse lecturos credendum est, quae, quiduducis sunt in hac pugna ingeniorum, ipsis, de quibus certamen atque disceptatio est, uti linguis conscripserunt? Et illi, quos duces modo vocavi, nonne miro quodam modo orationem suam repugnare factis sentiunt? Nonne intellegunt sese, ut quam subtilissima discipuli linguarum veterum imbuantur cognitione, poscentes multo maioribus gravioribusque in disputando usuros esse argumentis, si, quod ab aliis postulent, ipsi quoque praesent, ipsi illis exemplum proponant, ipsi se dignam qua nunc etiam utamur latinam graecamve linguam habere ostendant? Quod si facient, non erit periculum, ne, quibus horum cura studiorum tradita est, ii de novis legibus scholasticis sententiam ferentes minora a discipulis et posse et debere postulari iudicent, propterea quod eadem, huae postulantes vel certe utilia putare ipsi iam dediderint atque desuerint. L.

Officium seligendi inscriptiones iudicium quoddam de dignitate inscriptionum mihi imposuit, in quo iudicio sine dubio interdum lapsus sum. Et cum inscriptionum collectiones tam veteres quam novas, item effossionum et peregrinationum relationes varii generis assiduo percurrerem, tamen accidit, ut monumenta nonnulla aut plane me fugerent aut certe tunc laterent cum recipi debebant. — Consulto autem omisi inscriptiones aliquot insignes, quarum extant editiones separatae et omnibus notae, praecipue monumentum Ancyranum et monumenta legalia, ita tamen ut ex his pleraque reciperem quae ad ius publicum pertineant. Ex fastis magistratuum et ex fastis anni civilis specimina tantum pauca dedi. Praeterea necessitate cogente omisi multas inscriptiones quae laceratae vel male descriptae ad nos pervenerunt. Hoc genus inscriptionum non quidem procul habui, sed tamen prae ceteris aliquantum neglexi. Si unius eiusdemque classis inscriptiones praesto erant aliae integrae et lectionis certae, aliae temporis vel descriptorum culpa corruptae, illas praetuli. Sed tamen etiam in inscriptionum frustulis et in inscriptionibus negligenter descriptis saepe latent res memorabiles et diligentia studiosorum dignae; moneo igitur eos quibus haec studia aliqua de corde erunt, ut haec et similia a me omissa non solum non neglegant, sed in Corporis inscriptionum Latinarum voluminibus et in reliquis inscriptionum editionibus curiose anquirant.

Praecipua cura a me adhibita est indicibus (vol. III p. 1—954). Et pro norma erant indices Corporis inscriptionum Latinarum, hanc praecipue ob causam, quod sylloge mea aditum quodammodo parare debet ut ad ipsa Corporis volumina ita etiam ad indices eorum; sed interdum ab hac norma recedendum erat. Sylloge mea rebus memorabilibus multo magis referta est quam ullum ex Corporis inscriptionum voluminibus; et verendum erat, ne indices mei, si indices Corporis inscriptionum anxie se-

querer, nimium in modum excrescerent, verendum erat, ne lectorum animi vel oculi ipsa mole rerum enumeratarum deterrentur. Saepe mutavi, saepe coarctavi quae in chartas conieceram, ratus modum aliquem aptiorem distributionis inveniri posse. Et non solum mihi ipse hoc onus corrigendi et refingendi imposui, sed etiam a typotheta ut telam iam contextam reficeret saepius quam id fieri solet flagitavi; non raro enim post compositas demum paginas apparebat parum commodum lectori futurum esse ordinem institutum. Variis his temptaminibus non solum labor meus crevit sed etiam inpensae a bibliopola in opus faciendae in dies auctae sunt; quod moneo, ne quis pretium voluminis, quod, nisi fallor, etiam nitiditate typorum se commendat, iniquum iudicet.

Plurimum haesitationis attulit index grammaticus (vol. III p. 802—875); atque iam in eo eram, ut talem indicem plane omitterem, arbitratus eum parvae utilitatis futurum vel certe non id praestaturum, quod philologi ab eo exspectant. In indice enim syllogae inscriptionum philologi maxime quaerunt notitiam sermonis vulgaris; sermonis autem vulgaris sylloge mea imaginem praebet minime plenam. Ad res memorabiles attendi, cum inscriptiones collegi, non ad sermonis proprietates vel scribeandi errores. Nullam inscriptionem exclusi propter infantiam scriptoris, sed non magis ullam recepi propter solam vulgarem dictioem. Omnino in sylloge mea inscriptiones scriptae ab eruditis et locupletibus numero superant inscriptiones plebeiorum. Vestustae quoque linguae exempla nonnulla desunt propter omissionem de qua supra dixi fragmentorum. Re tamen diutius ponderata nolui supprimere quae multo cum labore congesta non minore labore in ordinem aliquem redegeram, et spero hanc quoque partem indicum meorum cum fructu adhiberi posse.

Thesauro huic inscriptionum Latinarum congerendo et supplendo omnes fere nationes Europae (aet iam solius Europae), prout tempora ferebant vel

vires permittebant, operam dederunt, etiam regione remotae et nulla antiqua communione cum mundo Romano coniunctae, sed nulla opinor magis quam Germania nostra, certe saeculo eo quod iam praeteriit, quo virum tulit magni animi et incomparabilis ingenii, huic studiorum generi maxime deditum, Theodorum Mommsen, Corporis inscriptionum Latinarum conditorem. Hic vir, cuius disciplina per paene triginta annos frui potui, volumina haec nascentia vidit et plagulas operis, antequam ederentur, quoad vixit, cum assensu perlegit. In Mommseni locum, defuncti a. 1903, etiam in hac re successit Otto Hirschfeld, nam hic quoque plagulas meas fere omnes perlegit et in dubiis rebus prudenti suo consilio liberalissime me adiuvit.

Opus inchoaveram et paene ad finem perduxeram tempore pacis diuturnae, quam non aeternam — hoc enim natura humana non admittit — sed longe ultra

uniuscuiusque nostrum vitae spatium duraturam cupidi credideramus, similitates si quae erant inter populos sapientia principum componi posse putantes. Sed spes fefellit. Repente turbo exortus est, et intra paucos dies facies Europae mutata. Magni populi contra nos coorti; ab extremo orbe adversarii nobis excitati; medio in discrimine ab amicis relictis sumus. Hodie virtute populi Germanici impetus adversariorum repulsi sunt; sed pax nondum parta, pace autem facta solitudo nos excipiet et orbitas, florenti iuventutis clarissimarum nationum extincto. At si aliquando non solum pax redierit sed etiam tranquillitas animorum, et mundus revirescere coeperit, tunc haec reliquiarum mundi antiqui collectio et doctae Germaniae honori erit et studiosis omnium nationum utilitati.

Scr. Berolini mense Apr. MCMXVI.

Epistula

Post caecas belli furias tantosque labores
 dulcia me lassum vulnere caeligeno —
 Anglus enim volitans perfulserat aetheris oras —
 excepere novis otia deliciis,
 quaque domo proles vastis conclavibus olim
 mascula Gallorum finxerat ingenium
 aut ludis horas fallebat Palladis arte
 neglecta atque iocis liberiore sono,
 hac nunc Germanos, velamina dura ubi Martis
 deposuere, viros membra fovere iuvat
 mollibus in lectis stratos gravibusque solutos
 excubiis somni ducere saepe moras.
 non hic perpetuo ferit aures mortiferorum
 telorum fragor, hic fulmina nulla micant,
 quae non ira Iovis iaculatur celsitonantis,
 sed ballista ferox, ferrea dona, vomit.
 non hic foetida nos obrepit saevior hydra
 nubes letifero pestis odore furens;
 non hic frigida nox, nivis hic non putrida tabes
 dimoriens mordet rigida membra gelu,
 nec pes emensis stadiorum milibus aeg'r
 immiti Phoebo vix trahit heu, dominum.
 aufugit squalorque luesque hirsutaque foede
 menta diu levit spumea lene manus.

ergo ubi sol somnum lentum, non lentibus aegrum,
detersit radiis lucidus ex oculis
somnique aufugere procul, dulcissima nobis
dilectae patriae spes reditusque simul,
surgimus ac laeti velamus corpora amictu,
albus quem signat caeruleusque color.
iam leviter cincti lautique erramus in horto
bini vel terpi discipulique truces
Martis (vix credas) imitantur docta magistri
agmina, quae iunxit (nostis) Aristoteles,
hoc tamen haud similes, quod longula dona tabacci
fumant; lotophagos nunc quoque saecula ferunt.
tinnitu rauco sermonis rumpitur ordo;
turba fugit volucrisque interiora petit
aedis permagnae scalasque escendere pergunt;
vulnera vix curat, qui modo claudus erat.
sic ubi villica prodit anus verbisque suetis
gallinas anatesque undique consociat
ac Paphias volucres; larga sparguntur avenae
grana manu passim, sedula turba legit:
haud aliter properant certatim Martis alumni
concurso subito prandia ferre sibi
parca tamen nos dona manent Cerealia. suco
fructigeno tineta aut oblita lactigeno.
adde merum Moccae Germana nobilitatum
quercu: Spartano cenula digna viro.
at superatur opus magni molimiris. irde,
ne mens ieiunet, promitur, ecce, liber
aut stilus antiquo nugas includere versu
dum studet, alma pii carmina Vergilii
saepe animo recolens audaci surgere penna
audeo Daedalidae vix memor interitus.
dumque animus temptat numeros, iam tessera lecto
nos imposta moret: nonne iterare dapes
tu properabis, iners? an Musis nectare dulci
vesceris socius? — iussa libens facio.
vix redii pastus; scamno deir de ante fenestram
apposito lustro pascua, prata, vias,
quam gracilis circumvolitet pastoris hirundo
barbati pecudes quove ferant rapidae
strata super ferrata rotae fumantia plaustra.
ripas heu Rheni me remanente petunt!
at praesens medicamen adest, gaudete, doloris
furtivi: cartas accipimus patrias,
quaeque pater nato misit pia vota, marito
sponsa, patri indocto filiulus calamo,
perlegimus: patriae gratissima surgit imago,
spes surgit, virtus, cum pietate fides.
respondere iuvat tacitoque absentis amici
colloquio paulum forte levare animum.
at mora fit coeptis; medico nam poscimur omnes.
Anglus vul.era fert, Angelus*), ecce, fovet.

*) Summo nosocomii medico militari nomen ‚Engel’ est.

dimissos cena exspectat dignissima mensa

Luculli; quam te, Musa, iuvante canam.

stat crater calidi plenus lentique liquoris,
rapula tosta innant pomaque secta adeo,
qualia terra parit gremio, non fructifera arbor;
nec desunt carnis frustula grata tibi.

custos inde velut patronus optimus haurit.

saepe tamen gemina est sorte fuganda fames.

quin superest, puero quod dores sive puellae,

quae te flebiliter: paucula da' rogitat.

flebilis rogitant oculi. nos iam satiati

(tam saturi fac sint te, deus, oro domi!)

ne noceat ventri tam luxurians gula plena,

commodulis hortum passibus ingredimur

vitamusque umbra malorum solis iniique

candores. illos acta diurna iuvat

perlustrare; levat mentes submersa carina;

maxima pars somno victa supina iacet

gramineo strati pulvino. floribus ipse

vicini laetus (suadet odor) propius

accedo ac longa supero vix saepta figura

nec dumeta vagos impedit oculos.

en, tremula grandaeva manu rutilantia fraga

colligit in calatho lectaque dat puero,

nigrae cui circa radiantia tempora ludunt

dulce comae. natum laeta videt genitrix

furcaque, qua vertit Phoebos fragrantia faena,

mittitur ac victus cedit amore labor.

felix, cui servant dulcissima murena pacis

fata benigna dei! cedite, bella, procul!

invida quid seritis, gentes, certamina, bella,

caedes, pernicias, sanguineas segetes?

vana queror. saevi Martis ferit hic quoque moles

aves, heu, nostras telaque dira sonant —

sollicitam mentem placido mihi numine solvit

paullisper somnus gramineusque torus.

hora aderat, qua solvit equos defessus arator:

excitor a socio: cena vocat, propera!

evolat, accursat quidam πῶδας ὄκως Ἀχιλλεύς,

ne pereat parvis moccisque rara mihi.

recreor eventuque bono discrimina tanta

solvuntur. geminas occupat inde animum

horas aut liber aut aenigmata solvere certat

forte aliquis partes Sphingis agente alio.

sunt tamen enucleare piget quos carmina mira

cartarumque dolis tempora tarda fugant,

quod scateant cartae multis variisque periculis,

seu certes 'grandi' sive petas 'nihilum'.

quin pueris malunt fere decertare quaternis,

quam farciminis aut (rara tamen) casei

frustula degustare gulamque offundere lacte

caldo. talia enim nocte oriente manent

oblectamina nos saevi medicamina ventris

optima. coepta iterant, cum rediere domum,

fumantes, donec monitu custodis et hora
vincuntur decima sumere dona dei,
quo regnante animos miseros oblivio rerum
tingit ceu Lethes fluminis unda silens.

Ex nosocomio, m. Junio 1917

E. Dieckhöfer

Leges peregrinationis et eius instituendae modus

Nostra aetate, qua nulla re magis quam itineribus gaudent homines, non iniucandum fuerit audire, quid, qui prioribus saeculis sunt peregrinati, hac de re adicarint. Unus ex iis, qui, ut Homeri utar verbis, πολλῶν ἀνθρώπων ἰδεῖν ἄσπεα καὶ νοθὸν ἔγνω, ille videtur fuisse Vernulaeus, clarissimus quondam academiae Lovaniensis professor, cuius aliquot olim de variis terris earumque incolis in hac nostra ephemeride publicavimus commentationes*). Is orationibus illis, quae continentur libro-a. 1657 Coloniae Agrippinae edito**), haec adiunxit peregrinandi praecepta, quae, ut supra dixi, a nostris quoque lectoribus non sine delectatione legentur.

Sit hoc inprimis peregrinanti persuasum „et mansisse diu turpe est vacuumque reverti.“

1. Itaque ad utilitatem primo, tum ad voluptatem aliquam spectandum. Illa peregrinationis sit meta, haec equidam fructus.

2. Utilitas tum existit, cum mores formentur, eruditio acquiritur, prudentia comparatur.

3. Ut mores formentur, curiose exterorum cultus, vestitus, actiones observari notarique debent; ita ut elegantia cum honestate placeat, comitasque et urbanitas sermonis arrideat.

4. In imitando nihil affectandum cupide aut ostentandum. Quippe affectatio ineptiam pro elegantia habet et ostentatio pro gratia risum. Vilis est, qui nimis civilis; nimius imitator mimicus est.

5. Vitia cuique genti cognata providere primo oportet, deinde fugere. Nihil facilius quam peregrinum vitium imbibitur: proinde non statim in animum admittatur, quod novitate blanditur. Non semper virtus est, ubi species virtutis est.

6. Non cuivis dextera porrigenda est,

reiiciendi isti commodorum, non laborum, sodales. Multis in peregrinatione adulatio laqueus est.

7. Inter Gallos quidam vani et leves, inter Italos quidam incontinentes et protervi, inter Germanos quidam poculis nimis addicti, inter Hispanos quidam fastuosi. Omnes saepe vitia velant, sed cautus examinat peregrinus.

8. Fidendum hic et diffidendum, vel omnino nulli fidendum. Proinde quisquis peregrinans, animum et mentem claude, parce loquere, interim frontem exporrige.

9. Simulare et dissimulare oportet, modice tamen et salva virtutis dignitate. Incauti et nimis aperti non raro in Charybdim aut Scyllam incidunt.

10. Inter feminas oculis non errandum, multae Veneres magni aliquando sunt oculorum dolores. Venustas placendo decipit, et quae titillant, non raro trucidant.

11. Ut eruditio acquiratur, legendum est et audiendum. Legere etiam in patria fas est, apud exteros, quicumque doctrina clari adeundi sunt et audiendi. Hic cum pugillaribus peregrinandum et omnia notanda. Prodest

*) Script. Lat. VIII, 8, 9, 12; IX, 1.

**) Vernulaeus, N., Rhetorum collegii Porcensis inclitae academiae Lovapiensis orationum partis secundae decades duae. Col. Agr. 1657.

hic pudorem ponere et interrogare et blande semper aliquid novi elicere. Facit etiam ad eruditionem inspectio locorum.

12. Ut prudentia comparetur, cognoscendae exterorum formae rerumpublicarum, notandi patriarum singularum ritus et mores, observanda civitatum instituta et leges.

13. De his omnibus prudenter inquirendum in congressibus, in convivis, in hospitiiis. Audienda omnia, sed et iudicanda, nihil ibi interim facile improbandum. Sua enim cuique placent. Hic iterum cum pugillaribus agendum, ut nihil effluat, et ab ore prudentum pendendum est.

14. Prodest eius regionis, in qua peregrinus agit, historiam discere, bella, mores, instituta, belli et pacis exempla. linguam denique, atque usu potius quam praeceptis.

15. Bene peregrinatus est, qui melior redit; non item qui in lustris tantum, poculis, commensationibus, ludis, saltibus mysteria quaesivit.

16. Voluptas ex inspectione ipsa regionum, urbium, quorumvis locorum et omnium varietate existit.

Quid vetustate vel sanctitate vel novitate admirandum passim diversis in provinciis sit, edita multorum itineraria docent. Nos proinde de iis nihil.

Franciscus Palata Prostannensis Prostannae valedicit

Quod nunquam fore credebam, valedicere maestum
me, Prostanna, tibi fata maligna iubent.
Fugerunt tria iam velocia lustra, videre
ex quo te primum sors mihi fausta dedit.
Protinus obtutu primo mihi tunc placuisti
hac voluique meos claudere sede dies.
Circum non tollunt nebulosa cacumina montes
nec strepitat saltus, nec cataracta tonat,
nec palmae crescunt heic nec Gangetica lotus,
nec myrtus viridans hac generatur humo.
Partes planities fecunda patescit in omnes,
paupere quam tenuis Hloučela mollit aqua.
Pingue solum large generis sata prosperat omnis,
queis humus Aegypti forsitan invideat.
Heic aestate vides campos flavescere apricos
quoquo prospicias, spica susurra crepat.
Adstrepit huic lentum folio nutante salictum
et supra dulcis fundit alauda melos.
Has bona gens oras antiquitus incolit instar.
Phaeacum: genti nomen „Hanaca“ datur.
Fixa solo patrio manet aeternumque manebit
dum sol per caeli caerula tendet iter.
Quando summa dies perituro fulserit orbi,
quando terribili terra fragore ruet,
exitio quando mortelia saecula dabuntur:
firma ruinis gens stabit Haneca suis.
Segnior illa quidem est, raro candescit ab ira
et cunctanter opus quodlibet aggreditur.
Sufficit ipsa sibi; secura, quid orbe geratur
externo, degit sorte beata sua,

dummodo triticeis careat re mensa placentis,
 neve saginatis orba sit anseribus.
 Sed cum Mars urget, stringit vibratque paternis
 pro laribus gladium fortis Hanacus homo.
 Virtutem gentis testantur multa tropaea
 et iustis effert laudibus historia.
 Hæc vixi terra felix ter quinque per annos:
 hinc — rebar — non me distrahet ulla dies.
 Ast aliter fati visum est; discedere cor:
 iamiam digressus hora suprema venit.
 Ergo, grata mihi Prostannae rura, vetele,
 natio Hanaca, vale tempus in omne mihi!
 Vivite felices! Aeternum vos tueantur
 ditibus et cumulent numina muneribus!

Scrpsi exeunte Augusto 1916.

PROGRAMMA CERTAMINIS POETICI

Ab Academia Regia Disciplinarum Nederlandica Ex Legato Hoeufftiano
 IN ANNUM MCMXVIII INDICTI

A. d. XVI. Kalendas Maias in conventu Ordinis Literarii a iudicibus ita est relatum de XXIX carminibus, quæ ad tempus iis erant tradita.

Unum carmen (*Tricolor Italicus*, munitum sententia *festina lente*) omnino ad certamen admitti non potuit, quoniam cum duobus aliis ei adiunctis legitimum L versuum numerum non explebat.

Statim reiecta sunt hæc:

Formosa mulier (cui adiunctum fuit *nova aetas*; munitum sententia *gutta cavat lapidem*); *ad Olympum montem* (munitum sententia *spes sibi quisque*); *salve Italia* (munitum sententia *humiles myricæ*), opuscula puerilia, sensu tantum non carentia sed scatentia vitiiis metricis.

Paulo magis placuerunt, non tamen ita ut digna visa sint quæ legati sumptibus in lucem ederentur, 14 hæcce (enumerantur autem sic ut quod posterius ponitur semper præferatur præcedenti):

Primi Iesu Amores (nulla munitum sententia); *Romanorum levia gravia* (munitum sententia *si vis pacem, para bellum*); *senex mendicus* (mun. sent. *minuuntur atræ carmine curæ*); *militis mater* (mun. sent. *discordia taetra e. q. s.*); *beluæ pro hominibus sollicitæ*

(mun. sent. *nihil est ab omni parte beatum*); *insula* (mun. sent. *valet ima summis mutare deus*); *vilicus* (mun. sent. *tu vitæ ne cede malis*); *nox atra* (nulla munitum sententia); *Fidus* (mun. sent. *faciant meliora potentes*); *reditus a Sardinia* (mun. sent. *pacis augurium*); *matris somnium* (mun. sent. *mater cor cordium*); *in obitu Austriae imperatoris* (mun. sent. *quis talia fando e. q. s.*); *bellum undique saeviens* (nulla munitum sententia); denique *assentatores* (mun. sent. *palmaque nobilis*), quod carmen tanto iis quæ hæcenus sunt enumerata præstare videbatur ut de eo in lucem edendo aliqua fuerit deliberatio.

Restant undecim optima, quæ libenter publici iuris facimus, lectu iucundissima, vera verorum poetarum atque artificum opera. In quibus enumerandis eandem quam in quatuordecim illis sequimur rationem. *Ultimi Vergilii dies* (mun. sent. *maiora canamus*); *janum Iovis* (mun. sent. *parvum parva decent*); *reliquiae* (mun. sent. *fatales pueri duo funera*); *Harlemi campus* (mun. sent. *fidibus gaudens*); *Caecilia* (mun. sent. *in tenui labor*); *de arundine sacharigna*, *nox natalicia* (mun. sent. *mens præsaga mali*); *vivax patriæ memoria* (mun. sent. *est patriæ tellure mihi nil carius*); *ignorati luctus* (mun. sent.

in tenui labor); *dies anno redeunte festus* (mun. sent. *trahit sua quemque voluptas*). Huius carminis et alterum erat missum exemplum paucis locis mutatum, ornatumque titulo *Kalendis Martiis* et sententia *linque severa*) denique *sepulcrum Joannis Pascoli* (mun. sent. *et tumulo superaddite carmen*).

Quatuor ex his, quae ultima sunt nominata, (*vivax patriae memoria, ignorati luctus, dies anno redeunte festus, sepulcrum Joannis Pascoli*) per se spectata omnia aureo praemio digna videbantur, tamen optimorum optimum eoque honore afficiendum visum est *sepulcrum Joannis Pascoli*, quod, aperta scidula, compositum esse apparuit a Francisco Sofia Alessio Radicenensi. Hoc ergo primum omnium sumptibus legati in lucem edetur, addenturque haec: *dies anno redeunte festus, ignorati luctus, vivax patriae memoria, nox natalicia, de arundine sacharigena, Caecilia, Harlemi campus, reliquiae, janum Iovis, ultimi Vergilii dies*, si eorum poetae nobis *ante Kalendas Iunias* scidularum aperiendarum dederint veniam.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus ut carmina latina, non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati, nec quinquaginta versibus breviora nitide

et ignota iudicibus manu scripta, sumptu suo *ante Kalendas Ianuarias* anni proximi mittant ad »Het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis, Amsterdam«. munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poetae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poetae in transscribendo portabile prelum Britannicum (type-writer) adhibebunt et si, quemadmodum in *editionibus* poetarum latinorum fieri solet, inde a vs. 5 sextum quemque versum numero ornabunt.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur. eique subiungentur alia laude ornata, quando scidulae aperiendae venia dabitur a poetis. Hoc *ante Kalendas Iunias* fieri debet (et tum quoque tabellarii nostrates sic sunt edocendi »Aan het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis, Amsterdam«).

Exitus certaminis in conventu Ordinis mense Aprili pronuntiabitur; quo facto scidulae carminibus non probatis additae Vulcano tradentur.

Amstelodami Kal. Maiis MCMXVII

P. D. Chantepie de la Saussaye
Ordinis Praeses

Scriptoribus Monitum!

Ad iura literaria quod attinet, eorum quae scripserit ipse suum quisque periculum praestabit.

Ed. et Red. Script. Lat.

Nicer

Friderici Hoelderlini carmen „Der Neckar“

latine vertit

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis

Est mi renatum vallibus in tuis
Cor, alluerunt aequora me tua;
Quotquot tibi rident migranti
Culmina, sunt mihi paene nota.

In his dolores servitii graves
Mi solvit aether, et velut e scypho
Laeto vigor, de valle saepe
Caeruleae micuere lymphae.

Ad te ruebant flumina montium
Pectusque nostrum; nos simul ad patrem
Rhenum ferebas, qui decoris
Praenitet urbibus insulisque.

Adhuc placet mi mundus, et aufugit
Captans nitores orbis ad aureum
Pactolon ad litusque Smyrnae
Vultus ad Iliacosque saltus.

Ac saepe vellem visere Sunium
Tuasque moles quaerere, Olympion,
Turbo priusquam cum senecta
Te quoque ruderibus deorum et

Sacrariorum Cecropiae tegat;
Solum diu nam stas, generis decus
Emortui! — O insulae et vos
Ioniae! quibus usta sole

Ventus marinus litora frigerat
Laurosque perflat, cum Phaëton fovet
Vites et autumnus dat uber
Carmina pro gemitu colonis,

Cum frux rubescit Punica, cum citro
Fulgente sucus pistaciae fluit
Et tympano coniuncta tortis
Cymbala dulce sonant choreis.

Ad vos meus me transvehet, irsulae,
Fortasse quondam — sit! — genius; tamen
Te, ebo et illic mente fida
Te tua prataque amoena, Nicer!

De litteris et ominibus

Haud ignotus est lusus ille ingenii quo annorum numeri verborum litteris significantur, ut pax Hubertoburgensis his verbis „Aspera bella silent, rediit bona gratia pacis; O si parta foret semper in orbe quies“ (d l i d i i c i i m i v i = 1763), quod chronodistichon vocatur. Huiusmodi quidem chronodisticha, chronosticha sive eteosticha, chronogrammata et quidam doctus colligenda suscepit qui ab iis qui S riptorem Latinum legunt, ut se in colligendis chronogrammatis adiuvarent, nuper petivit. Sed est alius quidam linguae latinae usus de quo dicturus sum, quo ingeniosi homines cum alios tum principes viros laudare ac celebrare soliti sunt; quaerebant verba, sententias, versus quibus magnum aliquid gratumque exprimeretur quod cum nomine aut cum anno quodam cohaereret. In libro quam Caspar Abel de antiquitatibus Germanorum et Saxonum a. 1729 editit haec inveni:

1. Sophia Dorothea Friderici Guilelmi I regis uxor *Dea* ex pio thoro nominatur. Nonne hoc est omen in nomine quaerere?

2. Fridericus filius eius *delicium* *populo* appellatur, qua in appellatione litterae eius anni insunt quo natus est (d l i c i v m u l = 1712). Prior vox „delicium“ avi eius annum natalem significat (d l i c i v m = 1657), „a quo“ inquit Abel „ut nomen accepit, ita eum eo aequavit quod numerus natalis eius in vocibus delicium *populo* inest neque quisquam dubitat quin re vera *populo* delicium sit.“ Longiore circuitu Abel in Friderici nomine omen invenit; ceterum cur non *deliciae* et *populi* sed *delicium* et *populo* dixerit, facile cognoscitur.

3. Ferdinandus Albertus Brunsvigiae dux qui natus est a. 1680 Aeneidos versu (VIII 511) celebratur: Tu cuius et annis et generi fatum indulsit (v c v i v i v m i d u l i = 1680).

4. Georgium I Britanniae regem Abel his versibus salutatur:

En tibi Nasonis praesagia, Magne Georgi,
Quae Deus eventum iussit habere bonum;
Sic ait: Hic regnum sine vi, sine caede tenebat:
Nonne tuo, Rex, id convenit imperio?

Ovidii sententia (Met. XI 271) numerum anni 1714 continet, quo anno ille regnare coepit.

5. Georgium II Vergilii versu (Georg. IV 561) celebratur:

Augusto similis iustus placidusque „volentes
Per populos fert iura viamque affectat ad astra.“
Hoc de rege novo Maro praesagire videtur,
Anglia quod gaudens argento inscripsit et auro.

In Vergilii verbis litterae v l v l i v i m v c d numerum anni 1727 efficiunt. Ipse distichon hoc addit:

Virtus, pax et fausta beet concordia regem,
Belli dira lues exulet atque fames,

quo idem numerus bis continetur.

6. In Genesi (c. XIII v. 8) haec leguntur: „Nec inter nos nec inter nostros rixa debet esse, quippe fratres sumus.“ His Abrahami verbis in quibus numerus anni 1728 invenitur Abel Sophiam Dorotheam regii am adlocquitur, quam illo anno Deo adjuvante ex morbo gravissimo convaluisse dicit, ut fraterna societas Britannorum et Borussorum in omne tempus conservaretur. O tempora, o mores!

Io. Draheim

Laus Tabaci

Felix ter, qui pusio
viridi juventa
artium primariae
hausit elementa.
Cui parvo petum est
potius placenta,
gustus ille solidi
jecit fundamenta.

Laudo quidem poculi
rubidos humores,
et ad uvam rideo
aurum et honores.
Multo magis celebros
virginum amores:
saepe beant oscula
inter mille flores.

Te ad coelum effero,
Herbula tam rara!
Tu ocellis virginum
dulcior amara!
Quantum inter sidera
micat luna clara,
tantum inter lilia
fulges mihi cara.

Virginum perfidia
turbat saepe mentes,
rapta quin puellula
armat totas gentes.
Pipae nunquam deserunt;
ori adhaerentes
in aeternis osculis
manent inter dentes.

Vidi saepe socios
fortiter potantes,
at, proh dolor! singulos
valde titubantes.
Petum nulli eructant,
nisi sint infantes;
ducunt centum fistulas
firmo pede stantes.

Graviter fumando vir
Jovis fit sodalis,
inter vasta nubila
requiescit talis.
Ignis est in manibus,
fulminis aequalis,
et in toro major est
cunctis vitae malis.

Posco, quando moriar,
Juvenes amati!
clericum, qui potis est
fumum bene pati.
Quando erunt fistulae
spiritus efflati,
vos amicum ultimum
estis conspicati.

Quisque funus prosequens
fistulam gestato,
atque nigris calamum
velis circumdato.
Magno tandem nubilo
aethere spectato,
vos scitote, tabacum
porrigi beato.

Num hoc carmen lectoribus Scriptoris Latini notum est? Paalus Martinus Moeller, qui illud composuit, natione Danus, filius presbyteri Lutherani erat et ipse se theologiae studio dedebat. Sacerdotis in navi munere fungens iter in

Asiam fecit, ut, quemadmodum ipse dixit, otium sibi fieret ad Latinorum Graecorumque libros et scripta colenda. Hoc in itinere partes Iliadis et Odyseae et Batrachomyomachiam totam Danice vertit. Quum anno Dni MDCCCXXXVIII mortem obiit, complura opercula nondum finita reliquit. Hoc, quia Latine composuit poeta, vobis misi, ut fumantibus qui dicuntur omnibus esset delectationi. Ad ‚petum‘ quod attinet vocabulum, ego, cum mihi esset plane ignotum, Gertzium adii, universitatis Hauuiensis professorem. Is bene sese novisse illud quodque ‚petum optimum subter solem‘ nominatum esset, tabacum fuisse respondit vilissimi generis atque inter milites se puero usitatissimi. Tum ipse verbum reperi in encyclopaedia quadam Danica, ubi ‚petum‘ e lusitanica in latinam linguam translatum esse legi.

C. Westh-Hansen

Nota ad pg. 12 Nri I:

Quaerit unus ex lectoribus de clarissimis Huttenii verbis, quae germanice reddi solent; „Die Geister erwachen, die Wissenschaften blühen. Es ist eine Lust zu leben!“ Memini me multis abhinc annis sententiam illem Huttenianam Latine legere. Concepta autem erat, nisi

me fallit memoria, his fere verbis: „Experiscuntur ingenia, vigent artes, florent litterae. Volupe est vivere.“ Ubi mihi occasio data erit bibliothecam universitatis Pragensis denuo adeundi, locum illum requiram et accuratius edocebo interrogantem.

Fr. Palata

Censura Librorum

Hie Marmor, hie Gips! Aus dem Kampfe ums Gymnasium. Von Adolf Trendelenburg, Direktor des Friedrichs-Gymnasiums in Berlin. Weidmannsche Buchhandlung, 1916. 36. 1 Ex. 30 Pf., 25 u. mehr Ex. je 25, 50 u. mehr je 20 Pf. —

Disputari permultum cum novissimis decenniis tum hodie per Germaniam atque certari de ingenuarum litterarum ludis et imprimis quaeri, sitne retinendum in pristino statu an plus minusve commutandum ‚humanisticum‘ quod vocatur gymnasium quis est qui nesciat? Vehementer dicantes videmus viros non scholastico solum munere, verum etiam aliis fungentes officiis, qui totum educationis et eruditionis genus reformandum, abolenda antiquae humanitatis studia, veterum Graecorum Romanorumque linguas aut omnino e disciplinis removendas aut certe tamen coerendas arbitrantur, cum viris doctissimis et praeclarissimis, qui — recte quidem ac iuste, ut nobis videtur — nos et posteros nostros humanitatis studio carere posse prorsus negant atque ne linguae illae in gymnasiis doceri humanitatisque studia coli desinant summo artium et litterarum amore et aestimatione imbuti omnibus viribus contendunt. Hos inter viros auctor numerandus est libelli supra laudati, quo sex commentationes in actis diurnis Berolinensibus ‚Der Tag‘ nuncupatis intra annum 1905^{um} et 1915^{um} ab illo conscriptae continentur.

Fasciculus primo loco — ut ait auctor in praefatione — militibus destinatus est nostris, quorum in numero facile inveniantur, qui, si quid otii detur in fossis subterraneis aut in nosocomiis, in disceptationes illas de gymnasio domi exortas animos inducere et possint et velint. Contra eos, qui antiquitatis studium nostris temporibus nullius autumant aut parvi esse momenti, Trendelenburgius sermone elegantissimo disertissimoque, quid ipse de quaestione orta censeat, disserit et antiquarum linguarum disciplinam in scholis superioribus conservandam defendit. Quid explicaverit illis commentationibus auctor, breviter exponamus praemissis titulis.

I. Marmor oder Gips? (1915)

Explanatur neque placere nec fas esse gymnasiorum humanisticorum moderatoribus Graecae linguae disciplinam abolere et — id quod multi satis habent suadentque — pro Graecorum veterum libris conversiones discipulis in manus dare cognoscendas: nam conversiones legere exemplorum loco nihil aliud esse atque contemplari imagines e gypso factas, ubi sine ullo labore adiri possint marmorea exempla. Postulat auctor, ut ea, quae sibi proposuerit gymnasium humanisticum persequenda, recte intellegantur iusteque aestimentur.

II. Kanzlerrede und Gymnasium (1915).

Gymnasii cuiusdam Berolinensis rector de oratione illa magnifica die 19^{mo} m. Aug. anno 1915^o a cancellario Germanorum

in senatu habita nulla mora interposita, immo postero iam die. magistros historiam docentes coram discipulis disserere iussit; quod a superioribus gymnasii magistratibus non modo approbatum, sed etiam ceteris provinciae scholis commendatum est observandum: iniuria igitur — sic statuit auctor — gymnasium humanisticum accusari, quod non doceat ea, quae ad vitae usum sint necessaria. Idem censet Germaniam humanisticis scholis uti tamquam remedio morbi, in quem facile incidant animi civium studia utilitate sola ac quaestu dimittentium.

III. Das Englische auf dem Gymnasium (1911).

Sunt qui consensu freti et auxilio Imperatoris nostri id agunt, ut novum quoddam enascatur gymnasii genus, quod abolita Graeca lingua ac Britannica pro hac substituta ‚Britannicum‘ appellare non verentur. Illis hominibus Trendelenburgius opponit Britannica lingua minime posse compensari Graecae linguae eruditionem: paulum tantummodo profectum iri tali commutatione; iam hodie gymnasiorum quoque discipulos in classibus superioribus satis sibi comparare posse Britannicae scientiae, quam postea in usu vitaeque communi facile excolant et amplificent.

IV. „Das Staatsideal des Gymnasiums“ (1905).

Refutat auctor Gruhniun, phil. *drem.*, qui gymnasii humanisticis mentem reipublicae liberae fornam appetentem gigni alicue atque infimam imprimis plebem Platonis, Demosthenis, Ciceronis operibus ad illam mentem adduci opinatur! Vix quicquam hac sententia stultius, vix quicquam absurdius inveniri posse; illud contra ac dictum sit evenire: legendis veterum scriptis mentem regiae administrationi faventem corroborari et confirmari; num ceterum infimus praecipue populi ordo ad antiqua potissimum incumbat studia, ironice auctor interrogat.

V. Marokko und das — Extemporale (1911).

Invehit Trendelenburgius in *drem* Reinium, universitatis litterarum Jenensis prof. ord., qui de pugna illa paedagogorum contra discipulorum commentationes eas, quae vulgo ‚extemporalia‘ vocantur, verba fecerat et illam pugnam novissimo ministerii iussu esse finitam laetatus erat illud ministri praeceptum cum pactione de Mauritania eodem tempore facta comparans. Quam mira Reinii, viri sane doctissimi, sed nimis ‚theoretici‘, sit opinio, verbis auctoris, usu periti praeceptoris, optime demonstratur.

VI. Fastidium gymnasii? (1907)
Contra Lud. Gurlittii sententiam Tren-

delenburgius ‚fastidium gymnasii‘ nihil aliud esse asseverat nisi dogma argumentis non confirmatum carensque vi persuasoria: hac de quaestione quid ipse comperit exponit; nequaquam reperiri tale fastidium virorum praeclarorum, etiam olim discipulorum gymnasii humanistici, probat testimonio.

Iudicium auctoris eo pluris aestimandum videtur. quod doctissimus ille vir et illustrissimus quinquagesimo iam anno operam navat scholastico in gymnasiis muneri, quamobrem eum inconsulte iudicare aut usu atque exercitatione parum praeditum esse vix eququam licebit suspicari. Nos, qui et ipsi officia gymnasii antiquitus probata ne hodie quidem aut futuro tempore neglegenda, immo, quid gymnasio debeamus pio gratoque animo non immemores, omnibus viribus servanda censemus. Trendelenburgio plane assentimur et multis ea, quae libellulo explanavit et illustravit vir praestantissimus, probatum iri speramus. Lhm.

Valerius Catullus' sämtliche Dichtungen in deutscher Übertragung von Dr. Mauriz Schuster. Wien, R. Papaschek und R. Lechner u. Sohn, 1906. VIII, 276. Pr. ?

Primum poetae Veronensis carmina ad unum omnia Germanice conversa nobis proponunt hoc libro sane elegantissimo. Nam quotquot adhuc Catullum, principem illum lyricae poesis Romanae vatem, interpretari et inter nostrates susceperunt pervulgare, eos pulcherrima tantummodo atque honestissima sibi visa diligenter selegisse notum est; Schusterus vero totum utique transferre poetam non abhorruit unico excepto carmine (97), cuius duos tantum versus convertit reliquis, utpote qui scateant obscenis et turpibus verbis. praetermissis; cetera omnia — nec sunt pauca — quae apud Catullum inveniuntur agrestiora, spurciora, impudiciora, singulari quadam sollertia Germanice reddidit ita temperata et emollita, ut nemo nisi admodum vel praeter modum pudens offendatur aut insipiens. Itaque Schusteri conversiones summa cum arte confectas summopere nobis arridere non est cur negemus.

Metra ab ipso Catullo adhibita in omnibus fere carminibus retinuit translator: scazontes sive choliambos (cf. c. 8, 31, 37 al.), quippe qui rariores sint versus auri- busque Germanis minus accepti vel faciles intellectu, in iambicos senarios, galliam- bos carminis 63ⁱ in septenarios iambicos commutavit. Unicuique poemati inscriptus est titulus a translate non sine magna accurate excogitatus.

Praemissa libello est praefatio*) Sirmi-

*) In qua (annot. pag. VII) quibus de causis, translatoris an typographi errore, in Schilleriani carminis ‚Nenie‘ versu ultimo cum sit „Denn die Gemeine geht klanglos zum Orcus hinab“ pro „Denn das“, ut quaevis habet Schilleri editio, non liquet. Lhm.

one — id quod feliciter grateque accidisse dixerim —, in paeninsula illa lacus Benacisita, ubi poeta villam habuisse narratur, conscripta; sequitur de Catulli vita et indole commentatio; carminibus additus est commentarius uberrimus mirabilique cum subtilitate compositus. Species libri iis quae insunt est dignissima. Profecto igitur habemus quod auctoris munere gaudeamus ac librum omnibus musae Catullianae amantibus enixissime commendemus.
Lhm.

Ferd. Englert: Pax e bello. Quattuor carmina populo christiano dedicata. Monachii, C. H. Beck, 1917. Pr. 0.30 M.

Quattuor imagines praestantissimorum artificum (Reni, Dyck, Paolo Ver., Rubens) eleganter expressas et quattuor carmina Latina praefixo prooemio continet parvus hic idemque lepidus libellus. Prooemium compositum est senariis iambicis; reliqua carmina versibus exarata sunt homoeoteleutis et cum indole tum arte rhythmica maximam partem imitantur hymnos Christianos, quales sunt Dies irae, Stabat mater, alii-que. Carmen ultimum redactum est in formam, quam voce Italica „sonetto“ nuncupamus. Est fortasse illud primum „sonetto“ Latinum, quod quidem typis impressum proderit; ego saltem nullum legi antea huiusce generis specimen. Suadebat quondam vir doctissimus idemque Musae Latinae cultor eximius J. D. Fuß, ut abstinerent poetae Latini ab hac recentiore stropharum conformatione in poesin Latinam transferenda (cf. eius Poemata Latina, Leodii, 1837, adnotationum pg. 177); atqui Englerti exemplum docet ne hanc quidem delictiorem et exquisitiorem carminis formam abhorreere a linguae Latinae gravitate. Sermo poetae ubique tersus est et perspicuus, ut vel a gymnasiolorum alumnis facile intellegatur. Neque in arte rhythmica fere quidquam est, quod exprobretur; id tantum offendit aures

cultiores, quod in senariis bis spondeus irrepsit in pedem secundum vel quartum et in versibus homoeoteleutis hic vel illic accentus a legitima sede transfertur in syllabam alteram veit: veni, tuis. — Exprimunt autem carmina sensus ingenuos, quibus nunc incensa est maior pars generis humani, et clauduntur voto, cui fortasse nemo est quin assentiatur „ . . . ut bello tristi succedat saeculum humanius.“ F. P.

Palaestra patriotica. Carmina latina in usum juventutis humanitatis studiosae Germaniae imprimis comissantibus praeparata edita auctore Lacinula par. emer. Editio altera accuratius perpolita Leutkirch (Virtembergiae), Jos. Bernklau. 88. Pr. ?

De prima editione hisce foliis ann. VIII. nr. 6. pag. 94 diligenter rettulit Lehmannus noster, ipse poetae clarissimus et iudex peritissimus. Quae cum ita sint, sperandum erat fore ut quibus scatebant singulae fere paginae cuiusque generis vitiis altera hac editione delerentur. Quae mihi quoque spes augebatur, cum libellum inspecturus legebam: editio altera accuratius perpolita. Sed „risum teneatis, amici!“ Status, ut aiunt, quo ante! Pauca eaque magnam partem levissima immutata sunt. Quid, quod — ut alia omittam — adhuc legis: „Salutatio post annum (anum?) victricem“ (pag. 53), Quilelmus, Questfalia, Zipfehli - Lacinula (sive Lacinola), Leutkirch - ecclesia plebana? Taedet plura id generis proferre, taedet carmina nostra genuina tali suffocata colore legere. Iudex titulorum non est integer: carminum initia, quorum modis alia carmina — in indice non indicata — canuntur, saepius citantur additis singularum paginarum numero uniceis non incluso — id quod lectorem perturbat. Praeter menda typographica ab ipso editore indicata ego quasi in transitu inveni: pag. 70: silvas - silvas, pag. 79: exilium - exsilium.

Ffrfrisk

Responsorium Redactoris

M. A. eine Richtschnur (Direktive) bei etwas haben (geben) = habere (dare) quid sequi possimus in . . . — welche Beweggründe ihn bei . . . geleitet, ihn zu . . . veranlaßt (bestimmt) haben = quibus rebus (rationibus) ductus . . . — woraus sich später (in der Folge) die Gewohnheit entwickelte (herausbildete) . . . = [ex] quo factum est, ut postea . . . — diese meine Worte ent-

springen alle der lebhaftesten Fürsorge für unser Gemeinwesen = nihil horum sine magna cura rei publicae nostrae loquor — ich war mit dabei = una fui, rei ipse interfui. Quod ad nostras de literis studiisque attinet ephemerides, ego, quam multae usque ad hunc diem prodire desierint, plane nescio. Apparet tamen ex certis quorundam actorum librariorum nuntiis exeunte anno 1916^o novem partes totius illarum numeri edi etiamtum perrexisse.

Libri censurae causa missi:

- Th. Papasian, Deutsch-Türkisches Taschenwörterbuch** (Biblioth. d. Sprachenkunde: 116). Wien, Hartleben. VI, 106. 2 M.
- T. Ahsam und A. Radspieler, Türkisch-arabisch - deutsches Wörterbuch** (Biblioth.

- d. Sprachenkunde: 102). Wien, Hartleben. 184. 2 M.
- O. Körner, Geist und Methode der Natur- und Krankheitsbeobachtung im griechischen Altertum.** Rektoratsrede. Rostock, C. Boldt, 1914.

☞ Aenigmata ☞

composit

J. M. Hoogvliet Haganus

1

Principium pugnae, media et pars integra belli
Finisque ex dira pugna cogantur in
unum:
Fiet bellum aliquid, quod fera bella fugit.

2

Mons formosus ego specie, sed fauce timendus,
Versus „quondam“ significo, „non tem-
pore nostro.“

Ex iis, qui haec aenigmata recte solverint, duo sortiti gratis accipient
Lamer, Römische Kultur im Bilde (Wissenschaft u. Bildung 125). Leipz., Quelle u. Meyer.

3

Aëris est summum, tamen in terra latet ima,
Oceani medium est — mundus pon-
tusque polusque
Nusquam habet illud idem. Dices, ubi sol-
veris: A! A!

4

Invictamque urbem numenque invictius illa
Litterae eadem constituunt, solo ordine
verso.

Nuntia Venditoria

JOANNIS MEURSII

Elegantiae Latini Sermonis

|| ad optimaë anni 1757
editionis exemplar
accuratissime typis
iteratae ||

Pr. 20 M

Apud Adolphum Weigel Lipsiensem

» CHALYBS · POLDI! «

ad omnis generis ferramenta
laminas culfrorum, falelum,
serrarum, spiras et axes curruum,
limas, cylindros, selopetorum et
formentorum tubos, rotas

praeter ceteros idoneus nullique
alii materiae anteponendus aut
praefendus

non fabricatur nisi in

OFFICINIS · POLDIANIS.

BEROLINI · VINDOBONAE

F. A. BROCKHAUS, LEIPZIG

Neue Zusammenstellung des Sprachschatzes
(Umgangssprache, Neubildungen). Tausende
neuer Wörter. Sprachrichtigkeit und Rein-
heit (gute Verdeutschungen). Neue Recht-
schreibung. Aussprachehilfen. Bequeme
Anordnung.

Das

Ideal-Wörterbuch

Modern Billig Handlich

PFOHL

Französisch-Deutsch

Deutsch-Französisch

Gebunden 7 M.

Vandenhoeck & Ruprecht, Göttingen

GLOTTA

Zeitschrift für griechische und lateinische Sprache

Herausgeber: Paul Kretschmer u. Wilhelm Kroll

Preis des Jahrgangs (4 Hefte) 12 M.

Inhalt v. VIII, 1/2: Rödiger, *βούλομα*: u. *ἐθέλω* — Fraenkel, D. Geschlecht v. *dies* — Kretschmer, D. Ursache d. Geschlechts v. *dies* — Petersson, Beiträge. z. lat. Etymologie — Hartmann, *Primoris — Kretschmer, *meſa ſpeſa* — Bruch, Lat. *blatea*, *balatro* u. genues. *brata* — Reeb, Zur lat. Wortkunde — Compennass, *Vulgaria* — Kretschmer, Mythische Namen — Vollmer, Jambenkürz. in Hexametern — Kretschmer, Zwei altlat. Inschriften — Sigwart, Zur etrusk. Sprache — Lautensach, Grammat. Studien z. d. alt. Tragikern u. Komikern.

Quid Docti De Scriptore Latino Judicent

DAS HUMANISTISCHE GYMNASIUM: . . . Die Zeitschrift bietet in jeder Nummer den Lesern Artikel, die teils durch ihren Inhalt, teils durch die Gewandtheit erfreuen, mit der die lateinische Sprache zur Besprechung modernster Dinge gebraucht wird.

WOCHENSCHRIFT FÜR KLASSISCHE PHILOLOGIE: . . . welche bereits hervorragende Beiträge namhafter Gelehrter gebracht . . . hat. Sie hat gewissermaßen internationale Bedeutung, aber es ist für Deutschland auch von nationalem Interesse, die Freude an der klassischen Literatur zu erhalten . . . Daß sie nicht enttäuscht sein werden, dafür bürgt nicht nur der Inhalt der früheren Jahrgänge, sondern auch dieses neue Heft. . . .

DER AKADEMIKER: . . . Ich habe das reichhaltige Heftchen mit zunehmender Freude gelesen; es herrscht ein frischer, froher, oft geradezu scherzhafter Ton darin . . . der Scriptor Latinus ist nicht langweilig, sondern unterhaltend, und man lernt dabei doch fein Latein. Noch kürzlich hatte ich Gelegenheit zu hören, wie ein Dozent der Universität die Zeitschrift seinen Hörern empfahl. Ich darf also allen, die sich mit der lateinischen Sprache beschäftigen müssen oder möchten, zum Scriptor Latinus raten. Sie werden ihn mit Genuß und Nutzen lesen.

PFARRHAUS: . . . Wir weisen gern auf diese gediegene, originelle Zeitschrift hin und bieten zum Beweis, wie genial sie den sermo latinus handhabt, eine kleine Probe ihres Inhalts. . .

BERLINER PHILOLOGISCHE WOCHENSCHRIFT: . . . Mit dem hochverdienten Herausgeberarbeiten Lehrer an Universitäten und Gymnasien in verschiedenen Ländern, Geistliche, ein ‚Rei vehic. praep. em.‘ u. a. nebst jüngeren Kräften zusammen. Alle ‚motis nituntur in aera pennis‘. Es ist gewiß kein Icarosflug, da schon für die klassisch oder wenigstens realgymnasial gebildete Jugend das Unternehmen bestens zu empfehlen ist.

HANNOVERSCHE PASTORAL-KORRESPONDENZ: Väter tun ihren Gymnasiasten-Söhnen durch Halten dieser Zeitschrift einen Dienst. Nach Erfahrungen der Lehrer wächst dadurch das Interesse, die Liebe und die Beherrschung der lateinischen Sprache. Die Zeitschrift enthält so mancherlei Stoff aus Vergangenheit wie Gegenwart, daß jeder des Lateinischen Kundige, auch der Nicht-Gymnasiast, dafür Interesse haben wird.

MONATSSCHRIFT FÜR HÖHERE SCHULEN: . . . wir wollen nicht länger zögern, auf das eigenartige Werk hinzuweisen, da es die Erwartungen, die man darauf zu setzen berechtigt ist, wirklich erfüllt. Der Inhalt und vor allem die Art, moderne Stoffe in zwanglosester Art, in oft verblüffender Sicherheit in die antike Form zu gießen, hat zumal für den Lateinschüler etwas ungemein Anziehendes. Wer ein Jahr lang sich von diesem Scriptor hat leiten lassen, wird seinen Cicero oder Virgil mit anderen Augen ansehen. . . . Dem Unternehmen ist weitere Verbreitung von Herzen zu wünschen; besonders erscheint die Zeitschrift auch für Schülerbüchereien geeignet. . . .

ZEITSCHRIFT FÜR DIE ÖSTERREICHISCHEN GYMNASIEN: . . . Der Referent hält somit den Gedanken, der dem Scriptor Latinus zugrunde liegt, für durchaus aktuell und wünscht daher dem Blatte eine möglichst große Verbreitung.

BLÄTTER FÜR HÖHERES SCHULWESEN: . . . zeigt die bekannten Vorzüge, wie sie in Besprechungen früherer Nummern gerühmt sind: eine leicht flüssige Sprache, in der auch moderne Stoffe einen leicht verständlichen Ausdruck finden . . .

LITERARISCHER HANDWEISER: . . . die sämtlich einen reichen und interessanten Inhalt haben. Außer klassisch schönen, in Stoff und Auffassung modernen Gedichten bietet jede Nummer . . . Übersetzungen deutscher Dichtungen in prächtige lateinische Verse. . . Nicht zu vergessen sind die Übersetzungen moderner Literaturabschnitte in klassisches Latein, wodurch die Zeitschrift namentlich für Philologen — zünftige wie zukünftige — große Bedeutung gewinnt. . . . Das . . . Heft wird bald mit derselben Sehnsucht erwartet werden, wie die Hefte der wissenschaftlichen und belletristischen Zeitschriften.

PASTOR BONUS: . . . Mit Staunen wird man aus dieser Zeitschrift ersehen, mit welcher Eleganz und Leichtigkeit sich alle Gedankengänge unserer Sprache in der lateinischen wiedergeben lassen. . . . Wir können sie daher den Freunden der lateinischen Sprache zur Anregung nur empfehlen.

LITERARISCHE RUNDSCHAU: . . . Ein Blick auf den letztjährigen Jahrgang bestätigt wiederum die früher gemachte Beobachtung, daß die Mitarbeit auch den größten Schwierigkeiten gewachsen, um die modernsten Begriffe und Einrichtungen in klassisches Latein zu kleiden. . . Die Zeitschrift kann jedem, der sich Gewandtheit im lateinischen Ausdruck, vor allem für moderne Begriffe, verschaffen will, warm empfohlen werden. . . .

TYPIS DESCRIPSIT: J. J. AUGUSTIN, GLÜCKSTADT

UNIVERSITY OF MICHIGAN

3 9015 03094 9930

BOUND

JUN 19 1944

UNIV. OF MICH.
LIBRARY

